from his true friend
J. L. Carlson.
~~1869.~~ 1857

DE NOVA HIEROSOLYMA ET EJUS Doctrina Cœlesti:

EX

Auditis e Cœlo.

Quibus præmittitur aliquid de Novo Cœlo & nova Terra.



LONDINI

MDCCLVIII.

Matth: VI: 33.

Quærite primo Regnum Dei, & omnia adjicientur vobis.



DE NOVA HIEROSOLYMA ET EJUS Doctrina Cœlesti.

De Novo Cœlo & Nova Terra; & quid per Novam Hierosolymam intelligitur.

1. DICITUR in Apocalypsi, " *Vidi Cœlum novum & Terram novam, primum enim Cœlum & prima Terra transierant. Et vidi sanctam illam Civitatem, Hierosolymam Novam, descendentem a Deo e Cœlo, paratam ut sponsam coram Viro suo. Civitas habebat Murum magnum & altum, qui habebat Portas duodecim, & in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim Tribuum Israelis. Et Murus civitatis habebat Fundamenta duodecim, in quibus duodecim nomina Apostolorum Agni. Ipsa Civitas quadrangularis sita est, eujus longitudo tanta erat quanta latitudo. Et mensus est Civitatem calamo ad stadiorum duodecim millia; & erant longitudo & latitudo & altitudo ejus æquales. Et mensus est Murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura*

hominis quæ est angeli. Erat Murus ejus ex jaspide; ipsa vero Civitas aurum purum, simile vitro puro: & Fundamenta muri Civitatis ex omni lapide pretioso. Duodecim Portæ duodecim margaritæ erant; & platea Civitatis aurum purum tanquam vitrum pellucidum. Gloria DEI *illustrabat illam, & Lucerna ejus erat* AGNUS. *Gentes quæ servatæ fuerunt, ambulabunt ad lucem ejus, & Reges terræ gloriam suam & honorem suum ad illam afferent,"* Cap: XXI: 1. 2. 12 ad 24. Homo, qui hæc legit, non aliter illa intelligit, quam secundum sensum literæ, nempe quod periturum sit Cœlum aspectabile cum Terra, & novum Cœlum exstiturum, & quod super novam Terram descensura sit Sancta Civitas Hierosolyma, & quod illa futura sit quoad suas mensuras secundum descriptionem. Sed Angeli prorsus aliter illa intelligunt, nempe singula spiritualiter quæ homo naturaliter; & sicut Angeli intelligunt, ita significant illa; & is est sensus internus seu spiritualis Verbi; per novum Cœlum & novam Terram in sensu interno seu spirituali, in quo sunt Angeli, intelligitur nova Ecclesia tam in Cœlis quam in terris, de Ecclesia utrobivis dicetur infra; per Civitatem Hierosolymam descendentem a Deo e Cœlo, intelligitur cœlestis ejus Doctrina; per longitudinem, latitudinem & altitudinem, quæ æquales, intelliguntur omnia bona & vera illius Doctrinæ in complexu; per Murum ejus, intelliguntur vera tutantia illam; per mensuram muri, quæ 144 cubitorum, quæ mensura hominis quæ est Angeli, intelliguntur omnia illa vera tutantia in complexu; & quale eorum; per duodecim Portas, quæ ex margaritis, intelliguntur vera introducentia; similiter per duodecim Angelos in portis; per Fundamenta muri quæ ex omni lapide pretioso, intelliguntur cognitiones super quibus Doctrina illa fundatur; per duodecim Tribus Israelis, intelliguntur omnia Ecclesiæ in genere & in specie; similia per duodecim Apostolos; per Aurum simile vitro puro, ex quo Civitas & Platea, intelligitur bonum amoris ex quo pellucet Doctrina cum suis veris; per Gentes quæ servatæ, & per Reges terræ qui gloriam & honorem in illam afferent, intelliguntur omnes ab Ecclesia qui in bonis & veris sunt; per Deum & Agnum, intelligitur Dominus quoad Ipsum Divinum & Divinum Humanum. Talis est sensus spiritualis Verbi, cui sensus naturalis, qui est sensus literæ, inservit pro basi; sed usque bini illi sensus, spiritualis & naturalis, unum faciunt per correspondentias. Quod talis intellectus spiritualis insit omnibus illis, non vacat hic ostendere, quia non hujus operis est, sed ostensa videantur in ARCANIS CŒLESTIBUS in sequentibus his locis. Quod in Verbo per TERRAM significetur Ecclesia, imprimis ubi per terram intelligitur terra Canaan, n: 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 1607. 2928. 3355. 4447. 4535. 5577. 8011. 9325. 9643. Quia in spirituali sensu per Terram intelligitur Gens quæ ibi, & ejus Cultus, n: 1262. Populus terræ quod sint qui ab Ecclesia spirituali, n: 2928. Quod novum Cœlum & nova Terra significent novum in cœlis & in terris quoad bona & vera, ita quoad illa quæ sunt Ecclesiæ utrobivis, n: 1733. 1850. 2117. 2118. 3355.

4535.

4535. 10373. Quid intelligitur per primum Cœlum & primam Terram quæ transiverant, videatur in Opusculo de Ultimo Judicio & Babylonia destructa a principio ad finem, & in specie ibi, n: 65 ad 72. Quod per HIEROSOLYMAM significetur Ecclesia quoad Doctrinam, n: 402. 3654. 9166. Quod per URBES & CIVITATES significentur Doctrinæ, quæ Ecclesiæ & Religionis, n: 402. 2450. 2712. 2943. 3216. 4492. 4493. Quod per MURUM civitatis significetur Verum doctrinæ tutans, n: 6419. Quod per PORTAS urbis, significentur vera introducentia ad doctrinam, & per doctrinam in Ecclesiam, n: 2943. 4478. 4492. 4493. Quod per duodecim TRIBUS ISRAELIS repræsentata fuerint, & inde significata omnia vera & bona Ecclesiæ in genere & in specie, ita omnia fidei & amoris, n: 3858. 3926. 4060. 6335. Quod per duodecim APOSTOLOS DOMINI similia, n: 2129. 2329. 3354. 3488. 3858. 6397. Quod de Apostolis dicatur, quod sessuri super duodecim thronis & judicaturi 12 Tribus Israelis, significetur quod omnes secundum vera & bona Ecclesiæ judicandi sint, ita a Domino a Quo illa, n: 2129. 6397. Quod per DUODECIM significentur omnia in complexu, n: 577. 2089. 2129. 2130. 3272. 3858. 3913. Quod simile per numerum 144, quia est numerus multiplicatus per duodecim in duodecim, n: 7973; quod etiam simile per duodecim millia, n: 7973. Quod omnes Numeri in Verbo significent res, n: 482. 487. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3252. 4264. 6175. 9488. 9659. 10217. 10253. Quod Numeri multiplicati simile significent cum simplicibus, a quibus per multiplicationem exsurgunt, n: 5291. 5335. 5708. 7973. Quod per MENSURAM significetur quale rei quoad verum & bonum, n: 3104. 9603. 10262. Quod per FUNDAMENTA muri significentur cognitiones veri super quibus Doctrinalia fundantur, n: 9642. Quod per QUADRANGULARE seu QUADRATUM significetur perfectum, n: 9717. 9861. Quod per LONGITUDINEM significetur Bonum & ejus extensio, & per LATITUDINEM Verum & ejus extensio, n: 1613. 9487. Quod per LAPIDES PRETIOSOS significentur Vera ex bono, n: 114. 9863. 9865. Quid per Lapides pretiosos in Urim & Thumim in genere & in specie, n: 3862. 9864. 9866. 9905. 9891. 9895. Quid per JASPIDEM, ex quo Murus, n: 9872. Quod per PLATEAM civitatis significetur Verum doctrinæ ex bono, n: 2336. Quod per AURUM significetur Bonum amoris, n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 9510. 9874. 9881. Quod per GLORIAM significetur Divinum Verum quale est in Cœlo, & inde Intelligentia & Sapientia, n: 4809. 5292. 5922. 8267. 8427. 9429. 10574. Quod per GENTES significentur illi in Ecclesia qui in bono sunt, & inde abstracte bona Ecclesiæ, n: 1059. 1159. 1258. 1260. 1288. 1416. 1849. 4574. 7830. 9255. 9256. Quod per REGES significentur illi in Ecclesia qui in veris sunt, & inde abstracte vera Ecclesiæ, n: 1672. 2015. 2069. 4575. 5044. Quod Ritualia circa coronationes Regum involvant talia quæ sunt Divini Veri, de quibus, sed quod cognitio de illis hodie perierit, n: 4581. 4966.

2. Antequam de nova Hierosolyma & ejus Doctrina agitur, aliquid de

Novo Cœlo & de Nova Terra dicetur: in Opusculo de Ultimo Judicio & Babylonia destructa ostensum est, quid intelligitur per Primum cœlum & Primam terram, quæ transiverant; quæ postquam transierant, ita postquam Ultimum Judicium peractum est, Novum Cœlum a Domino creatum, hoc est, formatum est; hoc Cœlum formatum est ab omnibus illis, qui post adventum Domini ad hoc usque tempus vitam fidei & charitatis vixerunt, quoniam hi solum erant formæ Cœli; nam forma Cœli, secundum quam omnes consociationes & communicationes ibi fiunt, est forma Divini Veri ex Divino Bono procedente a Domino, & hanc formam induit homo quoad spiritum suum per vitam secundum Divinum Verum; quod forma Cœli inde sit, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 200 ad 212; & quod omnes Angeli sint formæ Cœli, n: 51 ad 58, & 73 ad 77. Ex his sciri potest, ex quibus Novum Cœlum factum est, inde etiam quale est, quod nempe prorsus unanimum; nam qui vitam fidei & charitatis vivit, is amat alterum sicut semet, & per amorem conjungit eum sibi, & sic vicissim & mutuo; nam amor est conjunctio in spirituali Mundo; quare cum omnes similiter faciunt, tunc ex pluribus, imo ex innumeris consociatis secundum formam Cœli, existit unanimum, & fit sicut unum, nihil enim est quod separat & dividit, sed omne conjungit & unit.

3. Quia hoc Cœlum formatum est ab omnibus, qui tales fuerunt, usque a tempore Domini ad præsens tempus, constat quod tam a Christianis quam a Gentibus; sed quoad maximam partem ab omnium Infantibus in universo terrarum orbe, qui obiverunt a tempore Domini, nam hi omnes recepti sunt a Domino, & educati in Cœlo, ac instructi ab Angelis, & dein conservati, ut Novum Cœlum una cum reliquis constituerent; inde concludi potest, quam magnum est id Cœlum; Quod omnes qui Infantes moriuntur, educentur in Cœlo, & fiant Angeli, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 329 ad 345. Et quod Cœlum formetur æque a Gentibus quam a Christianis, n: 318 ad 328.

4. Porro quod Novum hoc Cœlum attinet, sciendum est, quod id distinctum sit a Cœlis Antiquis, qui nempe fuerunt ante adventum Domini; sed usque illi cum hoc ita ordinati sunt, ut unum Cœlum simul constituant. Quod hoc Novum Cœlum distinctum sit a Cœlis Antiquis, est causa, quia in Antiquis Ecclesiis non alia Doctrina fuit quam Doctrina Amoris & Charitatis, & tunc non sciverunt de aliqua Doctrina fidei separatæ: inde quoque est, quod antiqui Cœli constituant Expansa superiora, Novum autem Cœlum Expansum infra illos, nam Cœli sunt Expansa, unum supra alterum; in supremis Expansis sunt qui Angeli cœlestes vocantur, quorum plerique sunt ex Antiquissima Ecclesia; illi, qui ibi, Angeli cœlestes vocantur ex Amore cœlesti, qui est amor in Dominum; in Expansis sub illis sunt qui Angeli spirituales dicuntur, quorum plerique sunt ex antiqua Ecclesia, illi, qui ibi, Angeli spirituales dicuntur ex Amore spirituali, qui est Charitas erga proximum; sub his sunt Angeli qui in bono fidei sunt, qui sunt qui vitam fidei vixerunt; vitam fidei vivere, est secundum doctrinam suæ Ecclesiæ, at vivere est velle & facere.

At

At usque omnes illi Cœli unum faciunt per influxum mediatum & immediatum a Domino. Sed plenior idea de his Cœlis haberi potest ex illis quæ in Opere de Cœlo & Inferno ostensa sunt, & ibi in Articulo de duobus Regnis, in quæ Cœli in genere distincti sunt, n: 20 ad 28, & in Articulo de Tribus Cœlis, n: 29 ad 40; de Influxu mediato & immediato in collectis ex Arcanis cœlestibus post, n: 603: & de Ecclesiis Antiquissima & Antiqua in Opusculo de Ultimo Judicio & Babylonia destructa, n: 46.

5. Hæc de Novo Cœlo; nunc aliquid de Nova Terra dicetur; per Novam Terram intelligitur Nova Ecclesia in terris, nam cum prior Ecclesia desinit esse, tunc instauratur a Domino Nova; providetur enim a Domino ut semper Ecclesia sit in terris, nam per Ecclesiam est conjunctio Domini cum Humano Genere, ac Cœli cum Mundo, ibi enim est Dominus notus, & ibi sunt Divina Vera per quæ homo conjungitur: quod hodie Nova Ecclesia instauretur, videatur in Opusculo de Ultimo Judicio, n: 74. Quod Nova Ecclesia per Novam Terram significetur, est ex sensu spirituali Verbi, in eo enim sensu non aliqua terra per terram intelligitur, sed ipsa Gens ibi & ejus Cultus Divinus, hoc enim est spirituale loco terræ; præterea per terram absque adjuncto nomine regionis in Verbo terra Canaan intelligitur, & in terra Canaane Ecclesia fuerat ab antiquissimis temporibus, unde factum est, quod omnia loca quæ ibi fuerunt, & quæ undequaque circumjacuerunt, cum montibus & fluviis, quæ in Verbo nominantur, facta sint repræsentativa & significativa talium quæ sunt interna Ecclesiæ, quæ sunt quæ vocantur ejus spiritualia, inde est, quod, ut dictum est, per Terram in Verbo, quia intelligitur terra Canaan, significetur Ecclesia, similiter hic per Novam Terram: ex hoc venit, quod receptum sit in Ecclesia dicere Canaan Cœlestis, ac per illud intelligere Cœlum. Quod per terram Canaan in Verbi sensu spirituali intelligatur Ecclesia, ostensum est variis in ARCANIS COELESTIBUS, ex quibus sequentia afferentur. Quod Antiquissima Ecclesia, quæ fuit ante Diluvium, & Antiqua Ecclesia, quæ fuit post Diluvium, fuerint in terra Canaane, n: 567. 3686. 4447. 4454. 4516. 4517. 5136. 6516. 9327. Quod tunc omnia loca facta sint repræsentativa talium, quæ sunt in Regno Domini & Ecclesia, n: 1505. 3686. 4447. 5136. Quod ideo Abraham illuc ire jussus sit, quoniam apud posteros ejus ex Jacobo Ecclesia Repræsentativa institueretur, ac Verbum conscriberetur, cujus sensus ultimus constaret ex repræsentativis & significativis, quæ ibi, n: 3686. 4447. 5136. 6516. Inde est, quod per Terram & per Terram Canaanem in Verbo significetur Ecclesia, n: 3038. 3481. 3705. 4447. 4517. 5757. 10658.

6. Quid per Hierosolymam in Verbo in ejus sensu spirituali intelligitur, etiam paucis dicetur: per Hierosolymam intelligitur ipsa Ecclesia quoad doctrinam, & hoc ex causa, quia ibi in terra Canaan, & non alibi Templum erat, Altare erat, Sacrificia fiebant, ita ipse cultus Divinus; quare etiam tria Festa quotannis ibi celebrabantur, & ad illa omnis masculus totius Terræ mandatus est ire; inde nunc est, quod per Hierosolymam in sensu spirituali significetur Ecclesia quoad cultum, seu quod idem, quoad doctrinam, nam

cultus præscribitur in doctrina, ac fit secundum illam. Quod dicatur *sancta Civitas, Hierosolyma nova, descendens a Deo e Cœlo*, est quia in sensu Verbi spirituali per Civitatem & Urbem significatur doctrina, ac per sanctam Civitatem doctrina Divini Veri, nam Divinum Verum est quod vocatur sanctum in Verbo; quod dicatur Hierosolyma nova, est ex simili causa ex qua Terra dicitur nova, nam, ut mox supra dictum est, per Terram significatur Ecclesia, & per Hierosolymam illa Ecclesia quoad doctrinam: quod dicatur a Deo e Cœlo descendens, est quia omne Verum Divinum, ex quo doctrina, descendit e Cœlo a Domino. Quod per Hierosolymam non intelligatur Civitas, tametsi ut Civitas visa est, patet manifeste ex eo, quod dicatur quod *Altitudo ejus esset* sicut longitudo & latitudo, 12000 *stadiorum*, Vers: 16; & quod *Mensura muri ejus, quæ 144 cubitorum, esset mensura hominis quæ est Angeli*, Vers: 17; tum quod dicatur, *parata ut Sponsa coram Viro suo*, Vers: 2, & postea, "*Dixit Angelus, veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni, & ostendit mihi Civitatem sanctam, illam Hierosolymam,*" Vers: 9; Ecclesia est quæ in Verbo vocatur sponsa & uxor Domini, sponsa antequam conjungitur, & uxor cum conjuncta est; videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n: 3103. 3105. 3164. 3165. 3207. 7022. 9182.

7. Quod in specie Doctrinam concernit, quæ nunc sequitur, est quoque illa ex Cœlo, quia est ex sensu spirituali Verbi; & sensus spiritualis Verbi est idem cum doctrina quæ est in Cœlo; in Cœlo enim æque ac in terra est Ecclesia, est enim ibi Verbum, est Doctrina ex Verbo, sunt ibi Templa, & in illis fiunt Prædicationes, nam sunt ibi Regimina Ecclesiastica & Civilia, verbo non alia intercedit differentia inter illa quæ in Cœlis sunt & inter illa quæ in terris, quam quod omnia in Cœlis in statu perfectiori sint, quia omnes, qui ibi, spirituales sunt, & spiritualia immensum excedunt naturalia perfectione; quod in Cœlis talia sint, videatur in Opere de Cœlo & Inferno ubivis, in specie in Articulo de Regiminibus in Cœlo, n: 213 ad 220; & in Articulo de cultu Divino ibi, n: 221 ad 227. Ex his constare potest, quid intelligitur per quod sancta Civitas, nova Hierosolyma, visa sit descendere a Deo e Cœlo. Sed accedam ad ipsam DOCTRINAM, quæ pro nova Ecclesia, quæ quia mihi revelata est e Cœlo, DOCTRINA CŒLESTIS vocatur; nam hanc dare, hujus Operis institutum est.

Prologus ad Doctrinam.

8. *QUOD finis Ecclesiæ sit, quando nulla fides quia nulla charitas, ostensum est in Opusculo de Ultimo Judicio & Babylonia destructa, n: 33 ad 39 seq: Quia nunc Ecclesiæ in Christiano Orbe se distinxerant solum per talia quæ Fidei sunt, & usque Fides nulla est ubi non Charitas, ideo velim hic ante ipsam Doctrinam præmittere aliqua de Doctrina Charitatis apud Antiquos: dicitur,* Ecclesiæ in Christiano Orbe, *& per illas intelliguntur Ecclesiæ apud Reformatos seu Evangelicos, non autem apud Pontificios, quoniam ibi non Ecclesia Christiana est; nam ubi Ecclesia ibi adoratur Dominus, & legitur Verbum; aliter apud illos, ibi adorantur ipsi loco Domini, & Verbum inhibetur legi a populo, ac dictamen Papæ ponitur ei æquale, imo supra id.*

9. *Doctrina Charitatis, quæ est Doctrina vitæ, fuit ipsa Doctrina in Antiquis Ecclesiis, de quibus Ecclesiis videatur in* ARCANIS CŒLESTIBUS, *n:* 1238. 2385; *& illa Doctrina conjunxit omnes Ecclesias, ac ita ex pluribus unam fecit: pro hominibus enim Ecclesiæ agnoverunt omnes illos qui in bono charitatis vixerunt, & vocaverunt fratres, utcunque præterea in veris, quæ hodie fidei dicuntur, discreparent; in his unus alterum instruxit, quod erat inter opera eorum charitatis; & quoque non indignati sunt, si unus ad alterius sententiam non accederet, scientes quod quisque tantum veri recipiat, quantum in bono est. Quia tales fuerunt Antiquæ Ecclesiæ, idcirco interiores homines fuerunt, & quia interiores, fuerunt sapientiores; nam qui in bono amoris & charitatis sunt, illi quoad Internum hominem in Cælo sunt, & ibi quoad illum in Societate angelica quæ in simili bono; inde elevatio mentis eorum ad interiora, & consequenter illis sapientia; aliunde enim sapientia non venire potest quam e Cælo, hoc est, per Cælum a Domino; ac in Cælo est sapientia, quia ibi in bono sunt: sapientia est videre verum ex luce veri, & lux veri est lux quæ in Cælo est. Sed sapientia illa antiqua successu temporis decrevit; quantum enim Genus Humanum a bono amoris in Dominum, & amoris erga proximum, qui amor vocatur Charitas, se removit, tantum etiam a sapientia, quia tantum se removit a Cælo: inde est, quod homo ab Interno factus sit Exter-*

nus, & hoc successive; & cum homo factus est Externus, etiam factus est Mundanus & Corporeus; & cum talis est, parum curat quæ Cæli sunt, nam tunc occupant illum totum jucunda amorum terrestrium, & cum illis mala, quæ homini ex amoribus illis jucunda sunt, & tunc illa quæ audit de Vita post mortem, de Cælo & Inferno, verbo de Spiritualibus, sunt quasi extra illum, & non intra illum ut tamen oportet esse. Inde quoque est, quod Doctrina charitatis, quæ tanti pretii fuerat apud Antiquos, hodie inter res deperditas sit; quis enim hodie novit, quid in genuino sensu est Charitas, & quid in genuino sensu est Proximus, cum tamen illa Doctrina non modo id docet, sed insuper innumera, quorum non millesima pars hodie scitur: tota Scriptura Sacra non aliud est quam Doctrina Amoris & Charitatis, quod etiam Dominus docet, dicendo, "Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; hoc est primarium & magnum Mandatum: Secundum simile est illi, amabis Proximum tuum sicut teipsum: ex his duobus Mandatis Lex & Prophetæ pendent," Matth: XXII: 37. 38. 39. Lex & Prophetæ sunt Verbum in omnibus & singulis.

10. *In sequentibus adjicientur singulis Doctrinalibus Collecta ex* ARCANIS COELESTIBUS, *quia in his eadem amplius explicata sunt.*



De

De Bono & Vero.

11. OMNIA in Universo, quæ sunt secundum Divinum Ordinem, se referunt ad Bonum & Verum; nihil datur in Cœlo, & nihil in Mundo, quod non ad duo illa se refert: causa est, quia utrumque, tam Bonum quam Verum, procedit a Divino, a Quo omnia.

12. Inde patet, quod nihil magis sit necessarium homini, quam ut sciat quid bonum & quid verum, & quomodo unum spectat alterum, ac quomodo unum conjungitur alteri; maxime autem necessarium est homini Ecclesiæ, nam sicut omnia Cœli se referunt ad Bonum & Verum, ita quoque omnia Ecclesiæ, quia bonum & verum Cœli sunt quoque bonum & verum Ecclesiæ. Hæc causa est, quod exordium fiat a Bono & Vero.

13. Secundum Divinum Ordinem est, ut Bonum & Verum conjuncta sint, & non separata, ita ut sint unum & non duo; conjuncta enim procedunt a Divino, & conjuncta sunt in Cœlo, ac ideo conjuncta erunt in Ecclesia. Conjunctio boni & veri vocatur in Cœlo Conjugium cœleste, nam in hoc Conjugio sunt omnes qui ibi: inde est, quod in Verbo Cœlum comparetur Conjugio, & quod Dominus dicatur Sponsus & Maritus, Cœlum autem Sponsa & Uxor, similiter Ecclesia: quod Cœlum & Ecclesia ita dicantur, est quia illi, qui ibi, recipiunt Divinum Bonum in Veris.

14. Omnis Intelligentia & Sapientia, quæ est Angelis, est ex illo Conjugio, & non aliqua ex Bono separato a Vero, nec a Vero separato a Bono: simile est hominibus Ecclesiæ.

15. Quia Conjunctio boni & veri est instar Conjugii, patet quod bonum amet verum, & vicissim verum amet bonum, & quod unum desideret cum altero conjungi: homo Ecclesiæ, cui non talis amor est & tale desiderium, non est in Conjugio cœlesti, ita non est in illo adhuc Ecclesia; nam conjunctio boni & veri facit Ecclesiam.

16. Bona sunt multiplicia; in genere est Bonum spirituale & Bonum naturale, ac utrumque conjunctum in genuino Bono morali: sicut sunt Bona, ita quoque sunt Vera, quia Vera sunt boni, & sunt formæ boni.

17. Sicut est cum Bono & Vero, ita ex opposito est cum Malo & Falso; quod nempe sicut omnia in Universo, quæ sunt secundum Divinum Ordinem, se referunt ad bonum & verum, ita omnia quæ sunt contra Divinum Ordinem, se referant ad malum & falsum. Tum quod sicut bonum amat conjungi vero, ac vicissim, ita malum amet conjungi falso, ac vicissim. Ut &, sicut omnis intelligentia & sapientia nascitur ex conjunctione boni & veri, ita omnis insania & stultitia ex conjunctione mali & falsi. Conjunctio mali & falsi vocatur Conjugium infernale.

18. Ex eo, quod malum & falsum sint opposita bono & vero, patet, quod verum non conjungi possit malo, nec bonum falso mali; si verum adjungitur malo, non amplius fit Verum, sed falsum, quia falsificatum; & si bonum adjungitur falso mali, non amplius fit bonum, sed malum, quia adulteratum. At falsum non mali potest conjungi bono.

19. Nemo qui in malo & inde falso est ex confirmatione & vita, potest scire quid bonum & verum, quoniam malum suum credit esse bonum, ac inde falsum suum credit esse verum; at omnis qui in bono & inde vero est ex confirmatione & vita, potest scire quid malum & falsum: causa est, quia omne bonum & ejus verum est in sua essentia cœleste, & quod non in sua essentia est cœleste, est usque ex origine cœlesti; omne autem malum & ejus falsum est in sua essentia infernale, & quod non in sua essentia est infernale, est usque ex origine inde; ac omne Cœleste est in luce, at omne Infernale in tenebris.

Ex Arcanis Cœlestibus.

20. QUOD omnia & singula in Universo se referant ad Bonum & Verum, & ad Malum & Falsum, illa quæ secundum Divinum Ordinem sunt & fiunt, ad Bonum & Verum, illa autem quæ contra Divinum Ordinem, ad Malum & Falsum, n: 2451. 3166. 4390. 4409. 5232. 7256. 10122. Ita apud hominem ad Intellectum & Voluntatem, quoniam Intellectus hominis est recipiens veri aut falsi, ac Voluntas recipiens boni aut mali, n: 10122. Quod hodie a paucis sciatur quid Verum in sua genuina essentia, quia parum scitur quid Bonum, cum tamen omne verum est a bono, & omne bonum per vera, n: 2507. 3603. 4136. 9186. 9995.

 Quod

Quod ſint quatuor Genera hominum; 1. Quod ſint qui in falſis ſunt ex malo, & qui in falſis ſunt non ex malo. 2. Quod ſint qui in Veris ſunt abſque bono. 3. Quod ſint qui in Veris ſunt, & per illa ſpectant & tendunt ad Bonum. 4. Quod ſint qui in Veris ſunt ex Bono: ſed de ſingulis in ſpecie.

21. *De illis qui in falſis ſunt ex malo; & qui in falſis non ex malo: ita de falſis ex malo, & de falſis ex non malo.* Quod innumerabilia genera falſi ſint, quot nempe mala; & quod origines malorum & inde falſorum ſint plures, n: 1188. 1212. 4729. 4822. 7574. Quod ſit falſum ex malo, ſeu falſum mali; & quod ſit malum ex falſo ſeu malum falſi, ac iterum inde falſum, ita derivative, n: 1679. 2243. Quod ex uno falſo, imprimis ſi loco principii ſit, fluant falſa in continua ſerie, n: 1510. 1511. 4717. 4721. Quod ſit falſum ex cupiditatibus amoris ſui & mundi; & quod ſit falſum ex fallaciis ſenſuum, n: 1295. 4729. Quod ſint falſa religionis; & quod ſint falſa ignorantiæ, n: 4729. 8318. 9258. Quod ſit falſum in quo bonum, & falſum in quo non bonum, n: 2863. 9304. 10109. 10302. Quod ſit falſificatum, n: 7318. 7319. 10648. Quod omne malum ſecum habeat falſum, n: 7577. 8094. Quod falſum ex cupiditatibus amoris ſui ſit ipſum falſum mali, & quod inde peſſima genera falſorum, n: 4729.

Quod malum ſit grave, & ex ſe delabatur in infernum, non autem falſum niſi ex malo, n: 8279. 8298. Quod bonum vertatur in malum, & verum in falſum, cum delabitur e Cœlo in Infernum, quia ſic quaſi in craſſam & impuram athmoſphæram, n: 3607. Quod falſa ex malo appareant ſicut nimbi & ſicut aquæ impuræ ſupra Inferna, n: 8217. 8138. 8146. Quod qui in Infernis ſunt, loquantur falſa ex malo, n: 1695. 7351. 7352 7357. 7392. 7698. Quod qui in malo ſunt, non poſſint niſi falſum, dum ex ſe, cogitare, n: 7437. plura de malo falſi, n: 2408. 4818. 7272. 8266. 8279: Et de falſo mali, n: 6359. 7272. 9304. 10302.

Quod omne falſum confirmari poſſit, & cum confirmatum eſt appareat ut verum, n: 5033. 6865. 8521. 8780. Quod ideo explorandum num verum ſit antequam confirmatur, n: 4741. 7012. 7680. 7950. 8521. Quod cavendum ſit ne falſa religionis confirmentur, quia inde perſuaſio falſi, quæ homini poſt mortem, n: 845. 8780. Perſuaſio falſi quam damnoſa, n: 794. 806. 5096. 7686.

Quod bonum influere in vera nequeat, quamdiu homo in malo eſt; n: 2434. Quod bona & vera tantum removeantur ab homine, quantum is in malo & inde falſis eſt; n: 3402. Quod quam maxime præcaveatur a Domino, ne verum conjungatur malo, ac falſum mali bono, n: 3110. 3116. 4416. 5217. Quod ex commixtione illa prophanatio, n: 6348. Quod vera extermineant falſa, & falſa vera, n: 5207. Quod vera penitius recipi nequeant, quamdiu regnat incredulitas; n: 3399.

Quod vera falſificari poſſint, quomodo, ab exemplis, n: 7318. Quod malis liceat falſificare vera, cauſæ, n: 7332. Quod vera falſificentur a malis, per quod applicentur, & ſic deducantur ad malum, n: 8094. 8149.

Verum

Verum falsificatum dicitur, quod applicatum est malo, quod fit imprimis per fallacias & per apparentias in externis, n : 7344. 8602. Quod malis liceat aggredi verum, non autem bonum, quia verum possunt per varias interpretationes & applicationes falsificare, n : 6677. Quod verum falsificatum ex malo sit contra verum & bonum, n : 8602. Quod verum ex malo falsificatum graviter puteat in altera vita, n : 7319. plura de falsificatione veri, n : 7318. 7319. 10648.

Quod falsa religionis dentur, quæ concordant cum bono, & quod dentur quæ discordant, n : 9259. Quod falsa religionis, si non discordant cum bono, non producant malum, solum apud illos qui in malo sunt, n : 8318. Quod falsa religionis non imputentur illis qui in bono sunt, sed illis qui in malo, n : 8051. 8149. Quod vera non genuina, & quoque falsa consociari possint cum veris genuinis apud illos qui in bono sunt, non autem apud illos qui in malo, n : 3470. 3471. 4551. 4552. 7344. 8149. 9298. Quod falsa & vera consocientur per apparentias ex sensu literæ Verbi, n : 7344. Quod falsa verificentur a bono, & mollescant, quia applicantur & deducuntur ad bonum, & removetur malum, n : 8149. Quod falsa religionis apud illos qui in bono sunt, recipiantur a Domino ut vera, n : 4736. 8149. Quod bonum, cujus quale est a falso religionis, acceptetur a Domino, si ignorantia sit, & in illa innocentia, ac finis bonus, n : 7887. Quod vera apud hominem sint apparentiæ veri & boni imbutæ fallaciis, sed quod usque Dominus adaptet illa genuinis veris apud hominem qui in bono vivit, n : 2053. Quod falsa in quibus bonum, dentur apud illos qui extra Ecclesiam sunt, & inde in ignorantia veri, etiam apud illos qui intra Ecclesiam sunt, ubi falsa doctrinæ, n : 2589 ad 2604. 2861. 2863. 3263. 3778. 4189. 4190. 4197. 6700. 9256. Quod falsa in quibus non bonum, graviora sint apud illos qui intra Ecclesiam sunt, quam apud illos qui extra Ecclesiam, n : 7688. Quod vera & bona auferantur malis in altera vita, ac dentur bonis, secundum Domini verba, *Ei, qui habet, dabitur ut abundet, & ei, qui non habet, auferetur quod habet*, n : 7770.

22. *De illis qui in veris sunt & non in bono; ita de veris absque bono.* Quod vera absque bono non in se sint vera, quia non habent vitam, omnis enim vita veris est a bono, n : 3603. Ita quod sint quasi corpus absque anima, n : 3180. 9454. Quod cognitiones veri & boni, quæ modo in memoria & non in vita sunt, credantur illis esse vera, n : 5276. Quod vera non approprientur homini, nec fiant ejus, quæ modo scit, & agnoscit ex causis quæ procedunt ex amore sui & mundi, n : 3402. 3834. Sed quod approprientur quæ agnoscit propter ipsum verum & bonum, n : 3849. Quod vera absque bono non acceptentur a Domino, n : 4368 : nec salvent, n : 2261. Quod illi qui in veris absque bono sunt, non ab Ecclesia sint, n : 3963. Quod nec possint regenerari, n : 10637. Quod Dominus non influat in vera, nisi quam per bonum, n : 10367.

De separatione veri a bono, n : 5008. 5009. 5022. 5028. Quale verum absque bono, & quale ex bono, n : 1949. 1950. 1964. 5951 : ex comparativis,

rativis, n: 5830. Quod verum absque bono sit morosum, n: 1949. 1950. 1951. 1964. Quod in Mundo spirituali appareat durum, n: 6359. 7068: & acuminatum, n: 2799. Quod verum absque bono sit sicut lux hyemis, in qua omnia telluris torpent, & nihil producitur: at quod verum ex bono sit sicut lux veris & æstatis, in qua omnia florent & producuntur, n: 2231. 3146. 3412. 3413. Quod lux talis hyemalis vertatur in densas tenebras, cum influit lux e Cœlo, & quod illi tunc, qui in illis veris sunt, in cæcitatem & stupiditatem veniant, n: 3412. 3413.

Quod qui vera a bono separant, in tenebris sint, & in ignorantia veri ac in falsis, n: 9186. Quod se conjiciant a falsis in mala, n: 3325. 8094. Errores & falsa, in quæ se conjiciunt, n: 4721. 4730. 4776. 4783. 4925. 7779. 8313. 8765. 9221. Quod Verbum illis occlusum sit, n: 3773. 4783. 8780. Quod non videant & attendant ad omnia illa, quæ Dominus loquutus de amore & charitate, ita de bono, n: 3051. 3416. Quod nesciant quid bonum, ita quid amor cœlestis & charitas, n: 2507. 3603. 4136. 9995. Qui vera fidei sciunt, & male vivunt, quod in altera vita abutantur veris ad dominandum, quales illi, & qualis sors illorum ibi, n: 4802.

Quod Verum Divinum damnet ad infernum, at Divinum Bonum elevet ad cœlum, n: 7258. Quod Verum Divinum terreat, non Divinum Bonum, n: 4180. Quid sit judicari ex Vero, & judicari ex bono, n: 2335.

23. *De illis qui in veris sunt, & per illa spectant & tendunt ad bonum; ita de veris per quæ bonum.* Quod homo amat hoc vult, & quod homo amat aut vult, hoc cogitat & confirmat variis: quod homo amat aut vult, hoc vocatur bonum, & quod homo inde cogitat & confirmat variis, hoc vocatur verum, n: 4070. Inde nunc, quod verum fiat bonum, cum fit amoris seu voluntatis, seu cum homo amat & vult illud, n: 5526. 7835. 10367. Et quia amor seu voluntas est ipsa vita hominis, quod verum non vivat apud hominem, cum modo scit illud & cogitat illud, sed cum amat & vult illud, & ex amore & voluntate facit illud, n: 5595. 9284. Quod vera inde accipiant vitam, ita ex bono, n: 2434. 3111. 3607. 6077. Proinde quod vita veris sit ex bono, & nulla vita veris absque bono, n: 1589. 1947. 1997. 2579. 3180. 4070. 4096. 4097. 4736. 4757. 4884. 5147. 5928. 9154. 9667. 9841. 10729: illustratum n: 9454. Quando vera dicenda vitam adepta, n: 1928. Quod verum, cum conjungitur bono, approprietur homini, quia fit ejus vitæ, n: 3108. 3161. Ut verum conjungatur bono, erit consensus ab intellectu & voluntate, cum quoque a voluntate, quod tunc conjunctio, n: 3157. 3158. 3161.

Quod vera, cum regeneratur homo, intrent cum jucundo affectionis, quia amat facere illa, & quod reproducantur cum eadem affectione, quia cohærent, n: 2484. 2487. 3040. 3066. 3074. 3336. 4018. 5893. 7967. Quod affectio quæ amoris se semper adjungat veris secundum usus vitæ, & quod affectio illa reproducatur cum veris, ac vera reproducantur cum affectione, n: 3336. 3824. 3849. 4205. 5893. 7967. Quod bonum non aliud pro vero agnoscat, quam quod concordat cum affectione quæ amoris, n: 3161. Quod vera

vera introducantur per jucunda & amæna convenientia, n: 3502. 3512. Quod omnis affectio veri genuina sit ex bono, & secundum id, n: 4373. 8349. 8356. Quod sic insinuatio & influxus boni in vera, ac conjunctio, n: 4301. Et quod sic vita veris, n: 7917. 7967.

Quia affectio quæ amoris se semper adjungit veris secundum usus vitæ, quod bonum agnoscat suum verum, ac verum suum bonum, n: 2429. 3101. 3102. 3161. 3179. 3180. 4358. 5407. 5835. 9637. Quod inde conjunctio veri & boni, de qua, n: 3834. 4096. 4097. 4301. 4345. 4353. 4364. 4368. 5365. 7623 ad 7627. 7752 ad 7762. 8530. 9258. 10555. Quod etiam vera se agnoscant, ac mutuo consocientur, n: 9079: Et quod hoc sit ex influxu Cœli, n: 9079.

Quod bonum sit Esse vitæ, ac verum Existere vitæ inde, & quod sic bonum suum Existere vitæ habeat in Vero, ac Verum suum Esse vitæ in bono, n: 3049. 3180. 4574. 5002. 9144. Inde quod omne bonum habeat suum verum, & omne verum suum bonum, quia bonum absque vero non Existit, & verum absque bono non Est, n: 9637. Tum quod bonum habeat suam formam & suum quale a veris, ita quod verum sit forma & quale boni, n: 3049. 4574. 6951. 9454. Et quod sic verum & bonum debeant esse conjuncta, ut sint aliquid, n: 10555. Quod inde bonum in perpetuo conatu & desiderio sit conjungendi sibi vera, n: 9206. 9495: illustratum, n: 9207. Et quod vera se vicissim cum bono, n: 9206. Quod conjunctio reciproca sit, boni cum vero, & veri cum bono, n: 5365. 8516. Quod bonum agat & verum reagat sed ex bono, n: 3155. 4380. 4757. 5928. 10729. Quod vera spectent suum bonum ut principium & finem, n: 4353.

Quod conjunctio veri cum bono se habeat sicut progressio vitæ hominis ab infantia, quod primum hauriat vera scientifice, dein rationaliter, demum faciat illa suæ vitæ, n: 3025. 3665. 3690. Etiam sicut cum prole, quod concipiatur, sit in utero, nascatur, adolescat, sapiat, n: 3298. 3299. 3308. 3665. 3690. Quod etiam se habeat sicut cum seminibus & humo, n: 3671. Et sicut cum aqua ad panem, n: 4976. Quod prima affectio veri non sit genuina, sed quod sicut homo perficitur, purificetur, n: 3040. 3089. Quod usque bona & vera non genuina inserviant introducendis bonis & veris genuinis, & quod priora postea relinquantur, n: 3665. 3690. 3974. 3982. 3986. 4145.

Porro, quod homo ducatur per vera ad bonum, & non absque veris, n: 10124. 10367. Si homo non addiscit seu recipit vera, quod bonum non influere possit, ita quod homo non fieri possit spiritualis, n: 3387. Quod conjunctio boni & veri fiat secundum incrementum cognitionum, n: 3141. Quod vera recipiantur a quolibet secundum captum, n: 3385.

Quod vera naturalis hominis sint scientifica, n: 3293. 3309. 3310. Quod scientifica & cognitiones sint sicut vasa, n. 6004. 6023. 6052. 6071. 6077. Quod vera sint vasa boni, quia recipientia, n: 1946. 1900. 2063. 2261. 2269. 3318. 3368. 3365.

Quod

Quod bonum influat per viam internam seu animæ apud hominem, vera autem per viam externam seu auditus & visus, & quod conjungantur in interioribus ejus a Domino, n: 3030 3098. Quod vera eleventur e naturali homine, ac implantentur bono in spirituali, & quod sic vera fiant spiritualia, n: 3085. 3086. Et quod postea inde influant in naturalem hominem, bonum spirituale in bonum naturalis immediate, in verum autem naturalis mediate, n: 3314. 3573. 4563: illustratum n: 3314. 3616. 3576. 3969. 3995. Verbo, quod vera tantum & taliter conjungantur bono apud hominem, quantum & qualiter homo est in bono quod vitam, n: 3834 3843. Quod conjunctio aliter fiat apud cœlestes, aliter apud spirituales, n: 10124. Plura de conjunctione boni & veri, & quomodo fit, n: 3090. 3203. 3308. 4096. 4097. 4345. 4353. 5365. 7623 ad 7627. Et quomodo bonum spirituale per vera formatur, n: 3470. 3570.

24. *De illis qui in veris sunt ex bono; ita de veris ex bono.* Verum quod ducit ad bonum, & quod procedit ex bono, quæ differentia, n: 1063. Quod verum non sit verum essentialiter nisi quantum a bono procedit, n: 4736. 10619; quoniam verum habet suum Esse a bono, n: 3049. 3180. 4574. 5002. 9144: & suam vitam, n: 3111. 2434. 6077: & quia verum est forma seu quale boni, n: 3049. 4574. 6951. 9454. Quod verum sit prorsus sicut bonum apud hominem, in simili ratione & simili gradu, n: 2429. Quod verum ut sit verum, trahet suam essentiam a bono charitatis & innocentiæ, n: 3111. 6013. Vera quæ ex bono quod sint vera spiritualia, n: 5951.

Quod verum cum bono unum faciat, cum procedit a bono, usque adeo ut utrumque simul sit unum bonum, n: 4332. 7835. 10252. 10266. Quod intellectus & voluntas unam mentem ac unam vitam faciant, cum intellectus procedit a voluntate, quoniam intellectus est recipiens veri, ac voluntas boni, non autem cum homo aliter cogitat & loquitur, quam vult, n: 3623. Quod verum ex bono, sit verum voluntate & actu, n: 4337. 4353. 4385. 4390. Cum verum procedit ex bono, quod bonum in vero habeat imaginem sui, n: 3180.

Quod in universo cœlo & mundo, ac in singulis eorum sit instar conjugii, n: 54. 718. 749. 917. 1432. 2173. 2516. 5194. Imprimis inter verum & bonum, n: 1094. 2173. 2503. Quoniam omnia in universo se referunt ad verum & ad bonum, ut sint aliquid, & ad conjunctionem eorum, ut producatur aliquid, n: 2451. 3166. 4390. 4409. 5232. 7256. 10122. 10555. Quod Antiqui etiam instituerint conjugium inter verum & bonum, n: 1904. Quod lex conjugii sit, ut duo unum sint, secundum verba Domini, n: 10130. 10168. 10169. Quod etiam amor vere conjugialis ex conjugio veri & boni e cœlo descendat & existat, n: 2728. 2729.

Quod homo tantum sapiat, quantum in bono est & inde veris, non autem quantum scit vera & non est in bono, n: 3182. 3190. 4884. Quod homo, qui in veris ex bono est, actualiter elevetur e luce mundi in lucem cœli, ita ex obscuro in clarum; vicissim autem, quod sit in luce mundi & in obscuro,

quamdiu ſcit vera & non in bono eſt, n: 3190. 3191. Quod homo nec ſciat quid bonum, priuſquam eſt in illo, & ex illo, n: 3325. 3330. 3336. Quod vera creſcant in immenſum, cum procedunt ex bono, n: 2846. 2847. 5345, de qua creſcentia, n: 5355. Quod creſcentia illa ſe habeat, ſicut fructificatio ex arbore, & multiplicatio ex ſeminibus, ex quibus integri horti, n: 1873. 2846. 2847. Quod etiam tantum ſapientia creſcat, & hoc in æternum, n: 3200. 3314. 4220. 4221. 5527. 5859. 6303. Quod etiam homo, qui in veris ex bono eſt, tantum illuſtretur, ac quod tantum in illuſtratione ſit cum legit Verbum, n: 9382. 10548. 10549. 10550. 10691. 10694. Quod bonum amoris ſit inſtar ignis, ac verum inde ſit ſicut lux ex illo igne, n: 3195. 3222. 5400. 8644. 9399. 9548. 9684. Quod vera ex bono in cœlo etiam luceant, n: 5219. Quod vera ex bono, per quæ ſapientia, creſcant ſecundum quale & quantum amoris boni, ac viciſſim falſa ex malo ſecundum quale & quantum amoris mali, n: 4099. Quod homo, qui in veris ex bono eſt, in intelligentiam & ſapientiam angelicam veniat, & quod illa in interioribus ejus lateat, quamdiu vivit in mundo, ſed quod aperiatur in altera vita, n: 2494. Quod homo, qui in veris ex bono eſt, poſt mortem fiat angelus, n: 8747.

Quod vera ex bono ſe habeant ſicut generationes, n: 9079. Quod diſponantur in ſeries, n: 5339. 5343. 5530. 7408. 10303. 10308. Ordinatio verorum ex bono comparata cum fibris & vaſis ſanguineis in corpore, & inde texturis & formis, ſecundum uſus vitæ, n: 3470. 3570. 3579. 9454. Quod vera ex bono forment quaſi civitatem, & hoc ex influxu cœli, n: 3584. Quod in medio ſint vera, quæ principalis amoris ſunt, & reliqua inde remota ſecundum gradus diſconvenientiæ, n: 3993. 4551. 4552. 5530. 6028. Viciſſim apud malos, n: 4551. 4552. Quod vera, cum procedunt ex bono, ordinentur in formam cœli, n: 4302. 4704. 5339. 5343. 6028. 10303: & hoc ſecundum ordinem, in quo ſunt ſocietates angelicæ, n: 10303. Quod omnia vera, cum procedunt a bono, affinitate quadam inter ſe conjuncta ſint, & quod ſe habeant ſicut derivationes familiarum ex uno patre, n: 2863. Quod omne verum etiam habeat ſphæram extenſionis in cœlum ſecundum quale & quantum boni ex quo, n: 8063. Quod conjugium boni & veri ſit Eccleſia & Cœlum apud hominem, n: 2231. 7752. 7753. 9224. 9795. 10122. De jucunditate & felicitate illorum, apud quos bonum eſt in veris, n: 1470.

Quod vera ex bono conjuncta ſiſtant imaginem hominis, n: 8370. Quod homo non ſit niſi quam ſuum bonum & inde verum, aut malum & inde falſum, n: 10298.

In ſumma. Quod per vera ſit fides, n: 4353. 4997. 7178. 10367. Quod per vera charitas erga proximum, n: 4368. 7623. 7624. 8034. Quod per vera amor in Dominum, n: 10143. 10153. 10310. 10578. 10648. Quod per vera conſcientia, n: 1077. 2053. 9113. Quod per vera innocentia, n: 3183. 3495. 6013. Quod per vera purificatio a malis, n: 2799. 5954. 7044. 7918. 9089. 10229. 10237. Quod per vera regeneratio, n: 1555. 1904.

2046. 2189. 9088. 9959. 10028. Quod per vera intelligentia & sapientia, n: 3182. 3190. 3387. 10064. Quod per vera pulchritudo Angelis, ita hominibus quoad interiora quæ sunt spiritus eorum, n: 553. 3080. 4983. 5199. Quod per vera potentia contra mala & falsa, n: 3091. 4015. 10485. Quod per vera ordo qualis in cœlo, n: 3316. 3417. 3570. 4704. 5339. 5343. 6028. 10303. Quod per vera Ecclesia, n: 1798. 1799. 3963. 4468. 4672. Quod per vera Cœlum homini, n: 1690. 9832. 9931. 10303. Quod per vera homo fiat homo, n: 3175. 3387. 8370. 10298. Verumtamen omnia illa per vera ex bono, & non per vera absque bono; & bonum a Domino, n: 2434. 4070. 4736. 5147. Quod omne bonum sit a Domino, n: 1614. 2016. 2904. 4151. 9981.

25. *Quod omne bonum & verum sit a Domino.* Quod Dominus sit ipsum Bonum & ipsum Verum, n: 2011. 4151. 10336. 10619. Quod Dominus quoad utrumque & Divinum & Humanum sit Divinum Bonum Divini Amoris, & quod ab Illo procedat Divinum Verum, n: 3704. 3712. 4180. 4577. Quod a Divino Bono Domini procedat Divinum Verum, comparative sicut lux a sole, n: 3704. 3712. 4180. 4577. Quod Divinum Verum procedens a Domino appareat in cœlis ut Lux, & sistat omnem lucem cœli, n: 3195. 3222. 5400. 8694. 9399. 9548. 9684. Quod Lux cœli, quæ est Divinum Verum unitum Divino Bono, illuminet angelorum & spirituum & visum & intellectum, n: 2776. 3138. Quod Cœlum in luce & calore sit quia in vero & bono, quoniam Divinum Verum ibi est Lux; & Divinum Bonum ibi est Calor, n: 3643. 9399. 9401, & in Opere de Cœlo & Inferno n: 126 ad 140. Quod Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini formet & ordinet Cœlum angelicum, n: 3038. 9408. 9613. 10716. 10717. Quod Divinum Bonum unitum Divino Vero, quod est in cœlis, dicatur Divinum Verum, n: 10196.

Quod Divinum Verum procedens a Domino sit unicum reale, n: 6880. 7004. 8200. Quod per Divinum Verum omnia facta & creata sint, n: 2803. 2884. 5272. 7835. Quod etiam Divino Vero sit omnis potentia, n: 8200.

Quod homo ex se nihil boni facere, & nihil veri cogitare possit, n: 874. 875. 876. Quod Rationale hominis ex se non percipere possit Divinum Verum, n: 2196. 2203. 2209. Quod vera quæ non a Domino, sint ex proprio hominis, & quod non vera sint, sed modo appareant ut vera, n: 8868.

Quod omne bonum & verum sit a Domino, & nihil ab homine, n: 1614. 2016. 2904. 4151. 9981. Quod bona & vera tantum bona & vera sint, quantum in se habent Dominum, n: 2904. 3051. 8478. De Divino Vero immediate procedente a Domino, & de Divino Vero mediate per angelos, & de eorum influxu apud hominem, n: 7055. 7056. 7058. Quod Dominus influat in bonum apud hominem, & per bonum in vera, n: 10153. Quod influat per bonum in vera omnis generis, maxime in vera genuina, n: 2531. 2554. Quod Dominus non influat in vera separata a bono, & quod non

detur paralelismus inter Dominum & hominem quoad illa, sed quoad bonum, n: 1831. 1832. 3514. 3564.

Facere bonum & verum propter bonum & verum, quod sit amare Dominum & amare proximum, n: 10336. Quod, qui in interno Verbi, Ecclesiæ, & Cultus sunt, ament facere bonum & verum propter bonum & verum, qui autem in externo illorum absque interno sunt, quod ament facere bonum & verum propter se & mundum, n: 10662. Quid sit facere bonum & verum propter bonum & verum, illustratum per exempla, n: 10682.

26. *De variis Bonis & Veris.* Quod infinita varietas sit, & nusquam aliquid idem cum altero, n: 7236. 9002. Quod in cœlis etiam infinita varietas sit, n: 684, 690. 3744. 5598. 7236. Quod varietates in cœlis sint varietates boni; & quod inde distinctio omnium ibi; n: 3519. 3744. 3804. 3986. 4005. 4067. 4149. 4263. 7236. 7833. 7836. 9002. Quod illæ varietates sint ex veris, quæ multiplicia, per quæ bonum cuivis, n: 3470. 3519. 3804. 4149. 6917. 7236. Quod inde omnes societates angelicæ in cœlis, & unusquisque angelus in societate, inter se distincti sint, n: 690. 3241. 3519. 3804. 3986. 4067. 4149. 4263. 7236. 7833. 7836. Sed quod usque unum agant per Amorem a Domino, & per quod spectent unum finem, n: 457. 3986.

Quod bona & vera in genere secundum gradus distinguantur in naturalia, spiritualia, & cœlestia, n: 2069. 3240. Quod tres gradus boni & inde veri sint in communi secundum tres cœlos, n: 4154. 9873. 10296. Quod triplicis generis bona & inde vera sint in Interno homine, & totidem in Externo, n: 4154. Quod sit bonum naturale, bonum civile, & bonum morale, n: 3768. Quod bonum naturale, in quod aliqui nascuntur, non sit bonum in altera vita, nisi fiat bonum spirituale, n: 2463. 2464. 2468. 3408. 3469. 3470. 3508. 3518. 7761. De bono naturali spirituali, & non spirituali, n: 4988. 4992. 5032. Quod sit verum intellectuale, & quod sit verum scientificum, n: 1904. 1911. 2503.

27. *Quod sapientia sit ex bono per vera.* Quomodo concipitur & nascitur rationale apud hominem, n: 2094. 2574. 2557. 3030. 5126. Quod per influxum Domini per cœlum, in cognitiones & scientias quæ apud hominem, & inde elevationem, n: 1895. 1896. 1900. 1901. Quod elevatio sit secundum usus & eorum amorem, n: 3074. 3085. 3086. Quod rationale nascatur per vera, inde qualia illa sunt, tale rationale, n: 2094. 2524. 2557. Quod rationale per vera ex bono aperiatur & formetur, & quod per falsa ex malo claudatur & destruatur, n: 3108. 5126. Quod homo non rationalis sit per id quod ratiocinari queat de quacunque re, sed quod videre & percipere possit num verum sit vel non, n: 1944. Quod homo non nascatur in aliquod verum, quia non in bonum, sed quod omne addiscet & imbuet, n: 3175. Quod homo ægre recipere possit vera genuina, & sic sapere, propter fallacias sensuum & persuasiones falsi, & inde ratiocinia & dubia, n: 3175. Quod homo tunc incipiat sapere, cum incipit aversari ratiocinia contra vera, & rejicere dubia, n: 3175. Quod rationale humanum non illustratum irrideat vera

interiora,

interiora, ab exemplis, n : 2654. Quod vera interiora apud hominem dicantur quum implantata sunt vitæ ejus, & non inde quod sciat illa, tametsi forent vera quæ vocantur interiora, n : 10199.

Quod in bono sit facultas sapiendi, inde qui in bono vixerunt in mundo, in sapientiam angelicam veniunt post excessum e mundo, n : 5527. 5859. 8321. Quod in unoquovis bono innumerabilia insint, n : 4005. Quod ex bono innumerabilia sciri possint, n : 3612. De multiplicatione veri ex bono, n : 5345. 5355. 5912. Quod bonum infantiæ per vera ac per vitam secundum illa, fiat bonum sapientiæ, n : 3504.

Quod sit affectio veri & affectio boni, n : 1904. 1997. Quales illi qui in affectione veri, & quales illi qui in affectione boni, n : 2422. 2430. Quinam in affectionem veri possunt venire, & quinam non possunt, n : 2689. Quod omnia vera sint sub affectione communi ordinata, n : 9094. Quod affectio veri & affectio boni in naturali homine se habeant ut frater & soror, in spirituali autem homine ut vir & ejus mulier, n : 3160.

Quod pura vera non dentur apud hominem ; ne quidem apud Angelum, sed solum apud Dominum, n : 3207. 7902. Quod vera apud hominem sint apparentiæ veri, n : 2053. 2519. Quod prima vera apud hominem sint apparentiæ veri ex fallaciis sensuum, quæ tamen successive exuuntur, sicut quoad sapientiam perficitur, n : 3131. Quod apparentiæ veri apud hominem qui in bono est, recipiantur a Domino pro veris, n : 2053. 3207. Quid & quales apparentiæ veri, n : 3207. 3357 ad 3362. 3368. 3404. 3405. 3417. Quod sensus literæ Verbi pluries sit secundum apparentias, n : 1838. Quod eadem vera apud unum sint magis vera, apud alium minus, & apud alium falsa quia falsificata, n : 2439. Quod vera etiam sint vera secundum correspondentiam inter naturalem & spiritualem hominem, n : 3128. 3138. Quod vera differant secundum varias ideas & perceptiones de illis, n : 3470. 3804. 6917.

Quod verum cum conjunctum est bono, evanescat e memoria, quia tunc fit vitæ, n : 3108. Quod vera nequeant conjungi bono nisi in statu libero, n : 3158. Quod vera conjungantur bono per tentationes, n : 3318. 4572. 7122. Quod bono insit continuus conatus ordinandi vera, & sibi per id statum restituendi, n : 3610. Quod vera appareant injucunda, cum intercipitur communicatio cum bono, n : 8352. Quod homo ægre distinguere possit inter verum & bonum, quia ægre inter cogitare & velle, n : 9995. Quod bonum in Verbo dicatur frater veri, n : 4267. Quod etiam in certo respectu bonum dicatur dominus, & verum servus, n : 3409. 4267.

De

De Voluntate & Intellectu.

28. SUNT homini binæ facultates, quæ faciunt vitam ejus, una vocatur VOLUNTAS & altera INTELLECTUS; illæ inter se distinctæ sunt, sed ita creatæ ut unum sint, & cum unum sunt vocantur MENS; quare Mens humana illæ sunt, & omnis vita hominis ibi.

29. Sicut omnia in Universo, quæ secundum Divinum Ordinem sunt, se referunt ad Bonum & Verum, ita omnia apud hominem ad Voluntatem & Intellectum, nam bonum apud hominem est ejus voluntatis, & verum apud illum est ejus intellectus; sunt enim hæ binæ facultates, seu hæ binæ vitæ hominis, receptacula & subjecta illorum, Voluntas est receptaculum & subjectum omnium boni, ac Intellectus est receptaculum & subjectum omnium veri, bona & vera apud hominem non alibi sunt: & quia bona & vera apud hominem non alibi sunt, ita nec Amor & Fides sunt alibi, quoniam amor est boni & bonum est amoris, ac fides est veri ac verum est fidei.

30. Quia nunc omnia in Universo se referunt ad bonum & verum, ac omnia Ecclesiæ ad bonum amoris & verum fidei, & quia homo est homo ex binis illis facultatibus, ideo de illis quoque in hac Doctrina agitur; alioquin nec posset distincta idea de illis ab homine haberi, ac fundari cogitatio.

31. Voluntas & Intellectus etiam faciunt Spiritum hominis, nam ejus sapientia & intelligentia in illis resident, & in genere ejus vita; corpus est modo obedientia.

32. Nihil magis interest scire, quam quomodo Voluntas & Intellectus unam Mentem faciunt; faciunt unam Mentem sicut bonum & verum faciunt Unum; est enim simile Conjugium inter voluntatem & intellectum, quale est inter bonum & verum; quale id conjugium est, constare plene potest ex illis quæ de bono & vero supra allata sunt; quod nempe sicut bonum est ipsum Esse rei, ac verum est Existere rei inde, ita Voluntas apud hominem est ipsum Esse vitæ ejus, ac Intellectus Existere vitæ inde, nam bonum quod est Voluntatis se in Intellectu format, & sistit videndum.

33. Illis, qui in bono & vero sunt, sunt voluntas & intellectus, at illis, qui in malo & falso sunt, non sunt voluntas & intellectus, sed pro voluntate illis est cupido, & pro intellectu est scientia; voluntas enim vere humana est receptaculum boni, ac intellectus receptaculum veri,

veri, quare voluntas non dici potest de malo, nec intellectus de falso, quia opposita sunt, & oppositum destruit: inde est, quod homo qui in malo & inde falso est, non dici possit rationalis, sapiens & intelligens: etiam apud malos clausa sunt interiora quæ Mentis sunt, ubi principaliter resident voluntas & intellectus. Creditur sicut voluntas & intellectus malis etiam sint, quia dicunt quod velint & quod intelligant, sed velle eorum est modo cupere, ac intelligere eorum est modo scire.

Ex Arcanis Cœlestibus.

34. QUOD Vera spiritualia non comprehendi possint, nisi sequentia hæc UNIVERSALIA sciantur; I. Quod omnia in Universo se referant ad Bonum & Verum, & ad conjunctionem utriusque, ut sint aliquid; ita ad Amorem & Fidem, & eorum conjunctionem. II. Quod apud hominem sit Voluntas & Intellectus, & quod Voluntas sit receptaculum Boni, ac Intellectus receptaculum Veri, & quod omnia ad bina illa apud hominem se referant, & ad conjunctionem illorum, sicut omnia ad bonum & verum ac eorum conjunctionem. III. Quod Homo Internus sit & Externus, & quod illi inter se distincti sint sicut Cœlum & Mundus, & tamen quod unum debeant facere, ut homo sit vere homo. IV. Quod Lux Cœli sit in qua Internus homo est, & Lux mundi in qua Externus: & quod Lux Cœli sit ipsum Divinum Verum, ex quo omnis intelligentia. V. Quod inter illa, quæ in Interno & quæ in Externo homine sunt, sit Correspondentia, & quod inde utrobivis sub alia specie appareant, usque adeo ut non dignoscantur nisi per scientiam correspondentiarum. Nisi hæc & plura alia sciuntur, non possunt ideæ de Spiritualibus & Cœlestibus nisi incongruæ capi & formari; & sic scientifica & cognitiones, quæ Externi hominis, absque Universalibus illis, parum possunt inservire Rationali homini ad intellectum & incrementum. Inde patet, quam necessaria sunt scientifica. De illis Universalibus in Arcanis Cœlestibus pluries actum est.

35. Quod binæ Facultates homini sint, una quæ vocatur Voluntas, & altera quæ Intellectus, n: 35. 641. 3623. 3939. 10122. Quod binæ illæ facultates faciant ipsum hominem, n: 10076. 10109. 10110. 10264. 10284. Quod homo talis sit, quales binæ illæ facultates apud illum sunt, n: 7342. 8885. 9282. 10264. 10284. Quod per illas etiam homo distinguatur a bestiis, ex causa quia Intellectus hominis elevari potest a Domino, & videre Vera Divina, pariter Voluntas & percipere Bona Divina, & sic homo conjungi Domino per binas suas facultates quæ faciunt illum, secus autem bestiæ,

bestiæ, n: 4525. 5302. 5114. 6323. 9231. Et quia homo sic conjungi potest Domino, quod non mori possit quoad interiora sua quæ ejus spiritus sunt, sed quod vivat in æternum, n: 5302. Quod homo non sit homo ex forma, sed ex bono & vero, quæ sunt ejus voluntatis & intellectus, n: 4051. 5302.

Quod sicut omnia in Universo se referunt ad Bonum & Verum, ita apud hominem ad Voluntatem & Intellectum, n: 803. 10122. Quia Voluntas est receptaculum boni, & Intellectus receptaculum veri, n: 3332. 3623. 5332. 6065. 6125. 7503. 9300. 9930. Eodem recidit sive dicas verum sive dicas fidem, quoniam fides est veri ac verum est fidei, ac eodem recidit sive dicas bonum sive dicas amorem, quoniam amor est boni, ac bonum est amoris; quod enim homo credit hoc verum dicit, & quod homo amat hoc bonum dicit, n: 4353. 4997. 7178. 10.22. 10367. Inde sequitur, quod Intellectus sit recipiens fidei, & Voluntas recipiens amoris; & quod fides & amor sint in homine, quando in illis sunt, quia non alibi est vita hominis, n: 7178. 10122. 10367. Et quia Intellectus hominis potest recipere fidem in Dominum, ac Voluntas amorem in Dominum, quod possit fide & amore conjungi Domino, & qui conjungi potest fide & amore Domino, non potest mori in æternum, n: 4525. 6323. 9231. Quod Amor sit conjunctio in spirituali Mundo, n: 1594. 2057. 3939. 4018. 5807. 6195. 6196 7081 ad 7086. 7501. 10130.

Quod Voluntas hominis sit ipsum Esse vitæ illius, quia est receptaculum boni, & quod Intellectus sit Existere vitæ inde, quia est receptaculum veri, n: 3619. 5002. 9282. Ita quod vita Voluntatis sit vita principalis hominis, & quod vita Intellectus procedat inde, n: 585. 590. 3619. 7342. 8885. 9282. 10076. 10109. 10110. comparative ut lux ex igne seu flamma, n: 6032. 6314. Quod quæ in intellectum veniunt & simul in voluntatem, appropientur homini, non quæ solummodo in intellectum, n: 9009. 9069. 9071. 9129. 9182. 9386. 9393. 10076. 10109. 10110. Quod illa fiant vitæ hominis, quæ recipiuntur voluntate & inde intellectu, n: 8911. 9069. 9071. 10076. 10109. 10110. Unusquisque etiam homo ab aliis amatur & æstimatur secundum bonum suæ voluntatis & inde intellectus, amatur enim & æstimatur qui vult bene & intelligit bene, ac rejicitur & vilipenditur qui intelligit bene & non vult bene, n: 89111. 10076. Quod homo etiam post mortem maneat sicut ejus voluntas & inde intellectus, n: 9069. 9071. 9386. 10153. Et quod quæ intellectus sunt & non simul voluntatis tunc evanescant, quia non sunt in hominis spiritu, n: 9282. seu quod eodem recidit, quod homo post mortem maneat sicut est ejus amor & inde fides, seu sicut ejus bonum & inde verum, & quod quæ fidei sunt & non simul amoris, seu quæ veri sunt & non simul boni, evanescant, quia non sunt in homine, ita non hominis, n: 553. 2364. 10153. Quod homo possit intellectu capere, quod non ex voluntate facit, seu quod possit intelligere quod non vult, quia contra amorem ejus, n: 3539.

Quod

Quod Voluntas & Intellectus unam Mentem constituant, n : 35. 3623. 5832. 10122. Quod binæ illæ facultates vitæ unum agere debeant, ut homo sit homo, n : 3623. 4832. 5969. 9300. Quam perversus status est apud quos intellectus & voluntas non unum agunt, n : 9075. Quod talis status sit apud hypocritas, dolosos, assentatores & simulatores, n : 4326. 3573. 4799. 8250. Quod voluntas & intellectus redigantur in unum in altera vita, & quod non liceat ibi divisam mentem habere, n : 8250.

Quod omne Doctrinale Ecclesiæ secum ideas habeat, & per illas percipiatur quale est, n : 3310. Quod secundum illas sit intellectus ejus, & quod absque idea intellectuali apud hominem non sit nisi quam idea vocis & nulla rei, n : 3825. Quod ideæ intellectus se extendant ample in societates spirituum & angelorum circumcirca, n : 6598. 6600 ad 6605. 6609. 6613. Quod ideæ intellectus hominis aperiantur in altera vita, & ad vivum sistantur videndæ quales sunt, n : 1869. 3310. 5510. Quales quorundam ideæ apparent, n : 6201. 8885.

Quod omnis voluntas boni & intellectus veri sit a Domino, non ita intellectus veri separatus a voluntate boni, n : 1831. 3514. 5483. 5649. 6027. 8685. 8701. 10153. Quod Intellectus sit qui illustratur a Domino, n : 6222. 6608. 10659. Quod illis, qui illustrantur, det Dominus videre & intelligere verum, n : 9382. 10659. Quod illustratio intellectus sit varia secundum status vitæ hominis, n : 5221. 7012. 7233. Quod Intellectus illustretur, quantum homo recipit verum voluntate, hoc est, quantum vult facere secundum id, n : 3619. Quod illorum Intellectus illustretur, qui legunt Verbum ex amore veri & ex amore usus vitæ, non autem qui ex amore famæ, honoris, lucri, n : 9382. 10548. 10549. 10550. Quod Illustratio sit actualis elevatio mentis in lucem cœli, n : 10330 : ab experientia, n : 1526. 6608. Quod Intellectui illustratio sit lux e cœlo, sicut est visui lux e Mundo, n : 1524. 5114. 6608. 9128. Quod Lux Cœli sit Divinum Verum, a quo omnis sapientia & intelligentia, n : 3195. 3222. 5400. 8644. 9399. 9548. 9684. Quod Intellectus hominis sit qui illustratur ab illa luce, n : 1524. 3138. 3167. 4408. 6608. 8707. 9126. 9399. 10569.

Quod Intellectus talis sit, qualia sunt vera ex bono, ex quibus formatus est, n : 10064. Quod Intellectus sit qui a veris quæ ex bono, non autem qui a falsis quæ ex malo, n : 10675. Quod Intellectus sit videre ex illis quæ experientiæ & scientiæ sunt, Vera, Causas rerum, Nexus, & Consequentia in serie, n : 6125. Quod Intellectus sit videre & percipere num Verum sit antequam confirmatur, non autem posse confirmare quodcunque, n : 4741. 7012. 7680. 7950. 8521. 8780. Quod lux confirmationis absque prævia perceptione veri, sit lux naturalis, etiam dabilis apud illos qui non sapiunt, n : 8780. Quod videre & percipere num Verum sit antequam confirmatur, solum detur apud illos, qui afficiuntur vero propter verum, ita qui in luce spirituali sunt, n : 8780. Quod omnia dogmata etiam falsa confirmari possint, usque ut appareant sicut vera, n : 2482. 2490. 5033. 6865. 7950.

Quomodo concipitur & nascitur Rationale apud hominem, n: 2094. 2574. 2557. 3030. 5126. Quod ex influxu lucis Cœli a Domino per Internum hominem in cognitiones & scientias, quæ sunt in Externo, & inde elevationem, n: 1895. 1896. 1900. 1901. 1902. Quod Rationale nascatur per vera, & non per falsa; inde qualia vera sunt, tale Rationale, n: 2094. 2524. 2557. Quod Rationale per Vera ex bono aperiatur & formetur, & quod per falsa ex malo claudatur & destruatur, n: 3108. 5126. Quod homo non rationalis sit, qui in falsis ex malo est; & quod ideo non rationalis sit quia potest ratiocinari de quacunque re, n: 1944.

Quod homo ægre sciat distinguere inter Intellectum & Voluntatem, quia ægre inter cogitare & velle, n: 9991.

Plura de Voluntate & Intellectu sciri & concludi possunt ex illis quæ mox supra allata sunt de Bono & Vero, modo loco Boni percipiatur Voluntas, & loco Veri Intellectus, nam Voluntas est Boni ac Intellectus est Veri.



De

De Interno & Externo Homine.

36. HOMO ita creatus eſt, ut ſimul ſit in Mundo ſpirituali & in Mundo naturali; Mundus ſpiritualis eſt ubi ſunt Angeli, & Mundus naturalis ubi ſunt homines; & quia homo ita creatus eſt, ideo datum eſt ei Internum & Externum; Internum per quod ſit in Mundo ſpirituali, Externum per quod ſit in Mundo naturali. Internum ejus eſt, quod vocatur Internus homo, & Externum quod vocatur Externus homo.

37. Unicuique homini eſt Internum & Externum, ſed aliter apud bonos & aliter apud malos; Internum apud bonos eſt in Cœlo & ejus luce, & Externum in Mundo & ejus luce, & hæc lux apud illos illuminatur a luce cœli, & ſic apud illos Internum & Externum unum agunt, ſicut cauſa efficiens & effectus, ſeu ſicut prius & poſterius: at apud malos Internum eſt in Mundo & in ejus luce, ac in eadem etiam Externum; quapropter nihil vident ex luce Cœli, ſed ſolum ex luce mundi, quæ lux illis vocatur lumen naturæ; inde eſt, quod illa quæ Cœli ſunt iis in caligine ſint, & quæ mundi ſunt in luce. Ex his patet, quod Bonis ſit Internus homo & Externus homo, at quod Malis non ſit Internus homo ſed ſolum Externus.

38. Internus homo eſt, qui vocatur Spiritualis homo, quia eſt in luce cœli, quæ lux eſt ſpiritualis; & Externus homo eſt qui vocatur Naturalis homo, quia eſt in luce mundi, quæ lux eſt naturalis: Homo, cujus Internum eſt in luce Cœli & Externum in luce mundi, is Spiritualis homo eſt quoad utrumque; at Homo, cujus Internum non eſt in luce cœli, ſed ſolum in luce mundi, in quo etiam Externum, is Naturalis homo eſt quoad utrumque. Spiritualis homo eſt qui in Verbo vocatur Vivus, at Naturalis homo qui vocatur Mortuus.

39. Homo, cujus Internum eſt in luce cœli, & Externum in luce mundi ille, & ſpiritualiter & naturaliter cogitat, ſed tunc ſpiritualis ejus cogitatio influit in naturalem, ac percipitur ibi: at Homo, cujus Internum cum Externo eſt in luce mundi, non ſpiritualiter ſed materialiter cogitat; cogitat enim ex talibus, quæ in mundi natura ſunt, quæ omnia ſunt materialia. Spiritualiter cogitare eſt cogitare ipſas res in ſe, videre vera ex luce veri, & percipere bona ex amore boni, tum videre qualitates rerum & percipere illarum affectiones abſtracte a ma-

teria; at materialiter cogitare, eſt cogitare, videre, & percipere illa una cum materia, & in materia, ita reſpective craſſe & obſcure.

40. Internus ſpiritualis homo in ſe ſpectatus eſt Angelus cœli, & quoque, dum vivit in corpore, eſt in ſocietate cum Angelis, tametſi id tunc neſcit, & poſt ſolutionem a corpore inter Angelos venit. Homo autem Internus mere naturalis in ſe ſpectatus eſt ſpiritus & non angelus, & quoque, dum vivit in corpore, in ſocietate cum ſpiritibus eſt, ſed cum illis qui in inferno ſunt, etiam poſt ſolutionem a corpore inter inter illos venit.

41. Interiora apud illos qui ſpirituales homines ſunt, etiam actualiter elevata ſunt verſus cœlum, ſpectant enim illud primario: Interiora autem quæ mentis ſunt apud illos qui mere naturales ſunt, actualiter verſa ſunt ad mundum, quia ſpectant illum primario. Interiora quæ mentis ſunt, apud unumquemvis verſa ſunt ad id quod ſuper omnia amat; & exteriora quæ animi ſunt, vertuntur quo interiora.

42. Qui modo communem ideam de Interno & Externo homine habent, credunt quod Internus homo ſit qui cogitat & qui vult, & Externus qui loquitur & qui facit, quoniam cogitare & velle eſt internum, & inde loqui & facere eſt externum: ſed ſciendum eſt, quod cum homo intelligenter cogitat & ſapienter vult, tunc cogitet & velit ab Interno ſpirituali; at cum homo non intelligenter cogitat & ſapienter vult, cogitet & velit ab Interno naturali: conſequenter cum homo bene de Domino & de illis quæ Domini ſunt, & cum bene de proximo ac de illis quæ proximi ſunt, cogitat & illis bene vult, tunc cogitat & vult ab Interno ſpirituali, quia tunc cogitat ex fide veri & ex amore boni, ita ex Cœlo: at cum homo male de illis cogitat & male illis vult, tunc cogitat & vult ab Interno naturali, quia ex fide falſi & ex amore mali, ita ex Inferno. Verbo, quantum homo in amore in Dominum eſt, & in amore erga proximum eſt, tantum in Interno ſpirituali eſt, & ex eo cogitat & vult, & quoque ex eo loquitur & facit: at quantum homo in amore ſui eſt, & in amore mundi, tantum in Interno naturali eſt, & ex eo cogitat & vult, & quoque ex eo loquitur & facit.

43. Ita proviſum & ordinatum eſt a Domino, ut quantum homo ex Cœlo cogitat & vult, tantum aperiatur & formetur Internus ſpiritualis homo, apertio eſt in Cœlum uſque ad Dominum, & formatio eſt ſecundum illa quæ Cœli ſunt: vice verſa autem, quantum homo non ex Cœlo ſed ex Mundo cogitat & vult, tantum clauditur Internus ſpi-

ritualis homo, & Externus aperitur, aperitio eſt in mundum, & formatio eſt ad illa quæ mundi ſunt.

44. Illi, apud quos Internus ſpiritualis homo apertus eſt in Cœlum ad Dominum, in luce cœli ſunt, & in illuminatione a Domino, & inde in intelligentia & ſapientia; hi vident verum quia verum, & percipiunt bonum quia bonum. Illi autem, apud quos Internus ſpiritualis homo clauſus eſt, non ſciunt quod Internus homo ſit, minus quid Internus homo, nec credunt quod Divinum ſit, nec quod vita poſt mortem, ita nec illa quæ Cœli & Eccleſiæ ſunt; & quia ſolum in luce mundi ſunt, & in illuminatione inde, credunt naturam ut Divinum, vident falſum ut verum, & percipiunt malum ut bonum.

45. Senſualis homo dicitur, cujus Internum tantum eſt Externum, ut nihil credat niſi quod poteſt oculis videre & manibus tangere; is eſt infime naturalis homo, & in fallaciis de omnibus quæ fidei Eccleſiæ ſunt.

46. Internum & Externum, de quibus actum eſt, eſt Internum & Externum Spiritus hominis, Corpus ejus eſt modo Externum ſuperadditum, intra quod illa exiſtunt: Corpus enim nihil ex ſe agit, ſed ex ſuo ſpiritu qui in illo. Sciendum eſt, quod Spiritus hominis poſt ſolutionem a corpore æque cogitet & velit, ac loquatur & faciat; cogitare & velle eſt ejus internum, ac loqui & facere eſt ejus externum, de quo videatur in Opere de Cœlo, n: 234 ad 245. 265 ad 275. 432 ad 444. 453 ad 484.

Ex Arcanis Cœleſtibus.

47. DE Interno & Externo apud hominem. Quod in Chriſtiano Orbe ſciatur, quod ſit homini Internum & Externum, ſeu Homo internus & externus, ſed quod parum ſciatur qualis unus & alter, n: 1889. 1940. Quod Internus homo ſit ſpiritualis, & quod Externus ſit naturalis, n: 978. 1015. 4459. 6309. 9701 ad 9708. Quod Internus homo qui ſpiritualis formatus ſit ad imaginem cœli, & Externus qui naturalis ad imaginem mundi, quomodo; & quod homo ideo ab Antiquis dictus ſit Microcoſmus, n: 3628. 4523. 4524. 6057. 6314. 9706. 10156. 10472. Sic quod in homine conjunctus ſit Mundus ſpiritualis & Mundus naturalis, n: 6057. 10472. Quod inde homo talis ſit, ut ſpectare poſſit furſum verſus Cœlum, & deorſum verſus Mundum, n: 7601. 7604. 7607. Cum ſpectat

ſurſum,

sursum, quod in luce Cœli sit & inde videat, cum autem spectat deorsum, quod in luce mundi sit & inde videat, n: 3167. 10134. Quod apud hominem detur descensus e Mundo spirituali in naturalem, n: 3702. 4042.

Quod Internus homo qui spiritualis, & Externus homo qui naturalis, prorsus distincti sint, n: 1999. 2018. 3691. 4459. Quod distinctio sit, qualis inter causam & effectum, & qualis inter prius & posterius, & quod non sit continuum, n: 3691. 4145. 5146. 5711. 6275. 6284. 6299. 6326. 6465. 8603. 10076. 10099. 10181. Proinde quod distinctio sit sicut inter Cœlum & Mundum, aut inter Spirituale & Naturale, n: 4292. 5132. 8610. Quod interiora & exteriora hominis non continua sint, sed secundum gradus distincta, & quilibet gradus terminatus, n: 3691. 4145. 5114. 6326. 6465. 8603. 10099. Qui non percipit distinctiones interiorum & exteriorum hominis secundum gradus, & qui non intelligit quales sunt gradus, quod non capere possit Internum & Externum hominis, n: 5146. 6465. 10099. 10181. Quod illa quæ in superiori gradu sunt, perfectiora sint illis quæ in inferiori, n: 3405. Quod tres gradus secundum tres Cœlos in homine sint, n: 4154. Quod Exteriora remotiora sint a Divino apud hominem, quare obscura respective, & quod sint communia, n: 6451. Et quoque inordinata respective, n: 996. 3855. Quod Interiora sint perfectiora, quia propiora Divino, n: 5146. 5147. Quod in Interno millia & millia sint, quæ in Externo apparent ut commune unum, n: 5707. Quod inde cogitatio & perceptio quo interior eo clarior, n: 5920. Quod inde sequatur, quod homo in Internis debeat esse, n: 1175. 4464.

Quod Interiora quæ mentis sunt apud hominem, qui in amore & charitate est, actualiter eleventur a Domino, & quod alioquin spectarent deorsum, n: 6952. 6954. 10330. Quod Influxus & Illustratio e Cœlo apud hominem, sit actualis elevatio interiorum a Domino, n: 7816. 10330. Quod homo elevetur cum ad spiritualia, n: 2922. Quod quantum homo ab Externis elevatur versus Interiora, tantum in lucem, ita in intelligentiam veniat; & quod hoc sit abduci a sensualibus, sicut ab Antiquis dictum est, n: 6183. 6313. Quod elevatio ab Externo ad Interiora, sit sicut e nimbo in lucem, n: 4958.

Quod Influxus a Domino sit per Internum hominem in Externum, n: 1940. 5119. Quod Interiora influere possint in Exteriora, & non vicissim, ita quod sit Influxus spiritualis & non physicus, nempe e spirituali homine in naturalem, & non e naturali in spiritualem, n: 3219. 5119. 5259. 5427. 5428. 5477. 6322. 9110. 9111. Quod Dominus ab Interno, ubi pacificum, regat Externa, ubi tumultuosum, n: 5396.

Quod Internum videre possit omnia in Externo, sed non vicissim, n: 1914. 1953. 5427. 5428. 5477. Cum homo vivit in mundo, quod ab Interno cogitet in Externo, ita quod spiritualis ejus cogitatio influat in naturalem, ac ibi se sistat naturaliter, n: 3679. Cum homo bene cogitat, quod sit ab Interno seu spirituali in Externo seu naturali, n: 9704. 9705. 9707. Quod homo externus cogitet & velit secundum conjunctionem cum interno, n: 9702.

ñ: 9702. 9703. Quod ſit interior cogitatio & exterior, qualis una & altera, n: 2515. 2552. 5127. 5141. 5168. 6007. Quod non percipiatur ab homine, dum in Mundo vivit, cogitatio & affectio quæ in Interno, ſed quæ in Externo inde, n: 10236. 10240. At quod in altera vita auferantur externa, & homo tunc immittatur in ſua interna, n: 8870. Quod tunc pateat, qualia interna ſunt, n: 1806. 1807.

Quod Internum producat Externum, n: 994. 995. Et quod Internum tunc induat ſe talibus, per quæ agere poſſit effectum in Externo, n: 6275. 6284. 6299. Et per quæ tunc vivere poſſit in Externo, n: 1175. 6275. Quod Dominus conjungat Internum ſeu ſpiritualem hominem Externo ſeu naturali, cum regenerat illum, n: 1577. 1594. 1904. 1999. Quod Externus ſeu naturalis homo tunc redigatur in ordinem per Internum ſeu ſpiritualem, & quod ſubordinetur, n: 9708.

Quod Externum erit ſubordinatum & ſubjectum Interno, n: 5077. 5125. 5128. 5786. 5947. 10272. Quod Externum ita creatum ſit, ut ſerviat Interno, n: 5947. Quod Internum erit dominus, & Externum miniſter & in certo reſpectu ſervus, n: 10471.

Quod Externum in correſpondentia eſſe debeat cum Interno, ut ſit conjunctio, n: 5427. 5428. 5477. Quale Externum eſt cum correſpondet Interno, & quale cum non correſpondet, n: 3493. 5422. 5423. 5427. 5428. 5477. 5512. Quod in Externo homine ſint, quæ correſpondent & concordant cum Interno, & quod ſint quæ non correſpondent & concordant, n: 1563. 1568.

Quod Externum ſuum quale habeat ab Interno, n: 9912. 9921. 9922. Quanta pulchritudo Externi hominis eſt, cum is conjunctus eſt cum Interno, n: 1590. Et quanta turpitudo cum non conjunctus, n: 1598. Quod Amor in Dominum & Charitas erga proximum conjungant Externum hominem Interno, n: 1594. Niſi Internus homo conjunctus ſit cum Externo, quod nulla fructificatio, n: 3987.

Quod Interiora ſucceſſive influant in Exteriora, uſque in Extremum ſeu Ultimum, & quod ibi ſimul exiſtant & ſubſiſtant, n: 634. 6239. 9216. 9217. Quod non modo ſucceſſive influant, ſed etiam forment in Ultimo ſimultaneum, quo ordine, n: 5897. 6451. 8603. 10099. Quod omnia interiora contineantur in nexu a Primo per Ultimum, n: 9828. Quod etiam inde in Ultimis ſit robur & potentia, n: 9836. Tum quod ideo ex ultimis reſponſa & revelata, n: 9905. 10548. Quod inde etiam Ultimum præ interioribus ſanctum, n: 9824. Quod inde in Verbo Primum & Ultimum ſignificent omnia & ſingula, ita totum, n: 10044. 10329. 10335.

Quod Internus homo apertus ſit ei, qui in Ordine Divino eſt, at clauſus ei qui non in Ordine Divino eſt, n: 8513. Quod non ſit conjunctio Cœli cum Externo homine abſque Interno, n: 9380. Quod mala & mali falſa claudant Internum hominem, ac faciant ut homo ſolum in Externis ſit, n: 1587. 10492. Imprimis mala ex amore ſui, n: 1594. Quod Interiora claudantur uſque ad ſenſuale quod ultimum eſt, ſi Divinum negatur, n: 6564.

Quod

Quod Internum apud Intelligentes & Doctos mundi, qui ex ſcientiis ſe confirmant contra illa quæ Cœli & Eccleſiæ ſunt, plus claudatur, quam apud ſimplices tales, n: 10492.

Quia Internus homo in luce Cœli eſt, & Externus in luce mundi, quod ideo qui in Externo ſunt abſque Interno, hoc eſt, apud quos clauſum eſt Internum, non curent Interna quæ Cœli & Eccleſiæ ſunt, n: 4464. 4946. Quod in altera vita ne quidem ſuſtineant Interna, n: 10694. 10701. 10707. Quod nihil credant, n: 10396. 10400. 10411. 10429. Quod ſe & mundum ſuper omnia ament, n: 10407. 10412. 10422. Quod Interiora eorum, ſeu quæ cogitationis & affectionis ſunt, turpia, ſpurca, & prophana ſint, utcunque apparent in externis, n: 1182. 7046. 9705. 9707. Quod ideæ cogitationis eorum materiales ſint, & prorſus non ſpirituales, n: 10582. Porro, quales ſunt apud quos Internum, quod ſpectat Cœlum, clauſum eſt, n: 4459. 9709. 10284. 10286. 10429. 10472. 10492. 10602. 10682.

Quod quantum aperitur Internum quod ſpirituale, tantum multiplicentur vera & bona, & quod quantum clauditur Internum quod ſpirituale, tantum vera & bona evaneſcant, n: 4099. Quod Eccleſia ſit in Interno ſpirituali homine, quia is in Cœlo eſt, & non in Externo abſque illo, n: 10698. Inde quod Eccleſia externa apud hominem nihil ſit abſque Interna, n: 1795. Quod Cultus externus abſque Cultu interno ſit nullus cultus, n: 1094. 1175. De illis qui in Interno Eccleſiæ, Cultus, & Verbi ſunt, de illis qui in Externo in quo Internum, & de illis qui in Externo abſque Interno, n: 10682. Quod Externum ſit durum abſque Interno, n: 10682.

Quod mere naturalis homo ſit in inferno, niſi fiat ſpiritualis per regenerationem, n: 10156. Quod omnes, qui in Externo ſunt abſque Interno, ſeu apud quos Internum ſpirituale eſt clauſum, in Inferno ſint, n: 9128. 10483. 10489.

Quod Interiora hominis actualiter vertantur ſecundum amores, n: 10702. Quod in omnibus & ſingulis erit Internum & Externum, ut ſubſiſtant, n: 9473.

Quod ſupernum & altum in Verbo ſignificet Internum, n: 1735. 2148. 4210. 4599. Inde quod in Verbo ſuperius ſit interius, ac inferius ſit exterius, n: 3084.

48. *De Naturali & Spirituali.* Quam perverſum eſt, quod Orbis hodie tantum tribuat Naturæ, & tam parum Divino, n: 3483. Cur ita ſit, n: 5116. Cum tamen omnia & ſingula in natura non modo exſtiterunt, ſed etiam continue ſubſiſtunt a Divino, & hoc per Mundum ſpiritualem, n: 775. 8211. Quod Divina, Cœleſtia, & Spiritualia, terminentur in Natura, n: 4240. 4939. Quod Natura ſit Ultimum planum, cui illa inſiſtunt, n: 4240. 5051. 6275. 6284. 6299. 9216. Quod Cœleſtia Spiritualia & Naturalia conſequantur & ſuccedant ordine, ita cum illis Divina, quia illa a Divino ſunt, n: 880. 4938. 4939. 9992. 10005. 10017. 10068. Quod Cœleſtia ſint Caput, Spiritualia Corpus, & Naturalia Pedes, n: 4938. 4939. Quod ſimili Ordine quo conſequuntur & ſuccedunt, etiam influant, n: 4938. 4939.

Quod Bonum intimi seu tertii Cœli dicatur Cœleste, Bonum medii seu secundi Cœli dicatur Spirituale, & Bonum ultimi seu primi Cœli dicatur spirituale naturale; unde sciri potest quid Cœleste, Spirituale & Naturale, n: 4279. 4286. 4938. 4939. 9992. 10005. 10017. 10068: & in Opere de Cœlo & Inferno, n: 20 ad 28 & 29 ad 40.

Quod omnia Mundi naturalis sint a Divino per Mundum spiritualem, n: 5013. Inde quod spirituale insit omni naturali, quemadmodum causa efficiens inest effectui, n: 3562. 5711: tum quemadmodum conatus inest motui, n: 5173: & quemadmodum internum inest externo, n: 3562. 5711. 5326. Et quia causa est ipsum essentiale in effectu, similiter conatus in motu, ut & internum in externo, inde sequitur, quod Spirituale sit ipsum essentiale in Naturali, ita Divinum a Quo, n: 2987 ad 3002. 9701 ad 9709. Quod spiritualia sistantur in naturali, & quæ sistuntur, quod sint repræsentativa & correspondentiæ, n: 1632. 2987 ad 3002. Quod inde sit, quod universa Natura sit Theatrum repræsentativum Mundi spiritualis, hoc est, Cœli, n: 2758. 2999. 3000. 4939. 8848. 9280. Quod omnia in Natura disposita sint in ordine & serie secundum fines, n: 4104. Quod hoc sit e Mundo spirituali, hoc est, Cœlo, quia ibi fines, qui usus, regnant, n: 453. 696. 1103. 3645. 4054. 7038. Quod homo ita creatus sit, ut Divina secundum ordinem descendentia in naturam, apud illum percipiantur, n: 3702.

Quod apud unumquemvis hominem, qui in Ordine Divino est, sit Internum & Externum, Internum ejus vocatur Spirituale seu Spiritualis homo, Externum ejus Naturale seu Naturalis homo, n: 978. 1015. 4459. 6309. 9701 ad 9709. Quod Spiritualis homo sit in Luce cœli, & Naturalis in Luce mundi. n: 5965. Quod Naturalis homo nihil perspicere possit ex se, sed ex spirituali, n: 5286. Quod Naturale sit quasi facies, in qua se interiora vident, & quod sic homo cogitet, n: 5165. Quod homo spiritualis cogitet in naturali, ita naturaliter, quantum ad perceptionem ejus sensualem venit, n: 3679. 5165. 6284. 6299. Quod Naturale sit planum, in quo terminatur spirituale, n: 5651. 6275. 6284. 6299. 9216. Quod Spirituale nihil videat, nisi Naturale correspondeat, n: 3493. 3620. 3623. Quod Spiritualis seu Internus homo videre possit quid peragitur in Naturali seu Externo, non autem vicissim, quia Spirituale influit in Naturale, & non Naturale in Spirituale, n: 3219. 4667. 5119. 5259. 5427. 5428. 5477. 6322. 9110. 9111. Quod Naturalis homo ex sua luce, quæ lumen naturæ vocatur, non sciat aliquid de Deo, nec de Cœlo, ac de Vita post mortem, nec credat si audit, nisi in lumen illud influat Lux spiritualis, quæ est Lux e cœlo, n: 8444.

Quod Naturalis homo ex se, quia ex nativitate, sit oppositus homini Spirituali, n: 3913. 3928. Quod ideo, quamdiu oppositi sunt, homo molestum sentiat cogitare de spiritualibus & cœlestibus, sed jucundum de naturalibus & corporeis, n: 4096. Quod ad illa, quæ Cœli sunt, nauseet, & quoque ad solam nominationem spiritualis, ab experientia, n: 5006. 9109. Quod mere Naturales spectent bonum & verum spirituale ut servum, n: 5013.

 5025.

5025. Cum tamen Naturalis homo subordinatus esse debet Spirituali, & ei servire, n: 3019. 5168. Spiritualis homo Naturali servire dicitur, quando hic ex intellectuali conquirit confirmantia de talibus quæ concupiscit, imprimis ex Verbo, n: 30.9. 5013. 5025. 5168. Qualiter mere Naturales homines in altera vita apparent, & qualis illorum status & sors ibi est, n: 4630. 4633. 4940 ad 4951. 5032. 5571.

Quod Vera, quæ in Naturali homine sunt, dicantur Scientifica & Cognitiones, n: 3293. Quod Naturali homini in se spectato sit imaginatio materialis, & quod sint affectiones, quales sunt bestiis, n: 3020. Sed quod genuinum cogitativum & imaginativum sit ex Interno seu Spirituali homine, quando ex eo Naturalis homo, videt, agit, & vivit, n: 3493. 5422. 5423. 5427. 5428. 5477. 5512.

Quod quæ in Naturali homine sunt, respective ad illa quæ in Spirituali homine, sint communia, n: 3513. 5707: Et sic quod respective sint obscura, n: 6686.

Quod sit Naturale interius & exterius apud hominem, n: 3293. 3294. 3793. 5118. 5126. 5497. 5649. Quod etiam sit medium inter illa, n: 4570. 9216. Quod exonerationes spiritualis hominis fiant in naturalem, & per illum, n: 9572.

Quod qui ex sola indole naturali bonum faciunt, & non ex religione, non recipiantur in Cœlo, n: 8002. 8772.

49. *De Luce Cœli, in qua Spiritualis homo est.* Quod Lux magna in Cœlis sit, n: 1117. 1521. 1533. 1619 ad 1632. Quod Lux in Cœlis multis gradibus excedat Lucem meridianam in terra, n: 1117. 1521. 4527. 5400. 8644. Quod Lux illa mihi sæpius visa sit, n: 1522. 4527. 7174. Quod Lux Angelis in Cœlo intimo seu tertio sit sicut Lux e Sole, at Lux Angelis in secundo Cœlo sit sicut Lux e Luna, n: 1529. 1530. Quod Lux in intimo cœlo sit flammea, in secundo autem candida, n: 9570.

Quod omnis Lux in Cœlis sit a Domino ut Sole ibi, n: 1053. 1521. 3195. 3341. 3636. 3643. 4415. 9548. 9684. 10809. Quod Dominus sit Sol Cœli Angelici, & quod ille sit Divinus Ipsius Amor, n: 1521. 1529. 1530. 1531. 1837. 4321. 4696. 7078. 7171. 7173. Quod Divinum Verum procedens a Domino in Cœlis appareat ut Lux, ac sistat omnem lucem Cœli, & quod inde Lux illa sit Lux spiritualis, n: 3195. 3222. 5400. 8644. 9399. 9548. 9684. Quod ideo Dominus in Verbo dicatur Lux, n: 3195. Quia Lux illa est Divinum Verum, quod in Luce illa sit Divina Sapientia & Intelligentia, n: 3395. 3485. 3636. 3643. 3993. 4302. 4413. 4415. 9548. 9684. Quomodo Lux a Domino influit in Cœlos, illustratum per circulos radiosos circum solem, n: 9407. Quod Dominus sit Sol Cœlis, & quod ab Ipso omnis Lux ibi, videatur in Opere de Cœlo, n: 116 ad 125: Et quod Lux ex illo Sole sit Divinum Verum, & quod Calor ex illo Sole sit Divinum Bonum Divini Amoris, n: 126 ad 140.

Quod Lux Cœli illuminet Angelorum & Spirituum & visum & intellectum, n: 2776. 3138. Quod Lux ibi se habeat secundum eorum intelligentiam

ligentiam & ſapientiam, n: 1524. 3339. Teſtatum e Verbo, n: 1529. 1530. Quod Lucis differentiæ in Cœlis totidem ſint, quot Societates Angelicæ, n: 4414. Quoniam perpetuæ varietates ſunt in Cœlis quoad bonum & verum, ita quoad ſapientiam & intelligentiam, n: 684. 690. 3241. 3744. 3745. 5598. 7236. 7833. 7836. Quod Cœlum in Luce & Calore ſit, ſignificet quod in ſapientia & in amore, n: 3643. 9399. 9401.

Quod Lux Cœli illuminet intellectum hominis, n: 1524. 3138. 3167. 4408. 6608. 8707. 9126. 9399. 10569. Quod homo cum elevatur a ſenſuali, in lumen mitius veniat, & tandem in Lucem cœleſtem, n: 6312. 6315. 9407. Quod elevatio ſit in Lucem cœli, cum homo in intelligentiam, n: 3190. Lux quanta percepta eſt, cum abductus ſum ab ideis mundanis, n: 1526. 6608. Quod viſus Interni hominis ſit in luce cœli, & quod ideo homo analytice & rationaliter cogitare poſſit, n: 1532. Quod Lux Cœli a Domino ſemper apud hominem adſit, ſed quod tantum influat, quantum homo in veris ex bono eſt, n: 4060. 4213. Quod Lux illa ſit ſecundum verum ex bono, n: 3094. Quod vera luceant in Mundo ſpirituali, n: 5219. Quod Calor ſpiritualis & Lux ſpiritualis faciant veram vitam hominis, n: 6032.

Quod Lux mundi ſit pro Externo homine, Lux cœli pro Interno, n: 3222. 3223. 3337. Quod Lux Cœli influat in lumen naturale, & quod naturalis homo tantum ſapiat, quantum illam lucem recipit, n: 4302. 4408. Quod inter illas Luces ſit correſpondentia, n: 3225. Quod e luce mundi apud hominem, quæ lumen ejus naturale vocatur, non videri poſſint illa quæ in luce Cœli ſunt, ſed viciſſim, n: 9574. Inde eſt, quod qui in ſola luce mundi, quæ vocatur lumen naturale, ſunt, non percipiant illa quæ lucis Cœli ſunt, n: 3108. Quod Lux Cœli illis qui in falſis ex malo ſunt, ſit caligo, n: 1783. 3337. 3413. 4060. 6907. 8197. Quod Lux mundi rutilet apud malos, & quod quantum rutilat, tantum illa quæ lucis Cœli ſunt, illis tenebræ ſint, n: 6907. Quod lux mundi non appareat angelis, n: 1521. 1783. 1880.

Quod in Cœlis omnis Lux ſit a Domino, & quod omnis umbra ab ignorantia ac proprio Angelorum & Spirituum, inde modificationes & variegationes lucis & umbræ, quæ ſunt colores ibi, n: 3391. De lucis variegationibus per Urim & Thumim, n: 3862.

Quod Lux eorum, qui in fide ſeparata a charitate ſunt, ſit nivea, & quod ſit ſicut lux hyemalis, n: 3412. 3413. Quod lux illa vertatur in meras tenebras influente luce e Cœlo, n: 3412. De luce eorum, qui in fide perſuaſiva, & in vita mali, n: 4416. Qualis apparet lux apud illos, qui in intelligentia a proprio ſunt, & qualis apud illos qui in intelligentia a Domino, n: 4419.

Quod Lumen in Infernis ſit, ſed fatuum, n: 1528. 3940. 4213. 4418. 4531. Quod lumen ibi ſit, ſicut lumen ex igne carbonario, n: 1528. 4418. 4531. Quod, qui in Infernis ſunt, appareant ſibi in ſuo lumine ſicut homines, ſed in luce cœli ſicut diaboli & monſtra, n: 4532. 4533. 4674.

 5057.

5057. 5058. 6605. 6626. Quod omnia in luce Cœli appareant qualia sunt, n: 4674. Quod Inferna dicantur esse in caligine & tenebris, est quia sunt in falsis ex malo, n: 3340. 4418. 4531. Quod tenebræ significent falsa, & caligo falsum mali, n: 1839 1860. 7688. 7711.

50. *De Sensuali homine, qui infime naturalis, de quo in Doctrina n: 45 supra.* Quod sensuale sit ultimum vitæ hominis, adhærens & inhærens corporeo ejus, n: 5077. 5767. 9212. 9216. 9331. 9730. Quod is Sensualis homo dicatur, qui omnia judicat & concludit ex sensibus corporis, & qui nihil credit, nisi quæ oculis videre & manibus tangere potest, hæc dicens esse aliquid, cætera rejiciens, n: 5094. 7693. Quod talis homo cogitet in extremis, & non interius in se, n: 5089. 5094. 6564. 7693. Quod interiora ejus clausa sint, ut ibi nihil veri videat, n: 6564. 6844. 6845. Verbo, quod in crasso lumine naturali sit, & quod sic nihil percipiat quod e luce cœli, n: 6201. 6310. 6564. 6844. 6845. 6598. 6612. 6614. 6622. 6624. Quod inde interius sit contra illa quæ Cœli & Ecclesiæ sunt, n: 6201. 6316. 6844. 6845. 6948. 6949. Quod Eruditi, qui confirmaverunt se contra vera Ecclesiæ, sensuales sint, n: 6316.

Quod sensuales homines ratiocinentur acriter & solerter, quoniam cogitatio eorum est tam prope loquelam ut pæne in illa, & quia in loquela ex sola memoria ponunt omnem intelligentiam, n: 195. 196. 5700. 10236. Sed quod ex fallaciis sensuum ratiocinentur, quibus captatur vulgus, n: 5084. 6948. 6949. 7693.

Quod Sensuales homines astuti sint & malitiosi præ reliquis, n: 7693. 10236. Quod Avari, Adulteri, Voluptuosi, & Dolosi imprimis sensuales sint, n: 6310. Quod interiora eorum sint fœda & spurca, n: 6201. Quod per illa communicent cum Infernis, n: 6311. Quod illi, qui in Infernis sunt, sensuales sint, & eo plus quo profundius ibi, n: 4623. 6311. Quod sphæra spirituum infernalium se conjungat cum sensuali hominis a tergo, n: 6312. Quod illi, qui ratiocinati sunt a sensuali, & inde contra vera fidei, ab Antiquis dicti fuerint Serpentes Arboris scientiæ, n: 195. 196. 197. 6398. 6949. 10313.

Porro sensuale hominis, & sensualis homo describitur, n: 10236. Et extensio sensualis apud hominem, n: 9731.

Quod Sensualia ultimo loco esse debeant non primo; & quod apud hominem sapientem & intelligentem ultimo loco sint, & subjecta interioribus; at quod apud hominem insipientem primo loco sint, & dominantia; hi sunt qui proprie vocantur sensuales, n: 5077. 5125. 5128. 7645. Si sensualia ultimo loco sunt, & subjecta interioribus, quod per illa aperiatur via ad intellectum, ac elimentur vera per modum quasi extractionis, n: 5580.

Quod sensualia illa hominis proxime exstent mundo, & admittant quæ e mundo alluunt, & quasi cribrent illa, n: 9726. Quod Externus seu Naturalis homo per sensualia illa communicet cum Mundo, & per rationalia cum Cœlo, n: 4009. Quod sensualia sic subministrent illa quæ inserviunt

interioribus hominis, n: 5077. 5081. Quod sint sensualia subministrantia parti intellectuali, & subministrantia parti voluntariæ, n: 5077.

Quod, nisi cogitatio a sensualibus elevatur, homo parum sapiat, n: 5089. Quod sapiens homo supra sensuale cogitet, n: 5089. 5094. Quod homo, cum cogitatio ejus supra sensualia elevatur, in lumen clarius veniat, & tandem in lucem cœlestem, n: 6183. 6313. 6315. 9407. 9730. 9922. Quod elevatio supra sensualia & abductio ab illis, Antiquis nota fuerit, n: 6313. Quod homo spiritu suo videre possit quæ in Mundo spirituali, si abduci possit a sensualibus quæ ex corpore, & elevari in lucem cœli a Domino, n: 4622. Causa est, quia non corpus sentit, sed spiritus hominis in corpore, & quantum in corpore tantum crasse & obscure, ita in tenebris, sentit; quantum non in corpore, tantum clare & in luce, n: 4622. 6614. 6622.

Quod ultimum Intellectus sit scientificum sensuale, & quod ultimum Voluntatis sit jucundum sensuale, de quibus, n: 9996. Quæ differentia inter sensualia communia cum bestiis, & inter sensualia non communia cum illis, n: 10236. Quod sint sensuales non mali, quia interiora eorum non ita clausa sunt; de quorum statu in altera vita, n: 6311.

51. *De Scientiis & Cognitionibus, per quas Internus spiritualis homo aperitur:* Quod Scientifica dicantur, quæ in Externo seu Naturali homine, & ejus Memoria sunt, non autem quæ in Interno seu Spirituali, n: 3019. 3020. 3293. 3309. 4967. 9918. 9922. Quod Scientifica, quia Externi seu Naturalis hominis, sint respective servitia, quoniam Externus seu Naturalis homo factus est ut serviat Interno seu Spirituali, ut Mundus Cœlo, n: 5077. 5125. 5128. 5786. 5947. 10272. 10471. Quod Externus homo sit Mundus respective, quia ei inscriptæ sunt leges Ordinis Divini quæ in Mundo, & quod Internus homo sit Cœlum respective, quia ei inscriptæ sunt leges Ordinis Divini quæ in Cœlo, n: 4523. 4524. 5368. 6013. 6057. 9279. 9283. 9278. 9709. 10156. 10472; & in Opere de Cœlo, n: 51 ad 58.

Quod sint scientifica quæ concernunt Naturalia, quæ sunt status & vitæ Civilis, quæ sunt status & vitæ Moralis, & quæ sunt status & vitæ Spiritualis, n: 5734. 5934. Sed quod distinctionis causa, illa quæ sunt status & vitæ Spiritualis, dicantur Cognitiones, quæ præcipue sunt Doctrinalia, n: 9945.

Quod homo imbuendus sit scientiis & cognitionibus, quoniam per illas discit cogitare, dein intelligere quid verum & bonum, & tandem sapere, hoc est, vivere secundum illa, n: 129. 1450. 1451. 1453. 1548. 1802. Quod scientifica & cognitiones sint prima, super quibus struitur & fundatur hominis vita, tam Civilis, quam Moralis, ut & Spiritualis; at quod discenda sint propter usum vitæ ut finem, n: 1489. 3310. Quod Cognitiones aperiant viam ad Internum hominem, ac dein conjungant illum cum Externo secundum usus, n: 1563. 1616. Quod Rationale nascatur per scientias & cognitiones, n: 1895. 1900. 3086. Sed non per ipsas scientias & cognitiones, sed per affectionem usuum ex illis, & secundum eam, n: 1895. Quod Internus homo aperiatur & successive perficiatur per scientias & cognitiones, si

homo

homo pro fine habet usum bonum, imprimis usum qui spectat vitam æternam, n: 3086. Quod tunc scientificis & cognitionibus, quæ sunt in naturali homine, occurrant spiritualia ex cœlesti & spirituali homine, & adoptent convenientia, n: 1495. Quod usus vitæ cœlestis tunc ex scientificis & cognitionibus, quæ in Naturali homine, per Internum hominem, a Domino extrahantur, elimentur, & eleventur, n: 1895. 1896. 1900. 1901. 1902. 5871. 5874. 5901. Et quod scientifica incongrua & adversantia ad latera rejiciantur, & exterminentur, n: 5871. 5886. 5889. Quod visus Interni hominis non aliud evocet ex scientificis & cognitionibus Externi hominis, quam quæ sunt amoris illius, n: 9394. Quod scientifica & cognitiones fasciculatim sint disposita & conjuncta secundum amores per quos introducta, n: 5881. Quod tunc sub visu Interni hominis in medio sint & in claro quæ amoris sunt, ad latera autem & in obscuro quæ non amoris, n: 6068. 6085. Quod scientifica & cognitiones apud hominem successive implantentur ejus amoribus, & in illis habitent, n: 6325. Quod homo in omnem scientiam & inde intelligentiam nasceretur, si in amorem in Dominum, & in amorem erga proximum, sed quia in amorem sui & mundi, quod nascatur in totalem ignorantiam, n: 6323. 6325. Quod Scientia, Intelligentia, & Sapientia sint filii amoris in Dominum & amoris erga proximum, n: 1226. 2049. 2116.

Quod Scientifica & Cognitiones, quia sunt Externi seu Naturalis hominis, sint in luce mundi, Vera autem, quæ facta sunt amoris & fidei, & sic vitam adepta, sint in luce cœli, n: 5212. Quod usque Vera, quæ sic vitam adepta sunt, ab homine comprehendantur per ideas naturales, n: 5510. Quod Influxus spiritualis sit per Internum hominem in scientifica & cognitiones quæ in Externo, n: 1940. 8005. Quod scientifica & cognitiones sint receptacula & quasi vasa veri & boni, quæ Interni hominis, n: 1469. 1496. 3068. 5489. 6004. 6023. 6052. 6071. 6077. 7770. 9922. Quod ideo per Vasa in Verbo in spirituali sensu significentur scientifica & cognitiones, n: 3068. 3069. 3079. 9394. 9544. 9723. 9724. Quod scientifica sint quasi specula, in quibus vera & bona Interni hominis sicut in imagine apparent & percipiuntur, n: 5201. Quod ibi simul sint ut in suo ultimo, n: 5373. 5874. 5886. 5901. 6004. 6023. 6052. 6071. 6077. Quod scientifica, quia in luce mundi, sint implexa & obscura respective ad illa quæ sunt in luce cœli, ita quæ in Externo homine respective ad illa quæ in Interno, n: 2831. Quare etiam per implexum in Verbo significatur scientificum, n: 2831. Et quoque per obscurum nubis, n: 8443. 10551.

Quod a Veris Doctrinæ, quæ ex Verbo, ducendum sit principium, & illa primum agnoscenda, & quod dein liceat consulere scientifica, ad confirmandum illa, & quod sic corroborentur, n: 6047. Ita quod liceat illis qui in affirmativo sunt de Veris fidei, per scientifica intellectualiter confirmare illa, non autem illis qui in negativo, quia affirmativum præcedens trahit omnia in suas partes, & negativum præcedens omnia in suas, n: 2568. 2588. 3913. 4760. 6047. Quod detur dubitativum affirmativum, ac dubitativum nega-

tivum, illud apud quosdam bonos, hoc apud malos, n: 2568. Quod a Veris fidei intrare in scientifica sit secundum Ordinem, at vicissim ex scientificis intrare in Vera fidei sit contra Ordinem, n: 10236. Quoniam Influxus spiritualis est, & non physicus seu naturalis, ita a veris fidei, quia hæc sunt spiritualia, in scientifica quia hæc sunt naturalia, n: 3219. 5119. 5259. 5427. 5428. 5478. 6322. 9110. 9111.

Qui in dubitativo negativo est, quod in se est negativum, ac dicit quod non credat priusquam persuadeatur per scientifica, quod nusquam credat, n: 2094. 2832. Quod illi, qui id faciunt, fiant vesani quoad illa quæ Ecclesiæ & Cœli sunt, n: 128. 129. 130. Quod cadant in falsa mali, n: 232. 233. 6047. Et quod in altera vita, cum de spiritualibus cogitant, sint quasi ebrii, n: 1072. Quales porro sunt, n: 196. Exempla illustrantia, quod spiritualia non capi possint, si inverso Ordine in illa intratur, n: 233. 2094. 2196. 2203. 2209. Quod multi Eruditi in spiritualibus plus insaniant, quam simplices, ex causa, quia in negativo sunt, & illis scientifica, per quæ confirmant negativum, in multa copia sunt, n: 4760. Exemplum de Erudito, qui nihil de Vita spirituali intelligere potuit, n: 8629. Quod qui ex scientificis ratiocinantur contra vera fidei, acriter ratiocinentur, quoniam ex fallaciis sensuum, quæ captant & persuadent, quia ægre discuti queunt, n: 5700. Quod qui nihil veri intelligunt, & quoque qui in malo sunt, ratiocinari queant de veris & bonis fidei, & tamen in nulla illustratione esse, n: 4213. Quod solum confirmare dogma, non sit intelligentis, quia falsum æque confirmari potest, ac verum, n: 1017. 2482. 2490. 4741. 5033. 6865. 7012. 7680. 7950. 8521. 8780. Quod qui ratiocinantur de veris Ecclesiæ, num ita sit vel non ita, plane in obscuro de Veris sint, & nondum in luce spirituali, n: 215. 1385. 3033. 3428.

Quod sint Scientifica, quæ admittunt Vera Divina, & quæ non admittunt, n: 5213. Quod scientifica inania destruenda sint, n: 1489. 1492. 1499. 1500. Quod Scientifica inania sint, quæ pro fine habent & confirmant amores sui & mundi, & quæ abstrahunt ab amoribus in Dominum & erga proximum, quia talia occludunt Internum hominem, usque adeo ut homo dein non aliquid e Cœlo recipere possit, n: 1563. 1600. Quod Scientifica sint media sapiendi, & media insaniendi; & quod per illa Internus homo vel aperiatur vel claudatur; & sic Rationale vel excolatur vel destruatur, n: 4156. 8628. 9922.

Quod Scientiæ post mortem nihil faciant, sed quæ homo per scientias hausit intellectu & vita, n: 2480. Quod usque omnia scientifica post mortem maneant, sed quod quiescant, n: 2476 ad 2479. 2481 ad 2486.

Quod eadem scientifica apud malos sint falsa, quia applicantur ad mala, & apud bonos vera quia applicantur ad bona, n: 6917. Quod Vera scientifica apud malos non sint vera, utcunque apparent ut vera dum loquuntur illa, quia intus in illis est malum, & inde falsificata; & quod apud illos scientia eorum ne quidem dici mereatur scientia, quoniam absque vita, n: 10331.

Quod

Quod aliud ſit ſapere, aliud intelligere, aliud ſcire, & aliud facere, ſed quod uſque apud illos qui in vita ſpirituali ſunt, ordine conſequantur, & correſpondeant, & in facere ſeu in factis ſimul ſint, n: 10331. Quod etiam aliud ſit ſcire, aliud agnoſcere, & aliud fidem habere, n: 896.

Qualis cupido ſciendi ſpiritibus eſt, exemplum, n: 1993. Quod apud Angelos ſit deſiderium ſciendi, & ſapiendi immenſum, quoniam Scientia, Intelligentia & Sapientia ſunt Cibus ſpiritualis, n: 3114. 4459. 4792. 4976. 5147. 5293. 5340. 5342. 5410. 5426. 5576. 5582. 5588. 5656. 6277. 8562. 9003.

Quod præcipua Scientia Antiquis fuerit Scientia Correſpondentiarum, ſed quod illa hodie obliterata ſit, n: 3021. 3419. 4280. 4344. 4964. 4965. 6004. 7729. 10252. Quod apud Orientales & in Ægypto fuerit Scientia Correſpondentiarum, n: 5702. 6692. 7097. 7779. 9391. 10407. Quod inde eorum Hieroglyphica, n: 6692. 7097. Quod Antiqui per ſcientiam Correſpondentiarum ſe introduxerint in cognitiones ſpiritualium, n: 4844. 4749. 4965. Quod Verbum per meras Correſpondentias conſcriptum ſit, & quod inde Senſus ejus Internus ſeu Spiritualis, qui abſque ſcientia correſpondentiarum non ſciri poteſt quod ſit, nec quale eſt Verbum, n: 3131. 3472 ad 3485. 8615. 10687. Quantum Scientia Correſpondentiarum præſtat aliis ſcientiis, n: 4280.

52. *De Memoria naturali quæ eſt Externi hominis, & de Memoria ſpirituali quæ eſt Interni.* Quod binæ Memoriæ homini ſint, Exterior & Interior, ſeu Naturalis & Spiritualis, n: 2469 ad 2494. Quod homo non ſciat, quod ei Memoria interior ſit, n: 2470. 2471. Quantum Memoria interior excellet præ Memoria exteriore, n: 2473. Quod quæ in Memoria exteriore ſunt, in luce naturali ſint, quæ autem in Memoria interiore, in luce ſpirituali ſint, n: 5212. Quod ex Memoria interiore ſit, quod homo intellectualiter & rationaliter poſſit cogitare & loqui, n: 9394. Quod omnia & ſingula, quæ homo cogitavit & loquutus eſt & egit, & quæ audivit & vidit, inſcripta ſint Memoriæ interiori, n: 2474. 7398. Quod illa Memoria ſit Liber vitæ hominis, n: 2474. 9386. 9841. 10505. Quod in Memoria interiore ſint, quæ facta ſunt fidei, ac bona quæ facta ſunt amoris, n: 5212. 8067. Quod res, quæ induerunt habitum, & facta ſunt vitæ, ſint in Memoria interiore, n: 9394. 9723. 9841. Quod Scientifica & Cognitiones ſint Memoriæ exterioris, n: 5212. 9922. Quod illa perquam umbroſa ſint & implexa reſpective ad illa quæ ſunt Memoriæ interioris, n: 2831. Quod homo In mundo ex Memoria exteriore loquatur linguas, n: 2472. 2476. Quod Spiritus & Angeli loquantur ex Memoria interiore, & quod inde illis Lingua univerſalis, quæ talis eſt, ut omnes, ex quacunque terra ſint, inter ſe loqui poſſint, n: 2472. 2476. 2490. 2493; de qua Lingua videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 234 ad 245: ac de ſtupendis Memoriæ interioris, quæ manet apud hominem poſt mortem, ibi, n: 463.

53. *De Fallaciis ſenſuum, in quibus mere Naturales & Senſuales homines ſunt, de quibus ſupra in Doctrina, n: 45.* Quod mere naturales & ſenſuales homines

mines ex fallaciis senſuum cogitent & ratiocinentur, n: 5084. 5700. 6948. 6949. 7693. Quales Fallaciæ ſenſuum ſunt, n: 5084. 5094. 6400. 6948: quibus hæc adjicientur. Sunt Fallaciæ ſenſuum in Naturalibus, in Civilibus, in Moralibus, & in Spiritualibus, in ſingulis multæ; ſed hic aliquas in Spiritualibus recenſere volo. Qui cogitat ex Fallaciis ſenſuum, is non poteſt intelligere, 1. Quod homo poſſit poſt mortem apparere ut homo; nec gaudere ſenſibus ſicut prius; ita nec Angeli. 2. Cogitant, quod Anima ſit modo aliquod vitale, pure æthereum, de quo non aliqua idea haberi poteſt. 3. Quod ſolum corpus ſit quod ſentit, videt & audit. 4. Quod homo ſit ſimilis beſtiæ, modo quod homo poſſit loqui ex cogitatione. 5. Quod natura ſit omne & primum, ex qua omnia. 6. Quod homo imbuat & diſcat cogitare per influxum interioris naturæ & ejus ordinis. 7. Quod ſpirituale non ſit, & ſi eſt, quod ſit purius naturale. 8. Quod homo non poſſit frui aliqua beatitudine ablatis jucundis amoris gloriæ, honoris, lucri. 9. Quod Conſcientia ſit modo ægritudo animi ex infirmitate corporis, & ex non ſucceſſibus. 10. Quod Amor Divinus Domini ſit amor gloriæ. 11. Quod Providentia non ſit, ſed quod ex propria prudentia & intelligentia fluant omnia. 12. Quod honores & divitiæ ſint reales benedictiones quæ dantur a Deo: præter ſimilia plura. Tales ſunt Fallaciæ ſenſuum in ſpiritualibus. Inde conſtare poteſt, quod Cœleſtia non capi poſſint ab illis qui mere naturales & ſenſuales ſunt; mere naturales & ſenſuales ſunt, quibus Internus ſpiritualis homo clauſus eſt, ac Naturalis modo apertus.



De Amore in genere.

54. IPSA Vita hominis eſt ejus Amor, & qualis eſt amor talis eſt vita, imo talis eſt totus homo: ſed Amor dominans ſeu regnans eſt qui facit hominem. Ille Amor ſibi ſubordinatos habet plures amores, qui ſunt derivationes; hi ſub alia ſpecie apparent, ſed uſque ſinguli illi inſunt Amori dominanti, & cum illo faciunt unum regnum; Amor dominans eſt ſicut eorum Rex & Caput, is dirigit eos, & per eos, ut per fines medios, ſpectat & intendit finem ſuum, qui omnium primarius & ultimus eſt, & hoc tam directe quam indirecte. Id quod eſt amoris dominantis, eſt quod ſuper omnia amatur.

55. Quod homo ſuper omnia amat, jugiter eſt præſens in ejus cogitatione, & quoque in ejus voluntate, & facit ipſiſſimam vitam ejus: ut pro exemplo; qui ſuper omnia amat Opes, ſive ſint pecuniæ ſive poſſeſſiones, is continue animo verſat quomodo illas ſibi comparet, gaudet intime cum acquirit, dolet intime cum amittit, cor ejus eſt in illis. Qui ſuper omnia amat ſe, is ſui recordatur in ſingulis, de ſe cogitat, de ſe loquitur, propter ſe agit, vita enim ejus eſt vita ſui.

56. Homo pro fine habet id quod ſuper omnia amat, illud ſpectat in omnibus & ſingulis; eſt in voluntate ejus ſicut latens vena fluvii, quæ trahit & aufert, etiam cum aliud agit, nam id eſt quod animat. Tale eſt, quod unus homo apud alium explorat, & quoque videt, & ſecundum id vel ducit illum, vel agit cum illo.

57. Homo prorſus talis eſt, quale eſt ejus vitæ dominans; per hoc diſtinguitur ab aliis; ſecundum hoc fit ejus Cœlum ſi bonus, & fit ejus Infernum ſi malus; id eſt ipſa ejus voluntas, ejus proprium, & ejus natura, eſt enim ipſum Eſſe vitæ ejus; hoc poſt mortem mutari non poteſt, quia id eſt ipſe homo.

58. Omne jucundum, fauſtum & felix eſt cuivis ex Amore ejus dominante, & ſecundum illum; homo enim id jucundum dicit quod amat, quia ſentit; quod autem cogitat & non amat, hoc quoque jucundum dicere poteſt, ſed non eſt jucundum vitæ ejus. Jucundum amoris eſt, quod homini eſt Bonum, ac injucundum quod ei eſt malum.

59. Sunt bini Amores, ex quibus omnia bona & vera, ut ex ipſis ſuis fontibus exiſtunt; & ſunt bini Amores, ex quibus omnia mala &

 falſa.

falſa. Bini Amores, ex quibus omnia bona & vera, ſunt Amor in Dominum & Amor erga proximum: ac bini Amores ex quibus omnia mala & falſa, ſunt Amor ſui & amor mundi. Hi bini Amores ſunt illis binis Amoribus prorſus oppoſiti.

60. Bini Amores ex quibus omnia bona & vera, qui ſunt, ut dictum eſt, Amor in Dominum & Amor erga proximum, faciunt Cœlum apud hominem, quare etiam illi regnant in Cœlo; & quia faciunt Cœlum apud hominem, etiam faciunt Eccleſiam apud illum. Bini Amores ex quibus omnia mala & falſa, qui ſunt, ut dictum eſt, Amor ſui & Amor mundi, faciunt Infernum apud hominem, quare etiam illi regnant in Inferno.

61. Bini Amores ex quibus omnia bona & vera, qui, ut dictum eſt, ſunt Amores cœli, aperiunt & formant Internum ſpiritualem hominem, quia ibi reſident: bini autem Amores ex quibus omnia mala & falſa, quando dominantur, claudunt & deſtruunt Internum ſpiritualem hominem, ac faciunt ut homo ſit naturalis & ſenſualis ſecundum quantum & quale dominii eorum.

Ex Arcanis Cœleſtibus.

62. QUOD Amor ſit Eſſe vitæ hominis, n: 5002. Quod homo, ſpiritus, & angelus, ſint prorſus ſicut eorum amor, n: 6872. 10177. 10284. Quod homo pro fine habeat, quod amat, n: 3796. Id quod homo amat & pro fine habet, quod apud illum univerſaliter regnet, hoc eſt, in omnibus & ſingulis, n: 3796. 5130. 5949. Quod Amor ſit Calor ſpiritualis, & ipſum vitale hominis, n: 1589. 2146. 3338. 4906. 7081 ad 7086. 9954. 10740. Quod omnia interiora apud hominem, quæ ſunt ejus intellectus & voluntatis, diſponantur in formam, ſecundum ejus amorem dominantem, n: 2024. 3189. 6690. Quod Amor ſit conjunctio ſpiritualis, n: 1594. 2057. 3939. 4018. 5807. 6195. 6196. 7081 ad 7086. 7501. 10130. Inde quod omnes in Mundo ſpirituali conſocientur ſecundum amores eorum, ibid. Quod Affectio ſit continuum amoris, n: 3938. Quod omne jucundum, volupe, fauſtum, felix, & omne cordis gaudium, ſint amoris, & quale eorum ſecundum quale amoris, n: 994. 995. 2204. Quod tot genera & ſpecies jucunditatum & voluptatum ſint, quot affectionum quæ amoris, n: 994. 995. 2204. Quod jucundum amoris eo vilius ſit, quo magis externum, n: 996. Quod homini poſt mortem talis vita ſit, qualis ejus amor, n: 2364.

63. Plura de Amore & ejus essentia & quali, sciri possunt ex illis, quæ supra dicta & allata sunt de Bono & Vero: tum ex illis, quæ supra dicta & allata sunt de Voluntate & Intellectu: ut & ex illis, quæ dicta & allata sunt de Interno & Externo homine: quoniam omnia quæ amoris sunt, se referunt ad bona & ad mala; similiter omnia quæ sunt ipsius voluntatis; & quoniam bini Amores Cœli aperiunt & formant Internum spiritualem hominem; at bini Amores Inferni claudunt & destruunt illum. Inde possunt applicationes fieri, & conclusiones, qualis est Amor in genere & in specie.

64. In Opere de Cœlo & Inferno etiam de Amoribus actum est; nempe quod Divinum Domini in Cœlis sit Amor in Ipsum & Amor erga proximum, n: 13 ad 19. Quod omnes, qui in Infernis sunt, in malis & inde falsis sint ex Amoribus sui & mundi, n: 551 ad 565. Quod Jucunda amoris cujusvis in altera vita vertantur in correspondentia, n: 485 ad 490. Quod Calor spiritualis in sua essentia sit Amor, n: 133 ad 140.



De

De Amoribus ſui & mundi.

65. AMOR ſui eſt ſibi ſoli bene velle, & non aliis niſi propter ſe, ne quidem Eccleſiæ, Patriæ, alicui Societati humanæ, aut Concivi; ut & illis benefacere ſolum propter ſui famam, honorem & gloriam, quæ niſi videt in bonis, quæ illis facit, dicit corde ſuo, quid refert, cur hoc, & quid inde mihi, & ſic omittit: unde patet, quod is, qui in amore ſui eſt, non amet Eccleſiam, nec Patriam, nec Societatem, nec Concivem, nec aliquod Bonum, ſed ſe Solum.

66. Homo in amore ſui eſt, quando in illis quæ cogitat & facit, non intuetur Proximum, ita non Publicum, minus Dominum, ſed modo ſemet ac ſuos; conſequenter quando propter ſemet & ſuos omnia facit, & ſi propter Publicum & Proximum, ſit modo ut appareat.

67. Propter ſemet & ſuos dicitur, nam qui amat ſe etiam amat ſuos, qui ſunt in ſpecie Liberi & Nepotes ejus, & in genere omnes qui unum cum illo faciunt, quos Suos vocat; hos & illos amare, eſt quoque ſe amare, nam illos ſpectat quaſi in ſe, & ſe in illis: inter illos, quos ſuos vocat, ſunt quoque omnes qui eum laudant, honorant, & colunt.

68. Ille homo in amore ſui eſt, qui proximum contemnit præ ſe, qui inimicum illum habet ſi non ſibi favet, & ſi non ſe veneratur & colit: magis adhuc in amore ſui eſt, qui propterea proximum odio habet, & perſequitur: & magis adhuc, qui propterea flagrat vindicta contra illum, & cupit ejus perniciem: tales tandem amant ſævire.

69. Ex comparatione cum Amore cœleſti conſtare poteſt, qualis eſt Amor ſui: Amor cœleſtis eſt amare uſus propter uſus, ſeu bona propter bona, quæ homo præſtat Eccleſiæ, Patriæ, Societati humanæ, & Concivi; at qui amat illa propter ſe, is non amat illa aliter quam famulitia, quia ſerviunt ſibi: inde ſequitur, quod qui in amore ſui eſt, velit ut Eccleſia, Patria, Societates humanæ, & Concives, ſerviant ſibi, & non is illis; ponit ſe ſupra illos, & illos infra ſe.

70. Porro, quantum quis in Amore cœleſti eſt, qui eſt amare uſus & bona, & affici jucundo cordis cum illa præſtat, tantum ducitur a Domino, quia ille Amor eſt in quo Ipſe, & qui ab Ipſo: at quantum aliquis in Amore ſui eſt, tantum ducitur a ſemet, & quantum ducitur a ſemet, tantum ducitur a Proprio ſuo, ac Proprium hominis non eſt

niſi

nisi quam malum, est enim Malum ejus Hæreditarium, quod est se amare præ Deo, & mundum præ Cœlo.

71. Amor sui etiam talis est, ut quantum illi laxantur fræna, hoc est, removentur vincula externa, quæ sunt timores pro lege & ejus pœnis, proque jactura famæ, honoris, lucri, functionis & vitæ, tantum ruat, usque ut non modo imperare velit super universum terrarum orbem, sed etiam super Cœlum, & super ipsum Divinum; nusquam est ei aliquis terminus seu finis: hoc latet in unoquovis, qui in amore sui est, tametsi non patet coram mundo, ubi eum dicta fræna & vincula retinent; & quisque talis, ubi obviam fit impossibile, ibi subsistit, usque dum fit possibile; ex his & illis est, quod homo, qui in tali amore est, non sciat quod talis vesana absque limite cupido in illo lateat. Quod tamen ita sit, nemo non potest videre apud Potentes & Reges, quibus non talia fræna, vincula, & impossibilia sunt, qui ruunt & subjugant Provincias & Regna, quantum illis succedit, & adspirant ad potentiam & gloriam ultra limites; & adhuc magis apud illos, qui dominatum extendunt in Cœlum, & omnem Potentiam Divinam Domini in se transferunt, & continue cupiunt ultra.

72. Sunt duo Dominii genera, unum est Amoris erga proximum, & alterum est Amoris sui; hæc duo Dominia sunt in sua essentia sibi prorsus opposita: qui dominatur ex Amore erga proximum, is vult omnibus bonum, & nihil plus amat quam usus præstare, ita servire aliis, (servire aliis est aliis ex bene velle benefacere, & usus præstare) hoc ejus amor est, & hoc jucundum cordis ejus; is quoque, quantum evehitur ad dignitates, tantum quoque lætatur, verum non propter dignitates, sed propter usus, quos tunc in pluri copia, & in majori gradu, præstare potest; tale Dominium est in Cœlis. At qui dominatur ex Amore sui, is vult nulli bonum, sed solum sibi & suis; usus, quos præstat, sunt propter sui honorem & gloriam, quæ ei sunt soli usus; servire aliis est ei propter finem ut serviatur, honoretur, & dominetur; ambit dignitates non propter bona quæ præstet, sed ut in eminentia & gloria sit, & inde in sui cordis jucundo.

73. Amor dominii manet etiam unumquemvis post vitam in mundo; sed qui dominati sunt ex Amore erga proximum, illis concreditur etiam dominatio in Cœlis; at tunc illi non dominantur, sed usus & bona quæ amant, & cum usus & bona, dominatur Dominus: qui autem in Mundo dominati sunt ex Amore sui, illi post vitam in Mundo sunt in Inferno, & ibi vilia mancipia.

74. Ex his nunc cognoscitur, quinam in Amore sui sunt; sed non refert,

refert, qualiter apparent in externa forma, si vel elati vel submissi; nam talia sunt in interiori homine, & interior homo a plerisque occultatur, ac exterior instruitur mentiri illa quæ Amoris Publici & proximi sunt, ita contraria; & hoc quoque propter se: sciunt enim, quod amare Publicum & proximum interius afficiat omnes, & quod tantum amentur & æstimentur; quod afficiat, est quia Cœlum in illum amorem influit.

75. Mala quæ illis sunt qui in Amore sui, sunt in genere, Contemtus aliorum, Invidia, Inimicitia contra illos qui sibi non favent, Hostilitas inde, Odia varii generis, Vindictæ, Astus, Doli, Immisericordia, & Crudelitas; & ubi talia Mala sunt, est etiam Contemtus Divini, ac Divinorum quæ sunt Vera & Bona Ecclesiæ; quæ si honorant, est solum ore & non corde. Et quia talia Mala inde sunt, etiam sunt similia Falsa, nam ex malis sunt falsa.

76. Amor mundi autem, est velle aliorum Opes ad se derivare quacunque arte, ac in divitiis cor ponere, & pati ut Mundus retrahat & abducat illum ab Amore spirituali, qui est Amor erga proximum, ita a Cœlo. Illi in Amore mundi sunt, qui cupiunt aliorum bona in se derivare per varias artes, imprimis qui per astus & dolos, nihili facientes bonum proximi: illi, qui in illo amore sunt, concupiscunt aliorum bona, & quantum non timent leges & jacturam famæ propter lucrum, deprivant, imo deprædantur.

77. Sed Amor mundi non in tali gradu est oppositus Amori cœlesti, in quo est Amor sui, quoniam non tanta Mala in eo recondita sunt. Amor ille multiplex est: est Amor opum, ut evehantur ad honores; est Amor honorum & dignitatum, ut lucrentur opes; est Amor opum propter varios usus, quibus delectantur in mundo; est Amor opum propter solas opes, talis amor est Avaris; & sic porro: finis, propter quem opes, vocatur usus, ac finis seu usus est, a quo Amor suum quale trahit; nam talis est Amor, qualis est finis propter quem, reliqua ei serviunt ut media.

78. Verbo, Amor sui & Amor mundi, sunt prorsus oppositi Amori in Dominum, & Amori erga proximum; quare Amor sui & Amor mundi sunt Amores infernales, regnant etiam in Inferno, & quoque faciunt infernum apud hominem; Amor autem in Dominum & Amor erga proximum sunt Amores cœlestes, regnant etiam in Cœlo, & quoque faciunt cœlum apud hominem.

79. Ex his quæ nunc dicta sunt, videri potest, quod in binis illis Amoribus, & ex illis, sint omnia Mala; nam illa Mala, quæ enumerata

merata ſunt n: 75, ſunt communia, reliqua, quæ non enumerata ſunt, quia ſunt ſpecifica, derivantur & fluunt ex illis. Inde conſtare poteſt, quod homo, quia naſcitur in binos illos amores, naſcatur in mala omnis generis.

80. Ut homo ſciat Mala, ſcire debet origines illorum, & niſi ſciat Mala, non ſcire poteſt Bona, ita non poteſt ſcire qualis eſt: inde eſt, quod de binis illis originibus malorum hic actum ſit.

Ex Arcanis Cœleſtibus.

81. DE *Amoribus ſui & mundi.* Sicut Amor in Dominum, & Amor erga proximum ſeu Charitas, faciunt Cœlum, ita Amor ſui & Amor mundi, ubi regnant, faciunt Infernum; quare ſunt oppoſiti, n: 2041. 3610. 4225. 4776. 6210. 7366. 7369. 7480. 7490. 8232. 8678. 10455. 10741. 10742. 10743. 10745. Quod ex Amore ſui & mundi omnia mala, n: 1307. 1308. 1321. 1594. 1691. 3413. 7255. 7376. 7480. 7488. 8318. 9335. 9348. 10038. 10742. Quod ex Amore ſui & mundi ſit contemtus aliorum, inimicitia, odium, vindicta, ſævitia, doli, ita omne malum, & omnis malitia, n: 6667. 7372. 7373. 7374. 9348. 10038. 10742. Quod illi Amores ruant, quantum eis laxantur fræna; & quod Amor ſui uſque ad thronum Dei, n: 7375. 8678. Quod Amor ſui & Amor mundi ſint deſtructivi ſocietatis humanæ, & ordinis cœleſtis, n: 2045. 2057. Quod Genus Humanum propter illos Amores iniverit Regimina, & ſe ſubjecerint Imperiis, ut tuti eſſent, n: 7364. 10160. 10814. Quod ubi illi Amores regnant, bonum amoris & bonum fidei, vel rejiciantur, vel ſuffocentur, vel pervertantur, n: 2041. 7491. 7492. 7643. 8487. 10455. 10743. Quod in illis Amoribus non ſit vita, ſed mors ſpiritualis, n: 7494. 10731. 10741. Quales illi Amores ſunt, deſcribitur, n: 1505. 2219. 2363. 2364. 2444. 4221. 4227. 4947. 4949. 5721. 7366 ad 7377. 8678. Quod omnis cupiditas & concupiſcentia ſit amoris ſui & mundi, n: 1668. 8910.

Quod Amores ſui & mundi inſerviant pro mediis, & nullatenus pro fine, n: 7377. 7819. 7820. Cum reformatur homo, quod invertantur illi amores, ut ſint pro mediis & non pro fine, ita ut ſint ſicut plantæ pedum, & non ſicut caput, n: 8995. 9210. Quod apud illos, qui in Amoribus ſui & mundi ſunt, non Internum ſit ſed Externum abſque Interno, quia Internum eſt clauſum verſus Cœlum, at Externum apertum verſus mundum, n: 10396. 10400. 10409. 10412. 10422. 10424. Quod illi, qui in Amoribus ſui & mundi ſunt, non ſciant quid Charitas, quid Conſcientia, & quid Vita Cœli, n: 7490. Quod quantum homo in Amore ſui & mundi eſt,

tantum non recipiat bonum & verum fidei, quod a Domino continue apud hominem influit, n: 7491.

Quod illis, qui in amoribus sui & mundi sunt, vincula externa sint, sed nulla interna, quare ablatis externis ruunt in omne nefas, n: 1744. 10745. 10746. Quod in Mundo spirituali omnes se vertant secundum amores; illi qui in amore in Dominum & in amore erga proximum sunt, ad Dominum, at illi qui in amore sui & in amore mundi, retro a Domino, n: 10130. 10189. 10420. 10742. Cultus, in quo Amor sui, qualis, n: 1304. 1306. 1307. 1308. 1321. 1322. Quod Dominus regat mundum per malos, ducendo illos per amores proprios, qui se referunt ad amorem sui & amorem mundi, n: 6481. 6495. Quod æque mali quam boni possint functiones obire, ac usus & bona præstare, quia spectant honores & lucra ut præmia, propter quæ similiter in externa forma faciunt, n: 6481. 6495.

Quod, omnes qui in Infernis sunt, in malis & inde falsis sint ex amoribus sui & mundi, in Opere de Cœlo & Inferno, n: 551 ad 565.

82. *De Proprio hominis, de quo supra in Doctrina, n: 70, quod sit amor sui & mundi.* Quod hominis Proprium non sit nisi quam densum malum, n: 210. 215. 731. 874. 875. 876. 987. 1047. 2307. 2318. 3518. 3701. 3812. 8480. 8550. 10283. 10284. 10286. 10731. Quod hominis Proprium sit ejus Voluntarium, n: 4328. Quod Proprium hominis sit se amare præ Deo, & mundum præ Cœlo, ac nihili facere proximum respective ad se, ita quod sit Amor sui & mundi, n: 694. 731. 4317. 5660. Quod ex Proprio hominis non modo omne Malum, sed etiam omne Falsum scaturiat, & quod hoc falsum sit falsum mali, n: 1047. 10283. 10284. 10286. Quod Proprium hominis sit Infernum apud illum, n: 694. 8480. Quapropter qui ducitur a suo Proprio, quod salvari non possit, n: 10731. Quod bonum, quod homo facit ex Proprio, non sit bonum, sed in se malum, quia propter se & propter mundum, n: 8478.

Quod Proprium hominis separandum sit, ut Dominus adesse queat, n: 1023. 1044. Et quod actualiter separetur, cum homo reformatur, n: 9334. 9335. 9336. 9452. 9453. 9454. 9938. Quod hoc fiat a solo Domino, n: 9445. Quod homo per Regenerationem accipiat Proprium cœleste, n: 1937. 1947. 2882. 2883. 2891. Quod hoc appareat homini sicut ejus proprium, verum quod non sit ejus, sed Domini apud illum, n: 8497. Quod qui in hoc proprio sunt, in ipso Libero sint, quia liberum est duci a Domino, & ab Ipsius Proprio, n: 892. 905. 2872. 2886. 2890. 2891. 2892. 4096. 9586. 9587. 9589. 9590. 9591. Quod omne Liberum sit ex proprio, & quale ejus secundum id, n: 2880. Quale Proprium cœleste, n: 164. 5660. 8480. Quomodo implantatur Proprium cœleste, n: 1712. 1937. 1947.

83. *De Hæreditario hominis, de quo supra in Doctrina, n: 70 & 79, quod sit amor sui & mundi.* Quod homines, quotcunque sunt, nascantur in mala omnis generis, usque adeo ut Proprium eorum non sit nisi quam malum, n: 210. 215. 731. 874. 875. 876. 987. 1047. 2307. 2308. 3701. 3812. 8480. 8550. 10283. 10284. 10286. 10731. Quod homo ideo renascen-

 dus

dus sit, hoc est, regenerandus, ut a Domino novam vitam accipiat, n: 3701.

Quod Hæreditaria mala a parentibus & avis longa retro serie deriventur, crescant, & cumulentur, & non, ut creditur, sint a primo homine propter esum ex arbore scientiæ, n: 313. 494. 2910. 3469. 3701. 4317. 8550. Quod ideo Mala hæreditaria hodie maligniora sint, quam olim, n: 2122. Quod infantes, qui moriuntur infantes, & educantur in Cœlo, non sint nisi quam mala ex hæreditario, n: 2307. 2308. 4563. Quod inde diversæ indolis & inclinationis sint, n: 2300. Quod cuivis mala interiora sint a patre, & exteriora a matre, n: 3701.

Quod homo malis hæreditariis superaddat nova ex se, quæ Mala actualia vocantur, n: 8551. Quod in altera vita nemo luat pænam propter mala hæreditaria, sed propter mala actualia, quæ redeunt, n: 966. 2308. Quod Inferna maligniora teneantur separata, ne operentur in mala hæreditaria apud homines & spiritus, n: 1667. 8806.

Quod Mala hæreditaria sint Mala amoris sui & mundi, quæ sunt quod homo se amet præ Deo, ac mundum præ Cœlo, & proximum nihili faciat, n: 694. 4317. 5660. Et quia illa mala sunt contra bona Cœli, & contra Divinum Ordinem, quod homo non possit non in meram ignorantiam nasci, n: 1050. 1902. 1992. 3175. Quod Bonum naturale connascatur quibusdam, sed quod usque id non bonum sit, quia facile ad omnia mala & falsa, & quod id bonum non acceptetur in Cœlo, nisi fiat bonum spirituale, n: 2463. 2464. 2468. 3304. 3408. 3469. 3470. 3508. 3518. 7761.



De

De Amore erga proximum, ſeu de Charitate.

84. PRimum dicetur quid PROXIMUS, ille enim eſt qui amandus, & erga quem Charitas exercenda eſt: niſi enim ſcitur quid Proximus, Charitas poteſt exerceri ſimili modo abſque diſtinctione, æque erga malos quam erga bonos, unde Charitas non fit charitas; mali enim ex benefactis malefaciunt proximo, ſed boni benefaciunt.

85. Communis opinio hodie eſt, quod omnis homo ſit æque proximus, & quod benefaciendum ſit cuivis qui opis indiget; ſed prudentiæ Chriſtianæ intereſt, bene ſcrutari qualis hominis vita eſt, & Charitatem ſecundum illam exercere: Internæ Eccleſiæ homo cum diſcrimine, ita cum intelligentia, id agit, at Externæ Eccleſiæ homo, quia non ita diſcernere res poteſt, indiſcriminatim facit.

86. Diſcrimina Proximi, quæ homo Eccleſiæ omnino ſcire debet, ſe habent ſecundum bonum, quod eſt apud unumquemvis; & quia omne bonum procedit a Domino, eſt Dominus in ſupremo ſenſu ac in ſupereminente gradu Proximus, a Quo origo; inde ſequitur, quod quantum Domini aliquis apud ſe habet, tantum ſit Proximus; & quia nullus ſimili modo recipit Dominum, hoc eſt, bonum quod ab Ipſo, idcirco non unus ſimili modo eſt Proximus, quo alter: omnes enim, qui in Cœlis ſunt, & omnes qui boni ſunt in terris, differunt bono, nuſquam datur apud duos bonum prorſus unum & idem, varium erit, ut unumquodvis per ſe ſubſiſtat. Sed omnia illa varia, ita omnia diſcrimina Proximi, quæ ſe habent ſecundum receptionem Domini, hoc eſt, ſecundum receptionem boni ab Ipſo, nuſquam aliquis homo, ne quidem Angelus, ſcire poteſt, ſed modo in communi, ita Genera & horum ſpecies; nec Dominus plus ab homine Eccleſiæ requirit, quam ut vivat ſecundum id quod ſcit.

87. Quia Bonum apud unumquemvis eſt varium, inde ſequitur, quod quale boni determinet in quo gradu & in qua ratione aliquis eſt Proximus: quod ita ſit, patet a Domini Parabola de illo qui incidit in latrones, quem ſemimortuum Sacerdos præterivit, & quoque Levita; ſed Samarita, poſtquam obligavit vulnera ejus, & infudit oleum & vinum, ſuſtulit ſuper proprium jumentum, & duxit in di-

verſorium, & ordinavit ut cura ejus haberetur; hic quia bonum charitatis exercuit, Proximus dicitur, Luc: x: 29 ad 37; inde ſciri poteſt, quod Proximus ſint qui in bono: Oleum & Vinum, quæ Samarita vulneribus infudit, etiam ſignificant bonum & ejus verum.

88. Ex dictis nunc patet, quod in univerſali ſenſu Bonum ſit Proximus, quia homo eſt proximus ſecundum quale boni, quod a Domino apud illum; & quia Bonum eſt Proximus, eſt Amor, nam omne bonum eſt amoris, ita quiſque homo eſt proximus ſecundum quale amoris, qui ei eſt a Domino.

89. Quod Amor ſit qui facit ut Proximus ſit, & quod quiſque proximus ſit ſecundum quale amoris ejus, patet manifeſte ab illis qui in amore ſui ſunt, illi pro Proximo agnoſcunt, qui ſe maxime amant, hoc eſt, quantum ſunt ſui, hos amplectuntur, hos oſculantur, his benefaciunt, & hos fratres vocant, imo, quia mali ſunt, hos dicunt proximum eſſe præ aliis; reliquos, ſicut ſe amant, pro proximo habent, ita ſecundum quale & quantum amoris; tales a ſe originem proximi ducunt, ex cauſa quia amor facit & determinat. Illi autem, qui ſe non amant præ aliis, quemadmodum omnes qui e Regno Domini ſunt, originem proximi ducent ab Ipſo, quem ſuper omnia amare debent, ita a Domino; & pro Proximo habebunt unumquemvis ſecundum quale amoris in Ipſum & ab Ipſo. Ex his liquet, unde origo Proximi ab homine Eccleſiæ ducenda eſt; & quod quiſque proximus ſit ſecundum bonum quod a Domino, ita ipſum bonum.

90. Quod ita ſit, etiam Dominus docet apud Matthæum; "*dixit enim illis qui in bono fuerunt, quod dederint Ipſi quod ederet, quod illi potaverint Ipſum, collegerint Ipſum, induerint Ipſum, viſitaverint Ipſum, & in carcere venerint ad Ipſum: & dein, quod quantum fecerint uni ex fratribus ſuis minimis Ipſi fecerint,*" xxv: 34 ad 40; in illis ſex bonis in ſpirituali ſenſu intellectis comprehenduntur omnia Genera Proximi. Inde etiam patet, quod, cum amatur bonum, ametur Dominus, Dominus enim eſt a Quo bonum, Qui in bono, & Qui ipſum bonum.

91. Verum non modo Homo in ſingulari eſt Proximus, ſed etiam Homo in plurali, eſt namque Societas minor & major, eſt Patria, eſt Eccleſia, eſt Regnum Domini, & ſuper omnes eſt Ipſe Dominus; hi ſunt Proximus quibus benefaciendum eſt ex amore. Sunt etiam hi gradus Proximi aſcendentes, in ſuperiori enim gradu eſt Societas plurium quam homo ſingularis; in adhuc ſuperiori gradu eſt Patria; in adhuc ſuperiori gradu eſt Eccleſia; & in adhuc ſuperiori gradu eſt

Regnum

Regnum Domini, in supremo autem eſt Dominus: gradus hi aſcendentes ſunt ſicut gradus ſcalæ, in cujus vertice eſt Dominus.

92. Societas eſt Proximus præ ſingulari homine, quia illa conſiſtit ex pluribus: erga illam Charitas ſimiliter exercenda eſt ut erga hominem in ſingulari, nempe ſecundum quale boni quod apud illam; ita prorſus aliter erga Societatem proborum, quam erga Societatem non proborum: amatur Societas quum bono ejus conſulitur ex amore boni.

93. Patria eſt Proximus præ Societate, quia Parentis inſtar eſt, ibi enim homo natus eſt, illum nutrit, & ab injuriis tutatur. Patriæ ex amore benefaciendum eſt ſecundum neceſſitates ejus, quæ imprimis ſpectant ejus victum, & eorum, qui ibi ſunt, vitam civilem, & vitam ſpiritualem. Qui amat Patriam, & ei ex benevelle benefacit, is in altera vita amat Regnum Domini, nam ibi eſt Regnum Domini ei Patria; & qui amat Regnum Domini, is amat Dominum, quia Dominus eſt omne in omnibus ſui Regni.

94. Eccleſia eſt proximus præ Patria, nam qui conſulit Eccleſiæ, conſulit animabus & vitæ æternæ hominum qui in Patria; quare qui conſulit Eccleſiæ ex amore, is amat proximum in ſuperiori gradu, nam is cœlum & felicitatem vitæ in æternum aliis optat & vult.

95. Regnum Domini eſt Proximus in adhuc ſuperiori gradu, nam Regnum Domini conſiſtit ex omnibus qui in bono ſunt, tam qui in terris quam qui in cœlis; ita Regnum Domini eſt Bonum cum omni ejus quali in complexu; hoc cum amatur, amantur ſinguli qui in bono ſunt.

96. Hi gradus ſunt Proximi, & ſecundum hos gradus aſcendit amor apud illos qui in amore erga proximum ſunt: ſed hi gradus ſunt gradus in ordine ſucceſſivo, in quo præferendum eſt prius ſeu ſuperius poſteriori ſeu inferiori; & quia Dominus eſt in ſupremo, & Ipſe ſpectandus in ſingulis gradibus ut finis ad quem, ita eſt Ipſe ſupra omnes & ſupra omnia amandus. Ex his nunc conſtare poteſt, quomodo Amor in Dominum ſe conjungit cum Amore erga proximum.

97. In communi ſermone eſt, quod quiſque ſibi proximus ſit, hoc eſt, quod quiſque ſibi primum conſulet; ſed Doctrina charitatis docet, quomodo hoc intelligendum eſt. Quiſque ſibi proſpiciet ut habeat neceſſitates vitæ, ut nempe victum, ut amictum, ut habitationem, & plura, quæ in vita civili, in qua eſt, neceſſario requiruntur, & hoc non modo pro ſe ſed etiam pro ſuis, nec modo pro tempore

præſenti

præsenti sed etiam pro venturo; nam nisi quis sibi comparat necessitates vitæ, non potest esse in statu exercendi charitatem; in omnium enim egestate est.

98. Sed quomodo quisque sibi proximus esse debet, constare potest ex hoc simili: quisque prospicere debet corpori suo victu & amictu, hoc primum erit, sed ob finem ut mens sana sit in corpore sano; & quisque prospicere debet menti suo victu, nempe talibus quæ sunt intelligentiæ & sapientiæ, ob finem ut illa inde in statu sit serviendi Concivi, Societati humanæ, Patriæ & Ecclesiæ, ita Domino; qui hoc facit, is sibi prospicit bene in æternum; inde patet quod primum sit, ubi finis propter quem, nam ad illum spectant omnia. Se quoque hoc habet, sicut qui construit domum, primo ponet fundamentum, sed fundamentum erit pro domo, & domus pro habitatione; qui credit sibi proximum esse primo loco, is similis est ei qui spectat fundamentum ut finem, non domum & habitationem, cum tamen habitatio est ipse finis primus & ultimus, ac domus cum fundamento est modo medium ad finem.

99. Finis declarat, quomodo quisque sibi proximus erit, ac sibi primum consulet; si finis sit ut ditescat præ aliis solum divitiarum causa, vel voluptatis causa, vel eminentiæ causa, & similium, est finis malus, & is non proximum amat, sed semet: at si finis est, ut opes sibi comparet, ut in statu sit consulendi Concivi, Societati humanæ, Patriæ, & Ecclesiæ; similiter ut functiones sibi comparet ob eundem finem, is amat proximum. Ipse finis propter quem agit, facit hominem, nam finis est ejus amor, quisque enim pro fine primo & ultimo habet, quod super omnia amat.

Hæc dicta sunt de Proximo, nunc dicetur de Amore erga illum, seu de CHARITATE.

100. Creditur a multis, quod Amor erga proximum sit dare pauperibus, opem ferre indigenti, & bonum facere cuicunque; sed Charitas est, prudenter agere, & propter finem ut inde bonum: qui alicui pauperi aut indigenti malefico opem fert, is per illum malefacit proximo, nam per opem, quam fert, confirmat illum in malo, ac suppeditat ei copiam malefaciendi aliis; aliter qui suppetias fert bonis.

101. Sed Charitas multo latius se extendit, quam ad pauperes & indigentes; Charitas enim est rectum facere in omni opere, ac debitum in omni officio: si Judex justum facit propter justum, Charitatem exercet; si punit sontem, & absolvit insontem, Charitatem exercet, nam

nam sic consulit concivi & consulit patriæ. Sacerdos qui docet verum, & ducit ad bonum, propter verum & bonum, is charitatem exercet. Qui autem talia facit propter se & mundum, is charitatem non exercet, quia non amat proximum sed semet.

102. Simile est cum reliquis, sive in aliqua functione sint, sive non sint; ut cum liberis erga parentes, & cum parentibus erga liberos; cum servis erga dominos, & cum dominis erga servos; cum subditis erga Regem, & cum Rege erga subditos: qui ex illis debitum facit ex debito, & justum ex justo, is charitatem exercet.

103. Quod illa amoris erga proximum seu Charitatis sit, est quia, ut supra dictum est, unusquisque homo est proximus, sed diversimode; Societas minor & major est magis proximus: Patria adhuc magis proximus; Regnum Domini adhuc magis; & Dominus supra omnes; & in sensu universali Bonum, quod procedit ex Domino, est Proximus; consequenter etiam est Sincerum & Justum: quapropter qui facit bonum quodcunque propter bonum, ac qui sincere & juste agit propter sincerum & justum, is amat proximum, & exercet charitatem, nam facit ex amore boni, sinceri, & justi, ac inde ex amore illorum in quibus bonum, sincerum, & justum sunt.

104. Charitas itaque est affectio interna, ex qua homo vult bonum facere, & hoc absque renumeratione; ejus jucundum vitæ est id facere. Illi qui ex affectione interna bonum faciunt, in singulis quæ cogitant & loquuntur, & quæ volunt & agunt, est charitas; dici potest, quod homo & angelus quoad interiora sua sit Charitas, cum bonum ei est proximus. Tam late se extendit Charitas.

105. Illi, quibus amor sui & mundi pro fine sunt, nequaquam possunt in charitate esse; ne quidem sciunt quid charitas; & prorsus non comprehendunt, quod velle & facere bonum proximo absque fine mercedis sit cœlum in homine, & quod illi affectioni insit tanta felicitas, quanta est Angelorum Cœli, quæ ineffabilis; nam credunt, si privantur gaudio ex gloria honorum & opum, quod nihil gaudii amplius detur, cum tamen tunc primum inchoat gaudium cœleste, quod infinite transcendit.

Ex

Ex Arcanis Cœlestibus.

106. QUOD Cœlum sit distinctum in duo Regna, quorum unum vocatur Regnum cœleste, alterum Regnum spirituale: Amor in Regno cœlesti est Amor in Dominum, & vocatur Amor cœlestis, & Amor in Regno spirituali est Amor erga proximum seu Charitas, & vocatur Amor spiritualis, n: 3325. 3653. 7257. 9002. 9833. 9961. Quod Cœlum distinctum sit in duo illa Regna, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 20 ad 28. Et quod Divinum Domini in Cœlis sit Amor in Ipsum, & Charitas erga proximum, n: 13 ad 19 ibi.

Quod non sciatur, quid Bonum & quid Verum, nisi sciatur quid Amor in Dominum, & Amor erga proximum, quoniam omne Bonum est Amoris, & omne Verum est Boni, n: 7255. 7366. Quod scire vera, velle vera, & affici veris propter vera, hoc est, quia vera sunt, sit Charitas, n: 3876. 3877. Quod Charitas consistat in affectione interna faciendi verum, & non in externa absque illa, n: 2430. 2442. 3776. 4899. 4956. 8033. Ita quod Charitas consistat in usibus præstandis propter usus, n: 7038. 8253. Quod Charitas sit vita spiritualis hominis, n: 7081. Quod totum Verbum sit Doctrina Amoris & Charitatis, n: 6632. 7262. Quod nesciatur hodie quid Charitas, n: 2417. 3398. 4776. 6632. Quod usque homo ex lumine rationis suæ scire possit, quod Amor & Charitas faciant hominem, n: 3957. 6273. Tum quod Bonum & Verum concordent, ac unum sit alterius, ita Amor & Fides, n: 7627.

Quod Dominus in supremo sensu sit Proximus, quia Ille super omnia amandus est; inde quod omne id Proximus sit, quod ab Ipso est in quo Ipse, ita Bonum & Verum, n: 2425. 3419. 6706. 6819. 6823. 8124. Quod discrimen Proximi sit secundum quale boni, ita secundum præsentiam Domini, n: 6707. 6708. 6709. 6710. Quod omnis homo, & omnis Societas, tum Patria & Ecclesia, ac in universali sensu Regnum Domini sint Proximus, & quod illis benefacere ex amore boni secundum quale status eorum, sit amare proximum, ita Proximus est Bonum illorum, cui consulendum est, n: 6818 ad 6824. 8123. Quod etiam Bonum civile, quod est Justum, & Bonum morale, quod est bonum vitæ in societate, & vocatur Sincerum, sit Proximus, n: 2915. 4730. 8120. 8121. 8122. Quod amare proximum, non sit amare personam, sed id quod est apud illum ex quo ille, ita bonum & verum, n: 5025. 10336. Qui amant personam, & non quod est apud illum ex quo ille, quod ament æque malum quam bonum, n: 3820. Et quod benefaciant æque malis quam bonis, cum tamen benefacere malis est malefacere bonis, quod non est amare proximum, n: 3820. 6703. 8120. Judex qui punit malos ut emendentur, & ne contaminentur ab illis boni, is proximum amat, n: 3820. 8120. 8121.

Quod

Quod amare proximum, ſit facere bonum, juſtum & rectum in omni opere, & in omni functione, n : 8120. 8121. 8122. Inde quod Charitas erga proximum ſe extendat ad omnia & ſingula, quæ homo cogitat, vult, & facit, n : 8124. Quod facere bonum & verum ſit amare proximum, n : 10310. 10336. Quod illi qui hoc faciunt, ament Dominum, qui in ſupremo ſenſu eſt Proximus, n : 9212. Quod vita Charitatis ſit vita ſecundum præcepta Domini, & quod vivere ſecundum Divina Vera ſit amare Dominum, n : 10143. 10153. 10310. 10578. 10648.

Quod genuina Charitas non ſit meritoria, n : 2340. 2373. 2400. 3887. 6388 ad 6393. Quia eſt ex affectione interna, ita ex jucundo vitæ faciendi bonum, n : 2373. 2400. 3887. 6388. 6393. Qui fidem ſeparant a charitate, quod in altera vita faciant fidem, & bona opera, quæ in externa forma fecerunt, meritoria, n : 2373. Quod qui in malis ex amore ſui aut mundi ſunt, non ſciant quid ſit facere bonum abſque remuneratione, ita quid ſit charitas non meritoria, n : 8037.

Quod Doctrina Antiquæ Eccleſiæ fuerit Doctrina vitæ, quæ eſt Doctrina charitatis, n : 2487. 2385. 3419. 3420. 4844. 6628. Quod illis inde intelligentia & ſapientia, n : 2417. 6629. 7259 ad 7262. Quod intelligentia & ſapientia creſcant in immenſum in altera vita apud illos, qui vitam charitatis in mundo vixerunt, n : 1941. 5859. Quod Dominus cum Divino vero influat in charitatem, quia in ipſam vitam hominis, n : 2363. Quod homo ſit ſicut hortus, apud quem charitas & fides conjunctæ ſunt ; ſed ſicut deſertum apud quem non conjunctæ, n : 7626. Quod homo tantum recedat a ſapientia, quantum a charitate ; & quod in ignorantia de Veris Divinis ſint, qui non in Charitate, utcunque ſe credunt ſapere, n : 2416. 2435. Quod Vita angelica conſiſtat in bonis charitatis, quæ ſunt uſus, præſtandis, n : 454. Quod Angeli ſpirituales, qui ſunt qui in bono charitatis, ſint formæ charitatis, n : 553. 3804. 4735.

Quod omnia Vera ſpiritualia ſpectent charitatem, ut ſuum principium & finem, n 4353. Quod Doctrinalia Eccleſiæ nihil faciant, niſi ſpectent Charitatem ut finem, n : 2049. 2116.

Quod præſentia Domini apud homines & angelos ſe habeat ſecundum ſtatum amoris & charitatis eorum, n : 649. 904. Quod Charitas ſit imago Dei, n : 1013. Quod intus in Charitate, ſit Amor in Dominum, ita Dominus, tametſi homo id neſcit, n : 2227. 5066. 5067. Quod qui Charitatis vitam vivunt, accepti cives ſint tam in Mundo quam in Cœlo, n : 1121. Quod non violandum ſit bonum Charitatis, n : 2359.

Quod qui non in Charitate ſunt, non poſſint agnoſcere & colere Dominum, niſi ex hypocriſi, n : 2132. 4424. 9833. Quod formæ odii & charitatis non poſſint ſimul eſſe, n : 1860.

107. His adjicienda ſunt aliqua de Doctrina Amoris in Dominum ; & de Doctrina Charitatis, hæc qualis fuerat Antiquis, apud quos fuit Eccleſia ; ut ſciatur qualis hæc Doctrina, quæ hodie non eſt, prius fuerat ; etiam ex ARCANIS CŒLESTIBUS, n : 7257 ad 7263.

Bonum, quod est Amoris in Dominum, vocatur Bonum cœleste, & Bonum quod est Amoris erga proximum seu Charitatis, vocatur Bonum spirituale: Angeli qui in Intimo seu Tertio Cœlo sunt, in Bono amoris in Dominum sunt, inde illi vocantur Angeli Cœlestes; Angeli autem qui in Medio seu Secundo Cœlo sunt, in Bono Amoris erga proximum sunt, inde illi vocantur Angeli spirituales.

Doctrina Boni cœlestis, quæ est Amoris in Dominum, est amplissima & simul arcanissima, est enim Doctrina Angelorum Intimi seu Tertii Cœli, quæ talis est, ut si daretur ex ore illorum, vix millesima pars intelligeretur; sunt quoque ineffabilia quæ continet. Illa Doctrina continetur in sensu intimo Verbi; Doctrina autem amoris spiritualis in sensu interno.

Doctrina Boni spiritualis, quæ est Amoris erga proximum, est quoque ampla & arcana, sed multo minus quam Doctrina Boni Cœlestis quæ est Amoris in Dominum. Quod Doctrina Amoris erga proximum, seu Charitatis, sit ampla, inde constare potest, quod se extendat ad omnia & singula quæ homo cogitat & vult, ita ad omnia quæ loquitur & agit; tum quod Charitas non detur similis apud unum ut apud alterum; nec quod Proximus sit similis unus sicut alter.

Quia tam ampla fuit Doctrina Charitatis, ideo Antiqui, apud quos Doctrina Charitatis fuit ipsa Doctrina Ecclesiæ, distinguebant Charitatem erga proximum in plures Classes, quas etiam subdividebant, & singulis Classibus indebant Nomina, & docebant quomodo Charitas exercenda esset erga illos qui in una Classe, & quomodo erga illos qui in altera; & sic redigebant Doctrinam Charitatis in ordinem, & exercitia Charitatis ut distincte caderent in intellectum.

Nomina, quæ indebant illis erga quos Charitatem exercerent, erant plura, quosdam vocabant CAECOS, quosdam CLAUDOS, quosdam MANCOS, quosdam PAUPERES, tum MISEROS & AFFLICTOS, quosdam PUPILLOS, quosdam VIDUAS: in genere autem vocabant ESURIENTES quibus darent edere, SITIENTES quibus darent bibere, PEREGRINOS quos colligerent, NUDOS quos induerent, ÆGROTOS quos visitarent, & VINCTOS in CARCERE ad quos venirent. Quinam erant, quos per singulos intelligerent, expositum est in ARCANIS CŒLESTIBUS, ut quos per Cæcos, n: 2383. 6990. Quos per Claudos, n: 4302. Quos per Pauperes, n: 2129. 4459. 4958. 9209. 9253. 10227. Quos per Miseros, n: 2129. Quos per Afflictos, n: 6663. 6851. 9196. Quos per Pupillos, n: 4844. 9198. 9199. 9200. Quos per Viduas, n: 4844. 9198. 9200. Quos per Esurientes, n: 4958. 10227. Quos per Sitientes, n: 4958. 8568. Quos per Peregrinos, n: 4444. 7908. 8007. 8013. 9196. 9200. Quos per Nudos, n: 1073. 5433. 9960. Quos per Ægrotos, n: 4958. 6221. 8364. 9031. Quos per Vinctos in carcere, n: 5037. 5038. 5086. 5096. Quod per officia erga Esurientes, Sitientes, Peregrinos, Nudos, Ægrotos, & Vinctos in Carcere, qui a Domino dicuntur,

cuntur, Matth: XXV: 34. 35. 36 seq: comprehendatur tota Doctrina Charitatis, videatur n: 4954 ad 4959.

Hæc Nomina e Cœlo data fuerunt Antiquis qui ab Ecclesia, & per illos, qui ita nominabantur, intelligebant, qui spiritualiter tales erant: Doctrina illorum Charitatis docebat non modo quinam erant, sed etiam qualis esset erga unumquemvis Charitas. Inde est, quod eadem illa Nomina in Verbo sint, & significent illos qui tales in spirituali sensu sunt. Verbum in se non est nisi quam Doctrina Amoris in Dominum, & Charitatis erga proximum, ut quoque Dominus docet, "*Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, in tota anima tua, & in tota mente tua; hoc est primum & magnum Mandatum: Secundum est simile illi, amabis Proximum tuum sicut teipsum; ex his duobus Mandatis Lex & Prophetæ pendent*," Matth: XXII: 35. 36. 37. 38. Lex & Prophetæ sunt totum Verbum, n: 2606. 3382. 6752. 7462.

Quod eadem illa Nomina in Verbo sint, est ut Verbum, quod in se spirituale est, in suo ultimo esset naturale; & quia illi, qui in Externo cultu erant, erga tales, qui ita nominabantur, charitatem exercerent; at qui in Interno cultu, erga tales spiritualiter intellectos; ita ut simplices simpliciter intelligerent & facerent Verbum, ac ut sapientes sapienter; tum quoque, ut simplices per Externa charitatis initiarentur in Interna ejus.



De Fide.

108. NEMO ſcire poteſt quid Fides in ſua eſſentia, niſi ſciat quid Charitas, quoniam ubi non Charitas ibi non Fides, nam Charitas unum facit cum Fide ſicut Bonum cum Vero, quod enim homo amat ſeu quod charum habet, hoc ei eſt bonum, & quod homo credit, hoc ei eſt verum; inde patet, quod ſimilis unio ſit Charitatis & Fidei, qualis eſt Boni & Veri; quæ unio qualis eſt, conſtare poteſt ex illis, quæ prius de BONO & VERO dicta ſunt.

109. Talis quoque unio eſt Charitatis & Fidei, qualis eſt Voluntatis & Intellectus apud hominem; binæ enim illæ Facultates ſunt, quæ recipiunt Bonum & Verum, Voluntas Bonum & Intellectus Verum; ita quoque binæ illæ Facultates recipiunt Charitatem & Fidem, quoniam bonum eſt charitatis & verum eſt fidei; quod Charitas & Fides ſint apud hominem, & in illo, nullus non ſcit, & quia ſunt apud illum & in illo, non alibi ſunt quam in ejus Voluntate & Intellectu, omnis enim vita hominis ibi eſt, & inde eſt; eſt quoque homini Memoria, ſed hæc modo eſt atrium, ubi colliguntur illa, quæ in Intellectum & Voluntatem intrabunt: inde patet, quod ſimilis unio ſit Charitatis & Fidei, qualis eſt Voluntatis & Intellectus; quæ unio qualis eſt, conſtare poteſt ex illis, quæ de VOLUNTATE & INTELLECTU prius dicta ſunt.

110. Charitas cum Fide ſe conjungit apud hominem, cum homo vult id quod ſcit & percipit; velle eſt charitatis, ac ſcire & percipere eſt fidei; Fides intrat hominem, & fit ejus, cum vult & amat id quod ſcit & percipit; interea eſt extra illum.

111. Fides non fit Fides apud hominem, niſi fiat ſpiritualis, & non fit ſpiritualis niſi fiat amoris, & tunc fit amoris, cum homo amat vivere verum & bonum, hoc eſt, vivere ſecundum illa quæ in Verbo præcepta ſunt.

112. Fides eſt affectio veri ex velle verum quia eſt verum, & velle verum quia eſt verum, eſt ipſum ſpirituale hominis; eſt enim abſtractum a naturali, quod eſt velle verum non propter verum, ſed propter ſui gloriam, famam, aut lucrum; Verum abſtracte a talibus eſt ſpirituale, quia eſt a Divino; quod procedit a Divino eſt ſpirituale, & hoc conjungitur homini per amorem; nam amor eſt conjunctio ſpiritualis.

113. Homo

113. Homo multum poteſt ſcire, cogitare & intelligere, ſed illa quæ non concordant cum amore ejus, rejicit a ſe, cum ſibi ſoli relictus meditatur; & ideo quoque illa rejicit poſt vitam corporis, cum in ſpiritu eſt, nam id ſolum manet in ſpiritu hominis, quod intravit in ejus amorem; cætera poſt mortem ſpectantur ut aliena, quæ quia non amoris ejus ſunt, ejicit domo. In ſpiritu hominis dicitur, quia homo vivit ſpiritus poſt mortem.

114. Idea de bono quod charitatis & de vero quod fidei, formari poteſt ex Solis luce & calore; Lux, quæ procedit a Sole, cum conjuncta eſt Calori, quod fit tempore veris & æſtatis, tunc omnia telluris germinant & florent; at cum in luce non eſt Calor, ut tempore hyemis, tunc omnia telluris torpent & emoriuntur: etiam Lux ſpiritualis eſt verum fidei, & Calor ſpiritualis eſt amor. Ex his idea formari poteſt de homine Eccleſiæ, qualis ille eſt, quando apud illum conjuncta eſt Fides Charitati, quod nempe ſit ſicut hortus & paradiſus; & qualis ille, quando apud illum non conjuncta eſt fides charitati, quod ſit ſicut deſertum & terra nive obtecta.

115. Confidentia ſeu fiducia, quæ dicitur fidei, & vocatur ipſa fides ſalvans, non eſt confidentia ſeu fiducia ſpiritualis ſed naturalis, cum eſt ſolius fidei; Confidentia ſeu fiducia ſpiritualis eſſentiam & vitam ſuam habet ex bono amoris, non autem a vero fidei ſeparatæ; Confidentia fidei ſeparatæ eſt mortua; quapropter vera Confidentia non dabilis eſt apud illos, qui vitam malam agunt: etiam Confidentia, quod ſalvatio ſit propter meritum Domini apud Patrem, utcunque vita hominis fuerat, nec eſt ex vero. Omnes, qui in ſpirituali fide ſunt, confidentiam habent, quod ſalventur a Domino, credunt enim quod Dominus in mundum venerit ad dandum vitam æternam illis, qui credunt & vivunt ſecundum præcepta quæ docuit, & quod hos regeneret, & aptos reddat cœlo; & quod hoc faciat Ipſe Solus abſque ope hominis ex pura Miſericordia.

116. Credere illa quæ docet Verbum, ſeu quæ Doctrina Eccleſiæ, & non vivere ſecundum illa, apparet ſicut ſit Fides, & quoque autumant quidam quod ſalventur per illam; ſed per illam ſolam nemo ſalvatur, eſt enim Fides perſuaſiva, quæ qualis eſt, nunc dicetur.

117. Fides perſuaſiva eſt, cum creditur & amatur Verbum & Doctrina Eccleſiæ, non propter verum, & vitam ſecundum id, ſed propter lucrum, honorem, & eruditionis famam, ut fines; quapropter illi qui in ea Fide ſunt, non ſpectant ad Dominum & ad Cœlum, ſed ad ſe & ad mundum. Qui in mundo magna ſpirant & multa cupiunt, in per-

persuasivo, quod verum sit quod Doctrina Ecclesiæ docet, fortiori sunt, quam qui non magna spirant & multa cupiunt; causa est, quia Doctrina Ecclesiæ est illis modo medium ad suos fines, & quantum cupiuntur fines, tantum amantur media, & quoque creduntur. Sed res in se talis est, quantum in igne amorum sui & mundi sunt, & ex igne illo loquuntur, prædicant, & agunt, tantum in illo persuasivo sunt; & tunc non aliter sciunt quam quod ita sit: cum autem non in illorum amorum igne sunt, tunc parum credunt, & plures non credunt: inde patet, quod Fides persuasiva sit fides oris & non cordis; ita quod in se non sit fides.

118. Qui in Fide persuasiva sunt, non sciunt ex aliqua illustratione interna, num vera sint vel falsa quæ docent, imo nec curant, modo a vulgo credantur; sunt enim in nulla affectione veri propter verum: Quapropter recedunt a fide, si privantur honoribus & lucris, modo fama non periclitetur; nam fides persuasiva non est intus apud hominem, sed stat foris, solum in memoria, e qua depromitur cum docetur: quare etiam illa fides cum suis veris post mortem evanescit, nam tunc manet solum illud fidei, quod intus in homine est, hoc est, quod radicatum est in bono, ita quod factum est vitæ.

119. Illi qui in Fide persuasiva sunt, intelliguntur per hos apud Matthæum, "*Multi dicent Mihi in die illo, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus, & per Nomen tuum dæmonia ejecimus, & in Nomine Tuo multas virtutes fecimus; sed tunc confitebor illis, non novi vos, Operarii iniquitatis,*" VII: 22. 23. Tum apud Lucam, "*Tunc incipietis dicere, edimus coram Te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti; sed dicet, dico vobis, non novi vos unde estis, discedite a Me omnes Operarii iniquitatis,*" XIII: 26. 27. Intelliguntur etiam per quinque Virgines stultas, quæ non habebant oleum in lampadibus, apud Matthæum, "*Tandem venerunt illæ Virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; Ille vero respondens dicet, amen, dico vobis, non novi vos,*" XXV: 11. 12. Oleum in lampadibus est Bonum amoris in Fide.

Ex Arcanis Cœlestibus.

120. QUI non sciunt, quod omnia in Universo se referant ad VERUM & BONUM, & ad conjunctionem utriusque ut producatur aliquid, quod non sciant quod omnia Ecclesiæ se referant ad FIDEM & AMOREM,

AMOREM, & ad conjunctionem utriusque, ut sit Ecclesia apud hominem, n: 7752 ad 7762. 9186. 9224. Quod omnia in Universo, quæ sunt secundum Divinum Ordinem, se referant ad Bonum & Verum, & ad conjunctionem utriusque, n: 2451. 3166. 4390. 4409. 5232. 7256. 10122. 10555. Quod Vera sint Fidei, & Bona sint Amoris, n: 4353. 4997. 7178. 10367. Hæc causa est, quod de Bono & Vero, in hac Doctrina actum sit; quare ex illis quæ ibi allata sunt, concludi potest ad Fidem & Amorem, & sciri quales sunt cum conjuncti & quales cum non conjuncti, ponendo Amorem loco Boni, ac Fidem loco Veri, & applicando.

Qui non sciunt quod omnia & singula apud hominem se referant ad INTELLECTUM & VOLUNTATEM, & ad conjunctionem utriusque ut homo sit homo, quod non clare sciant, quod omnia Ecclesiæ se referant ad FIDEM & AMOREM, & ad conjunctionem utriusque, ut in homine sit Ecclesia, n: 2231. 7752. 7753. 7754. 9224. 9995. 10122. Quod binæ Facultates homini sint, una quæ vocatur Intellectus, & altera quæ Voluntas, n: 641. 803. 3623. 3939. Quod Intellectus dicatus sit recipiendis Veris, ita quæ Fidei sunt, & Voluntas dicata recipiendis Bonis, ita quæ Amoris sunt, n: 9300. 9930. 10064. Hæc causa est, quod de Voluntate & Intellectu in hac Doctrina etiam actum sit; nam ex illis quoque, quæ ibi allata sunt, concludi potest ad Fidem & Amorem, & sciri quales sunt cum conjuncti & quales cum non conjuncti, cogitando Amorem in Voluntate, & Fidem in Intellectu.

Qui non sciunt quod Homini sit Internum & Externum, seu INTERNUS & EXTERNUS HOMO, & quod omnia Cœli ad Internum hominem se referant, & omnia Mundi ad Externum, & quod conjunctio eorum sit sicut est conjunctio Mundi spiritualis & Mundi naturalis, quod non sciant quid FIDES SPIRITUALIS & AMOR SPIRITUALIS, n: 4292. 5132. 8610. Quod sit Homo Internus & Externus, & quod Homo Internus sit spiritualis homo, & Externus naturalis, n: 978. 1015. 4459. 6309. 9701 ad 9709. Quod Fides sit spiritualis, ita quod Fides sit fides, quantum in Interno homine est, similiter Amor, n: 1504. 3987. 8444. Et quod quantum amantur vera quæ sunt fidei, tantum spiritualia fiant, n: 1594. 3987. Hæc causa est, quod de Interno & Externo Homine actum sit; nam ex illis, quæ ibi allata sunt, concludi potest ad Fidem & Amorem, quales sunt cum spirituales, & quales cum non spirituales sunt, ita quantum sunt Ecclesiæ, & quantum non Ecclesiæ.

121. Quod Fides separata ab amore seu charitate, sit sicut lux hyemis, in qua omnia Telluris torpent, & nihil messis, fructus, & floris producitur; at quod fides cum amore seu charitate sit sicut lux veris & æstatis, in qua omnia florent & producuntur, n: 2231. 3146. 3412. 3413. Quod lux hyemalis, quæ est fidei separatæ a charitate, vertatur in densas tenebras, cum influit Lux e Cœlo; & quod illi, qui in ea fide sunt, tunc in cæcitatem & stupiditatem veniant, n: 3412. 3413. Quod qui Fidem a Charitate separant doctrina & vita, in tenebris sint, ita in ignorantia veri, & in falsis, nam hæc sunt tenebræ, n: 9186. Quod se conjiciant in falsa & inde mala,

n: 3325.

n : 3325. 8094. Errores & falſa, in quæ ſe conjiciunt, n : 4721. 4730. 4776. 4783. 4925. 7779. 8313. 8765. 9224. Quod Verbum illis ſit occluſum, n : 3773. 4783. 8780. Quod non videant & attendant ad omnia illa, quæ Dominus toties loquutus eſt de Amore & Charitate, deque eorum fructibus ſeu bonis actu, de quibus, n : 1017. 3416. Quod nec ſciant quid Bonum, ita nec quid Cœleſtis Amor, & quid Charitas, n : 2507. 3603. 4126. 9995.

Quod Fides ſeparata a Charitate ſit nulla fides, n : 654. 724. 1162. 1176. 2049. 2116. 2340. 2349. 2419. 3849. 3868. 6348. 7039. 7842. 9782. Quod talis fides in altera vita pereat, n : 2228. 5820. Quum pro principio ponitur ſola Fides, quod vera contaminentur falſo principii, n : 2433. Quod nec perſuaderi ſe patiantur, quia contra principium, n : 2385. Quod Doctrinalia de ſola Fide deſtruant Charitatem, n : 6353. 8094. Quod illi qui fidem ſeparant a charitate, repræſentati ſint per Cainum, per Chamum, per Rubenem, per Ægyptiorum primogenitos, & per Philiſthæos, n : 3325. 7097. 7317. 8093. Qui ſolam fidem ſalvificam faciunt, quod vitam mali excuſent, & quod illis, qui in vita mali ſunt, ſit nulla fides quia non charitas, n : 3865. 7766. 7778. 7790. 7950. 8094. Quod illi intus in falſis ſui mali ſint, tametſi hoc non ſciunt, n : 7790. 7950. Quod ideo illis non poſſit conjungi bonum, n : 8981. 8983. Quod etiam in altera vita ſint contra bonum, & contra illos qui in bono ſunt, n : 7097. 7127. 7317. 7502. 7945. 8096. 8313. Quod ſimplices corde, & uſque ſapientes, ſciant quid bonum vitæ, ita quid charitas, & non quid fides ſeparata, n : 4741. 4754.

Quod omnia Eccleſiæ ſe referant ad Bonum & Verum, ita ad Charitatem & Fidem, n : 7752. 7753. 7754. Quod non prius Eccleſia ſit apud hominem, quam cum vera implantata ſunt vitæ, & ſic facta bonum Charitatis, n : 3310. Quod Charitas faciat Eccleſiam, & non Fides ſeparata a Charitate, n : 809. 916. 1798. 1799. 1894. 1844. Quod Internum Eccleſiæ ſit charitas, n : 1899. 7755. Inde, quod non Eccleſia ſit, ubi non Charitas, n : 4766. 5826. Quod una Eccleſia foret, ſi ſpectarentur omnes ex charitate, tametſi quoad doctrinalia fidei, & quoad cultus ritualia, differrent, n : 1286. 1316. 1798. 1799. 1834. 1844. 2385. 2982. 3267. 3451. Quantum boni in Eccleſia, ſi Charitas ſpectaretur primo loco, & Fides ſecundo, n : 6269. 6272. Quod omnis Eccleſia incipiat a Charitate, ſed quod temporis ſucceſſu deflectat ad Fidem, & tandem ad Solam Fidem, n : 1834. 1835. 2231. 4683. 8094. Quod nulla fides ultimo tempore Eccleſiæ ſit, quia nulla charitas, n : 1843. Quod cultus Domini conſiſtat in vita charitatis, n : 8254. 8256. Quod quale cultus ſit ſecundum quale charitatis, n : 2190. Quod Externæ Eccleſiæ homines Internum habeant, ſi ſint in charitate, n : 1100. 1102. 1151. 1153. Quod Doctrina in Antiquis Eccleſiis fuerit Doctrina vitæ, quæ eſt Doctrina Charitatis, & non Doctrina Fidei ſeparatæ, n : 2417. 2385. 3419. 3420. 4844. 6628. 7259 ad 7262.

Quod Dominus inſeminet & implantet verum bono charitatis, cum regenerat hominem, n : 2663. 2189. 3310. Quod aliter ſemen, quod eſt verum

 fidei,

fidei, non radicem agere possit, n: 880. Quod bona & vera dein crescant secundum Charitatis receptæ quale & quantum, n: 1016. Quod lumen regenerati non sit ex fide, sed ex Charitate per fidem, n: 854. Quod vera fidei, cum regeneratur homo, intrent cum jucundo affectionis, quia amat facere illa, & quod reproducantur cum eadem affectione, quia cohærent, n: 2484. 2487. 3040. 3066. 3074. 3336. 4018. 5893.

Quod qui in Amore in Dominum, & in Charitate erga proximum vivunt, nihil perdant in æternum, quia conjuncti Domino; aliter qui in fide separata, n: 7506. 7507. Quod homo talis maneat, qualis ejus vita Charitatis, non qualis ejus fides separata, n: 8256. Qui in Charitate vixerunt, quod eorum omnes status jucundi redeant in altera vita, ac immensum augeantur, n: 823. Quod beatitudo cœlestis influat a Domino in Charitatem, quia in ipsam vitam hominis, & non in fidem absque charitate, n: 2363. Quod in Cœlo spectentur omnes ex charitate, & nullus ex fide separata, n: 1258. 1394. Quod etiam omnes in Cœlis consocientur secundum amores, n: 7085. Quod nemo in Cœlum admittatur per cogitare, sed per velle bonum, n: 2401. 3459. Nisi facere bonum sit conjunctum cum velle bonum & cum cogitare bonum, quod nulla salvatio, nec conjunctio hominis Interni cum Externo, n: 3987. Quod Dominus, & quod Fides in Ipsum, non ab aliis recipiatur in altera vita, quam ab illis qui in Charitate sunt, n: 2340.

Quod Bonum in perpetuo desiderio & inde conatu sit se conjungendi cum veris, ita Charitas cum Fide, n: 9206. 9207. 9495. Quod Bonum charitatis agnoscat suum Verum fidei, ac Verum fidei suum Bonum charitatis, n: 2429. 3101. 3102. 3161. 3179. 3180. 4358. 5407. 5835. 9637. Quod inde conjunctio Veri fidei & Boni charitatis, de qua, n: 3834. 4096. 4097. 4301. 4345. 4353. 4364. 4368. 5365. 7623 ad 7627. 7752 ad 7762. 8530. 9258. 10555. Quod conjunctio illorum sit instar Conjugii, n: 1094. 2173. 2503. Quod Lex conjugii sit, quod duo unum sint, secundum Verbum Domini, n: 10130. 10168. 10169. Ita Fides & Charitas, n: 1094. 2173. 2503. Quod ideo Fides quæ fides quoad essentiam suam sit Charitas, n: 2228. 2839. 3180. 9783. Quod sicut Bonum est Esse rei, ac Verum Existere inde, ita quod Charitas sit Esse Ecclesiæ, ac Fides Existere inde, n: 3049. 3180. 4574. 5002. 9144. Quod Verum fidei vivat ex Bono charitatis, ita quod vita secundum vera fidei sit Charitas, n: 1589. 1947. 2579. 4070. 4096. 4097. 4736. 4757. 4884. 5147. 5928. 9154. 9667. 9841. 10729. Quod fides non dari queat nisi in charitate, si non in charitate quod in fide non sit bonum, n: 2261. 4368. Quod fides non vivat apud hominem, cum modo scit & cogitat illa quæ fidei sunt, sed cum vult illa & ex velle facit illa, n: 9224.

Quod nulla salvatio sit per fidem, sed per vitam secundum vera fidei, quæ vita est charitas, n: 379. 389. 2228. 4663. 4721. Quod salventur, qui ex Doctrina Ecclesiæ cogitant quod sola fides salvet, si justum faciunt propter justum, & bonum propter bonum, nam sic usque in charitate sunt, n: 2442. 3242. 3459. 3463. 7506. 7507. Si solum fides cogitativa salvaret, quod

omnes salvarentur, n: 2364. 10659. Quod Charitas faciat cœlum apud hominem, & non fides absque illa, n: 3815. 3513. 3584. 9832. 10714. 10715. 10721. 10724. Quod spectentur omnes ex charitate in cœlo, & non ex fide, n: 1258. 1394. 2364. 4802. Quod conjunctio Domini cum homine non sit per fidem, sed per vitam secundum vera quæ fidei sunt, n: 9380. 10143. 10153. 10310. 10578. 10645. 10648. Quod Dominus sit Arbor vitæ, bona charitatis fructus, & fides folia, n: 3427. 9337. Quod Fides sit luminare minus, & Amor luminare majus, n: 30 ad 38.

Quod Angeli ex Regno cœlesti Domini non sciant quid fides, usque adeo ut ne quidem nominent illam; at quod Angeli ex Regno spirituali Domini loquantur de fide, quia ratiocinantur de veris, n: 202. 203. 337. 2215. 3246. 4448. 9166. 10786. Quod Angeli in Regno cœlesti Domini dicant modo ita ita, vel non non, at quod Angeli e Regno spirituali Domini ratiocinentur num ita sit vel non ita, quando sermo est de veris spiritualibus, quæ sunt fidei, n: 2715. 3246. 4448. 9166. 10786, ubi explicantur Domini verba, "*Esto sermo vester ita ita, non non, quod ultra hæc est ex malo est,*" Matth: v: 37: quod Angeli cœlestes tales sint, est quia Vera fidei statim in vitam immittunt, & non sicut Angeli spirituales prius in memoriam; & quod Angeli cœlestes inde in perceptione omnium quæ fidei sint, n: 202. 585. 597. 607. 784. 1121. 1387. 1398. 1442. 1919. 5113. 5897. 6367. 7680. 7877. 8521. 8780. 9935. 9995. 10124.

Quod Fiducia seu Confidentia, quæ in eminenti sensu vocatur fides salvans, non detur nisi quam apud illos qui in bono sunt quoad vitam, ita apud illos qui in charitate, n: 2982. 4352. 4683. 4689. 7762. 8240. 9239 ad 9245. Quod pauci sciant quid Confidentia illa, n: 3868. 4352.

Quæ differentia est inter credere illa quæ a Deo, & credere in Deum, n: 9239. 9243. Quod aliud sit scire, aliud agnoscere, & aliud fidem habere, n: 896. 4319. 5664. Quod sint scientifica fidei, rationalia fidei, & spiritualia fidei, n: 2504. 8076. Quod primum sit agnitio Domini, n: 10083. Quod omne id sit bonum, quod influit a Domino apud hominem, n: 1614. 2016. 2751. 2882. 2883. 2891. 2892. 2904. 6193. 7643. 9128.

Quod detur Fides persuasiva, quæ usque non est fides, n: 2340. 2682. 2689. 3417. 3865. 8148.

Quod ex variis ratiociniis appareat, sicut fides sit prior charitate, sed quod sit fallacia, n: 3324. Quod ex solo lumine rationis sciri possit, quod bonum sit primo loco, ita charitas, & verum secundo, ita fides, n: 6273. Quod bonum, ita charitas, sit actualiter primo loco, seu primum Ecclesiæ, ac verum, ita fides, secundo loco, seu secundum Ecclesiæ, tametsi aliter apparet, n: 3324. 3325. 3330. 3336. 3494. 3589. 3548. 3556. 3570. 3576. 3603. 3701. 3995. 4337. 4610. 4925. 4926. 4928. 4930. 5351. 6256. 6269. 6272. 6273. 8042. 8080. 10110. Quod apud Antiquos etiam disceptatum fuerit de primo seu primogenito Ecclesiæ, num sit fides vel num charitas, n: 367. 2435. 3324.

122. Quod duodecim discipuli Domini repræsentaverint Ecclesiam quoad

 omnia

omnia fidei & charitatis in complexu, similiter ac duodecim Tribus Israelis, n: 2129. 3354. 3488. 3858. 6397. Quod Petrus, Jacobus, & Johannes repræsentaverint Fidem, Charitatem, & Bona charitatis, in suo ordine, n: 3750. Quod Petrus Fidem, n: 4738. 6000. 6073. 6344. 10087. 10580. Et quod Johannes Bona charitatis, Præfat: ad Cap: XVIII & ad Cap: XXII Genes: Quod ultimo tempore Ecclesiæ nulla esset fides in Dominum, quia non charitas, repræsentatum est per *quod Petrus ter abnegaverit Dominum, antequam gallus tertio cecinit*; Petrus enim in sensu repræsentativo ibi est Fides, n: 6000. 6073. Quod gallicaneum æque ac diluculum in Verbo significet ultimum tempus Ecclesiæ, n: 10134. Et quod tria vel ter significent completum ad finem, n: 2788. 4495. 5159. 5198. 10127. Simile significatur per quod Dominus dixerit ad Petrum, cum Petrus videret Johannem sequi Dominum, *quid ad Te Petre, tu sequere me Johannes*; Petrus enim dixit de Johanne, *hic quid*, Johan: XXI: 21. 22. n: 10087. Quia Johannes repræsentavit bonum charitatis, quod accubuerit ad pectus Domini, n: 3934. 10081. Quod Bonum charitatis faciat Ecclesiam, etiam significatur per verba Domini e cruce ad Johannem, "*Jesus vidit Matrem suam, & dixit ad Discipulum quem amabat, qui adstabat, & dixit Matri suæ, Mulier ecce filius tuus; & dixit Discipulo illi, ecce Mater tua; & ex illa hora accepit illam Discipulus ille ad Se*," Joh: XIX: 26. 27; per Johannem intelligitur Bonum charitatis, ac per Mulierem & per Matrem Ecclesia; & per illa omnia, quod Ecclesia erit ubi Bonum charitatis: quod per Mulierem in Verbo intelligatur Ecclesia, n: 252. 253. 749. 770. 3160. 6014. 7337. 8994. Quod similiter per Matrem, n: 289. 2691. 2717. 3703. 4257. 5580. 8897. 10490. Quod omnia Nomina personarum & locorum in Verbo significent res abstracte ab illis, n: 768. 1888. 4310. 4442. 10329.



De Pietate.

123. CReditur a multis, quod vita ſpiritualis, ſeu vita quæ ducit ad Cœlum, conſiſtat in *Pietate*, in *Sancto externo*, & in *Abdicatione mundi*; ſed Pietas abſque charitate, & Sanctum externum abſque ſancto interno, & Abdicatio mundi abſque vita in mundo, non faciunt vitam ſpiritualem, verum Pietas ex charitate, Sanctum externum ex ſancto interno, & Abdicatio mundi cum vita in mundo, faciunt.

124. Pietas eſt pie cogitare & loqui, multum vacare precibus, humiliter ſe tunc gerere, frequentare Templa, & ibi prædicationes devote auſcultare, & ſæpe quotannis obire Sacramentum Cœnæ, & ſimiliter reliqua Cultus ſecundum Eccleſiæ ſtatuta. Vita autem Charitatis eſt bene velle & bene facere proximo, in omni opere agere ex juſto & æquo, ex bono & vero, ſimiliter in omni functione; verbo, vita charitatis conſiſtit in uſibus præſtandis: in hac vita primario conſiſtit Cultus Divinus, in illa autem ſecundario: quapropter qui ſeparat unam ab altera, nempe qui vitam pietatis agit, & non ſimul vitam charitatis, non colit Deum; cogitat quidem de Deo, verum non ex Deo ſed ex ſe, nam de ſe cogitat jugiter, & nihil de proximo, & ſi de proximo, eum vilipendit ſi non etiam talis ſit; & quoque cogitat de cœlo ut mercede, inde in animo ejus eſt meritum, & quoque amor ſui, ut & contemtus aut neglectus uſuum, & ſic proximi, & ſimul eſt fides inculpati. Inde conſtare poteſt, quod Pietatis vita ſeparata a Charitatis vita, non ſit vita ſpiritualis, quæ erit in cultu Divino. Confer Matth: VI: 7. 8.

125. Sanctum externum eſt ſimile Pio tali; ſed hoc apud hominem non ſanctum eſt, niſi Internum ejus ſanctum ſit, nam qualis homo quoad Internum ſuum eſt, talis eſt quoad Externum, hoc enim procedit ab illo ſicut actio a ſuo ſpiritu; quare Sanctum externum abſque Sancto interno eſt naturale & non ſpirituale; inde eſt, quod detur æque apud malos ac apud bonos; & illi, qui in eo omnem cultum ponunt, ſunt utplurimum vacui, hoc eſt, abſque cognitionibus boni & veri, & tamen bona & vera ſunt ipſa ſancta, quæ ſcienda, credenda, & amanda, quia ſunt a Divino, & ſic Divinum in illis; Sanctum itaque Internum eſt amare bonum & verum propter bonum & verum, ac

juſtum & ſincerum propter juſtum & ſincerum; quantum homo hæc ita amat, tantum eſt ſpiritualis, & quoque ejus cultus, nam tantum etiam vult ſcire illa & facere illa; at quantum homo illa non ita amat, tantum eſt naturalis, & quoque ejus cultus, & quoque tantum non vult ſcire illa & facere illa. Comparari poteſt Cultus externus abſque Interno cum vita reſpirationis abſque vita cordis, at Cultus externus ex Interno cum vita reſpirationis conjuncta vitæ cordis.

126. Quod autem Abdicationem mundi attinet, creditur a multis, quod abdicare mundum, ac vivere ſpiritu & non carne, ſit rejicere mundana, quæ ſunt præcipue divitiæ & honores, ac ire continue in pia meditatione de Deo, de ſalute, & de vita æterna, ac vitam agere in precibus, in lectione Verbi, ac piorum librorum; & quoque affligere ſe; ſed hæc non ſunt abdicare mundum; verum abdicare mundum eſt amare Deum & amare proximum; & amatur Deus cum vivitur ſecundum præcepta Ipſius, & amatur proximus cum homo uſus præſtat; quare ut homo vitam cœli recipiat, omnino vivet in mundo, ac in officiis & negotiis ibi: vita abſtracta a mundanis eſt vita cogitationis & fidei ſeparatæ a vita amoris & charitatis, in qua vita perit velle bonum & facere bonum proximo; & cum hoc perit, eſt vita ſpiritualis ſicut domus abſque fundamento, quæ ſucceſſive vel ſubſidet, vel rimas ducit & hiat, vel nutat uſque dum dilabitur.

127. Quod facere bonum ſit colere Dominum, conſtat a Domini verbis, "*Omnis qui audit verba mea & facit ea, aſſimilabo Viro prudenti, qui ædificavit domum ſuper petra: at qui audit verba mea, & non facit ea, aſſimilabo Viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuper arena, (aut ſuper humo abſque fundamento,)*" Matth: VII: 24 ad 27. Luc: VI: 47. 48. 49.

128. Ex his nunc patet, quod vita Pietatis tantum valeat & Domino accepta ſit, quantum ei conjuncta eſt vita Charitatis; hæc enim primaria eſt, & qualis hæc talis illa. Tum, quod Sanctum externum tantum valeat, & Domino acceptum ſit, quantum procedit ex Sancto interno, nam quale hoc tale illud. Ut &, quod Abdicatio mundi tantum valeat, & Domino accepta ſit, quantum hæc ſit in mundo; nam illi abdicant mundum, qui removent amorem ſui & mundi, ac juſte & ſincere agunt in omni functione, in omni negotio, & in omni opere, ex interiori, ita ex cœleſti origine, quæ origo illi vitæ ineſt, cum homo bene, ſincere & juſte agit, quia eſt ſecundum leges Divinas.

Ex Arcanis Cœlestibus.

129. QUOD vita Pietatis absque vita Charitatis non valeat, sed quod cum hac conducat, n: 8252 seq. Quod Sanctum externum absque Sancto interno non sanctum sit, n: 2190. 10177. De illis qui in Externo Sancto vixerunt, & non ex interno, quales in altera vita, n: 951. 952.

Quod sit Ecclesiæ Internum & Externum, n: 1098. Quod sit Cultus internus, & Cultus externus, qualis unus & alter, n: 1083. 1098. 1100. 1151. 1153. Quod Interna sint, quæ faciunt Cultum, n: 1175. Quod Cultus externus absque interno sit nullus Cultus, n: 1094. 7724. Quod Internum sit in Cultu, si hominis vita est vita charitatis, n: 1100. 1151. 1153. Quod homo sit in vero Cultu, cum in amore & charitate, hoc est, cum in bono quoad vitam, n: 1618. 7724. 10242. Quod quale cultus sit secundum bonum, n: 2190. Quod ipse Cultus sit vita secundum præcepta Ecclesiæ quæ ex Verbo sunt, n: 7884. 9921. 10143. 10153. 10195. 10645.

Quod verus cultus sit a Domino apud hominem, & non ab ipso homine, n: 10203. 10299. Quod Dominus velit cultum ab homine propter hominis salutem, & non propter suam Gloriam, n: 4593. 8263. 10646. Quod homo credat, quod Dominus velit Cultum ab homine, propter Gloriam; sed quod illi, qui ita credunt, nesciant quid Gloria Divina, & quod Gloria Divina sit salus Generis Humani, quæ homini est cum nihil sibi tribuit, & cum per humiliationem removet suum proprium, quia tunc primum Divinum influere potest, n: 4347. 4593. 5957. 7550. 8263. 10646. Quod humiliatio cordis apud hominem existat ex agnitione sui, quæ est quod non sit nisi quam malum, & quod ex se nihil possit, & ex agnitione Domini tunc, quæ est quod ab Ipso non nisi quam bonum, & quod Dominus omnia possit, n: 2327. 3994. 7478. Quod Divinum influere nequeat nisi in cor humile, quoniam homo, quantum in humiliatione est, tantum a suo proprio absens est, ita ab amore sui, n: 3994. 4347. 5957. Inde, quod Dominus non velit humiliationem propter se, sed propter hominem, ut homo sit in statu recipiendi Divinum, n: 4357. 5957. Quod Cultus non sit cultus absque humiliatione, n: 2327. 2423. 8873. Humiliatio externa absque interna, qualis, n: 5420. 9377. Humiliatio cordis, quæ interna, qualis, n: 7478. Quod non detur humiliatio cordis apud malos, n: 7640.

Quod Cultus externus absque Cultu interno sit illis qui non charitatem & fidem habent, n: 1200. Si interius apud hominem regnat amor sui & mundi, quod Cultus ejus sit externus absque interno, utcunque in externa forma apparet, n: 1182. 10307. 10308. 10309. Quod Cultus externus, in

quo

quo intus amor sui regnat, qualiter apud illos qui e Babylonia, sit prophanus, n: 1304. 1306. 1307. 1308. 1321. 1322. 1326. Imitari affectiones cœlestes in Cultu, cum homo est in malis ex amore sui, quod sit infernale, n: 10309.

De Cultu Externo, qualis est cum ex Interno, & qualis cum non ex Interno, videri & concludi potest ex illis quæ prius de INTERNO & EXTERNO HOMINE dicta & allata sunt.

De illis qui abdicant mundum, ac de illis qui non abdicant, quales sunt, & qualis sors eorum in altera vita, videantur plura in Opere de Cœlo & Inferno, ac in binis ibi Articulis, in uno, ubi *de Divitibus & Pauperibus in Cœlo*, n: 357 ad 365, & in altero, *ubi de Vita quæ ducit ad Cœlum*, n: 528 ad 535, agitur.



De

De Conſcientia.

130. CONſcientia formatur apud hominem ex Religioſo, in quo eſt, ſecundum receptionem ejus intus in ſe.

131. Conſcientia apud hominem Eccleſiæ formatur per Vera fidei ex Verbo, aut ex Doctrina e Verbo, ſecundum receptionem illorum in corde; nam cum homo ſcit vera fidei, & capit illa ſuo modo, ac dein vult illa, & facit illa, tunc fit ei Conſcientia; receptio in Corde eſt in voluntate, nam voluntas hominis eſt quæ vocatur cor. Inde eſt, quod illi, qui Conſcientiam habent, ex corde loquantur quæ loquuntur, & ex corde faciant quæ faciunt: habent etiam illi Mentem non diviſam, nam ſecundum id quod intelligunt & credunt verum & bonum eſſe, faciunt.

132. Conſcientia perfectior poteſt dari apud illos, qui in veris fidei illuſtrati ſunt præ aliis, & qui in clara perceptione ſunt præ aliis, quam apud illos qui minus illuſtrati ſunt, & in obſcura perceptione ſunt.

133. In vera Conſcientia eſt ipſa Vita ſpiritualis hominis, eſt enim ibi ejus fides conjuncta charitati, quapropter facere ex Conſcientia eſt illis facere ex Vita ſua ſpirituali, & facere contra Conſcientiam eſt illis facere contra illam ſuam vitam: Inde eſt, quod in tranquillitate pacis ſint, & in beatitudine interna, cum faciunt ſecundum Conſcientiam, ac in intranquillitate & dolore, cum faciunt contra illam: hic dolor eſt, qui vocatur morſus Conſcientiæ.

134. Eſt homini Conſcientia boni & Conſcientia juſti; Conſcientia boni eſt Conſcientia Interni hominis, & Conſcientia juſti eſt Conſcientia Externi hominis; Conſcientia boni eſt facere ſecundum præcepta fidei ex affectione interna, at Conſcientia juſti eſt facere ſecundum leges civiles & morales ex affectione externa. Qui Conſcientiam boni habent, illi quoque Conſcientiam juſti habent; at qui modo Conſcientiam juſti habent, illi in facultate ſunt recipiendi Conſcientiam boni; & quoque recipiunt cum inſtructi.

135. Conſcientia apud illos, qui in Charitate erga proximum ſunt, eſt Conſcientia veri, quia formatur per fidem veri; apud illos autem, qui in Amore in Dominum ſunt, eſt Conſcientia boni, quia formatur per amorem veri; horum Conſcientia eſt Conſcientia ſuperior, & vocatur

catur

catur Perceptio veri ex bono. Illi qui conſcientiam veri habent, ſunt e Regno ſpirituali Domini, at illi qui Conſcientiam ſuperiorem, quæ vocatur Perceptio, habent, ſunt e Regno Cœleſti Domini.

136. Sed exempla illuſtrent, quid Conſcientia: qui alterius bona apud ſe habet, neſciente altero, & ſic abſque timore legis, jacturæ honoris & famæ, poteſt lucrari illa, ſi uſque alteri reddit, quia ſua non ſunt, is Conſcientiam habet, nam facit bonum propter bonum, & juſtum propter juſtum. Sit quoque, qui poteſt venire ad functionem, ſed ſcit quod alter, qui etiam ambit, Patriæ utilior ſit, is ſi cedit alteri locum propter bonum Patriæ, is bonam Conſcientiam habet: ita in reliquis.

137. Ex his concludi poteſt, quales ſunt illi qui non Conſcientiam habent; cognoſcuntur ex oppoſito; ut, qui propter lucrum quodcunque faciunt ut injuſtum appareat juſtum, ac ut malum appareat bonum, ac viſa verſa, illi Conſcientiam non habent: illi nec ſciunt quid Conſcientia, & ſi inſtruuntur quid eſt, non credunt, & quidam non volunt ſcire. Tales ſunt, qui propter ſe & mundum omnia agunt.

138. Qui Conſcientiam non receperunt in Mundo, illi Conſcientiam non recipere poſſunt in altera vita, ita non poſſunt ſalvari; cauſa eſt, quia illis non eſt planum, in quod influat & per quod operetur Cœlum, hoc eſt, per cœlum Dominus, & illos adducat ad ſe; nam Conſcientia eſt planum & receptaculum influxus Cœli.

Ex Arcanis Cœleſtibus.

139. DE CONSCIENTIA. Quod qui Conſcientiam non habent, non ſciant quid Conſcientia, n: 7490. 9121. Quod ſint quidam, qui rident ad Conſcientiam, cum audiunt quid ſit, n: 7217. Quod quidam credant, quod Conſcientia nihil ſit; quidam quod aliquid triſte dolorificum naturale vel ex cauſis in corpore, vel ex cauſis in mundo; quidam quod aliquid apud vulgus ex religioſo, n: 950. Quod quidam neſciant quod Conſcientiam habeant, cum tamen habent, n: 2380.

Quod Bonis ſit Conſcientia, non autem Malis, n: 831. 965. 7490. Quod Conſcientia illis ſit, qui in Amore in Deum, & in amore erga proximum, n: 2380. Quod Conſcientia præcipue ſit illis, qui a Domino regenerati ſunt, n: 977. Quod illis, qui in ſolis veris ſunt, & non in vita ſecundum illa, Conſcientia non ſit, n: 1076. 1077. 1919. Quod illis, qui

ex

ex bono naturali faciunt bonum, & non ex religione, Conſcientia non ſit, n : 6208.

Quod ſit homini Conſcientia ex ſuæ Eccleſiæ doctrina, aut ex religioſo, & ſecundum id, n : 9112. Quod Conſcientia apud hominem formetur ex illis, quæ ſunt ejus religionis, & credit vera eſſe, n : 1077. 2053. 9113. Quod Conſcientia ſit vinculum internum, quo tenetur homo ad cogitandum, loquendum, & faciendum bonum ; & quo detinetur a cogitando, loquendo & faciendo malum, & hoc non propter ſe & mundum, ſed propter bonum, verum, juſtum & rectum, n : 1919. 9120. Quod Conſcientia ſit dictamen internum, quod ita vel non ita ſit faciendum, n : 1919. 1935. Quod Conſcientia ſit conſcientia veri & recti in ſua eſſentia, n : 986. 8081. Quod nova voluntas apud hominem ſpiritualem regeneratum ſit Conſcientia, n: 928. 1023. 1043. 1044. 4299. 4328. 4493. 9115. 9596. Quod ex Conſcientia ſit vita ſpiritualis homini, n: 9117.

Quod ſit Conſcientia vera, Conſcientia ſpuria, & Conſcientia falſa, de quibus, n : 1033. Quod Conſcientia eo magis vera ſit, quo ex veris magis genuinis formata eſt, n : 2053. 2063. 9114. Quod Conſcientia in genere ſit duplex, interior & exterior, quod interior ſit boni ſpiritualis, quod in ſua eſſentia eſt verum, & quod exterior ſit boni moralis & civilis, quod in ſua eſſentia eſt ſincerum & juſtum, in genere rectum, n : 8042. 10296.

Quod dolor Conſcientiæ ſit anxietas mentis, propter injuſtum, inſincerum, & quodcunque malum, quod homo credit eſſe contra Deum, & contra bonum proximi, n : 7217. Si anxium ſentitur, cum homo cogitat male, quod ex Conſcientia ſit, n : 5470. Quod Conſcientiæ dolor ſit angi propter malum quod homo facit, ut & propter privationem boni & veri, n : 7217. Quia Tentatio eſt pugna veri & falſi in interiorihus hominis, & quia in tentationibus eſt dolor & anxietas, quod ideo non alii in Tentationes ſpirituales admittantur, quam qui conſcientiam habent, n : 847.

Qui Conſcientiam habent, quod ex corde loquantur & agant, n : 7935. 9114. Qui Conſcientiam habent, quod in vanum non jurent, n : 2842. Qui Conſcientiam habent, quod in beatitudine interiore ſint, quando faciunt bonum & juſtum ſecundum conſcientiam, n : 9118. Qui conſcientiam in mundo habent, quod etiam conſcientiam in altera vita habeant, ac ibi inter felices ſint, n : 965. Quod influxus Cœli ſit in Conſcientiam apud hominem, n : 6207. 6213. 9122. Quod Dominus regat hominem ſpiritualem per conſcientiam, quæ ei eſt vinculum internum, n : 1835. 1862. Qui Conſcientiam habent, quod interiorem cogitationem habeant, qui autem non Conſcientiam habent, quod modo cogitationem exteriorem habeant, n : 1919. 1935. Qui Conſcientiam habent, quod ex ſpirituali cogitent, qui autem non Conſcientiam habent, quod modo ex naturali cogitent, n : 1820. Qui non conſcientiam habent, quod modo externi homines ſint, n : 4459. Quod Dominus illos, qui non Conſcientiam habent, regat per vincula externa, quæ ſunt omnia quæ ſunt amoris ſui & mundi, ac inde timoris jacturæ famæ, honoris, functionis, lucri, opum, ac timoris legis

& vitæ, n:.1077.1080. 1835. Quod qui Conscientiam non habent, & usque se patiuntur regi per vincula illa externa, quod usque fungi queant officiis eminentibus in mundo, ac bonum facere æque ac qui Conscientiam habent; sed illi in externa forma ex vinculis externis, hi autem in interna forma ex vinculis internis, n: 6707.

Qui Conscientiam non habent, quod velint destruere conscientiam apud illos qui habent, n: 1820. Qui non Conscientiam in mundo habent, quod nec conscientiam in altera vita habeant, n: 965. 9122. Inde, quod apud illos qui in Inferno sunt, non sit aliquis cruciatus conscientiæ propter mala sua in mundo, n: 965. 9122.

Conscientiosi quinam & quales sunt, & quam molesti, & quibus correspondent in Mundo spirituali, n: 5386. 5724.

Quod illi, qui e Regno spirituali Domini sunt, Conscientiam habeant, & quod ea formata sit in parte eorum intellectuali, n: 863. 865. 875. 895. 927. 1043. 1044. 1555. 2256. 4328. 4493. 5113. 6367. 8521. 9506. 9935. 9995. 10124. Quod aliter se habeat cum illis qui in Regno cœlesti Domini sunt, n: 927. 2256. 5113. 6367. 8521. 9935. 9995. 10124.

140. DE PERCEPTIONE. Quod Perceptio sit videre quid Verum & Bonum per influxum a Domino, n: 202. 895. 7680. 9128. Quod Perceptio solum detur apud illos, qui in Bono Amoris a Domino in Dominum sunt, n: 202. 371. 1442. 5227. Quod Perceptio detur apud illos in Cœlo, qui, cum vixerunt homines in Mundo, doctrinalia Ecclesiæ quæ ex Verbo statim immiserunt in vitam, & non prius mandaverunt Memoriæ; quod sic interiora quæ mentis eorum formata sint ad receptionem influxus Divini; & quod ideo intellectus eorum in Cœlo sit in illustratione continue, n: 104. 495. 503. 521. 536. 1616. 1791. 5145. Quod innumerabilia sciant, ac immensum sapiant, n: 2718. 9543. Quod illi, qui in Perceptione sunt, non ratiocinentur de veris fidei, & si ratiocinarentur, quod illis periret perceptio, n: 585. 1398. 5897. Qui credunt ex semet scire & sapere, quod perceptionem habere non possint, n: 1386. Quod Eruditi non capiant quid hæc Perceptio, ab experientia, n: 1387.

Quod illi, qui in Regno cœlesti Domini sunt, habeant Perceptionem, illi autem qui in Regno spirituali sunt, non habeant Perceptionem, sed loco ejus, Conscientiam, n: 805. 2144. 2155. 8081. Quod illi, qui Regno cœlesti Domini sunt, non cogitent ex fide, quemadmodum illi, qui in Regno spirituali Domini sunt, quoniam illi qui in Regno cœlesti sunt, in perceptione omnium quæ fidei sunt a Domino, n: 202. 597. 607. 784. 1121. 1387. 1398. 1442. 1919. 7680. 7877. 8780. Quapropter Angeli Cœlestes de Veris fidei dicunt modo ita ita, non non, quia percipiunt illa ac vident illa, at Angeli spirituales de veris fidei ratiocinantur num ita sit, vel non ita, n: 2715. 3246. 4448. 9166. 10786; ubi explicantur Domini verba, "*Esto sermo vester ita ita, non non, quod ultra hæc est, ex malo est*," Matth: v: 37. Quod Angeli Cœlestes, quia ex perceptione sciunt

 vera

vera fidei, ne quidem nominare velint fidem, n : 202. 337. Discrimen inter Angelos Cœlestes, & Angelos spirituales, n : 2088. 2669. 2708. 2715. 3235. 3240. 4788. 7068. 8521. 9277. 10295. De Perceptione eorum, qui fuerunt ab Ecclesia Antiquissima, quæ fuit Ecclesia cœlestis, n : 125. 597. 607. 784. 895. 1121. 5121.

Quod detur Perceptio interior & exterior, n : 2145. 2171. 2831. 5920. Quod detur in mundo perceptio justi & æqui, sed raro perceptio veri & boni spiritualis, n : 2831. 5937. 7977. Quod lux perceptionis prorsus alia sit quam lux confirmationis, & quod non similis sit, tametsi quibusdam apparere possit sicut similis, n : 8521. 8780.



De

De Libero.

141. OMNE Liberum eſt Amoris, nam quod homo amat hoc libere facit; inde quoque omne Liberum eſt Voluntatis, nam quod homo amat hoc quoque vult; & quia Amor & Voluntas faciunt vitam hominis, etiam Liberum facit illam: ex his conſtare poteſt quid Liberum, quod nempe ſit id quod eſt Amoris & Voluntatis & inde Vitæ hominis: inde eſt, quod id quod homo ex Libero facit, appareat ei ſicut ex ſuo Proprio.

142. Facere ex Libero malum, apparet ut liberum, ſed eſt ſervum, quia id Liberum eſt ex amore ſui & ex amore mundi, & hi amores ſunt ex Inferno; tale Liberum etiam vertitur actualiter in ſervum poſt mortem, nam homo, cui tale Liberum fuit, fit tunc in Inferno vilis ſervus: at facere ex Libero bonum, eſt ipſum Liberum, quia eſt ex amore in Dominum, & ex amore erga proximum, & hi amores ſunt ex Cœlo; hoc Liberum etiam manet poſt mortem, & fit tunc vere Liberum, nam homo, cui tale Liberum fuit, fit in Cœlo ſicut filius domus. hoc ita Dominus docet, "*Omnis faciens peccatum, ſervus eſt peccati; ſervus non manet in domo in perpetuum; filius manet in perpetuum; ſi Filius vos liberos fecerit, vere liberi eritis,*" Joh: VIII: 34. 35. 36. Nunc quia omne bonum eſt a Domino, & omne malum ab Inferno, ſequitur, quod liberum ſit duci a Domino, ac ſervum duci ab Inferno.

143. Quod homini ſit liberum cogitandi malum & falſum, & quoque faciendi, quantum non leges detinent, eſt ob cauſam, ut poſſit reformari; bona enim & vera implantanda ſunt ejus amori & voluntati, ut fiant vitæ ejus, & hoc fieri nequit niſi ei liberum ſit tam cogitandi malum & falſum, quam bonum & verum; hoc liberum unicuivis homini a Domino datur; & cum cogitat bonum & verum, quantum tunc non amat malum & falſum, tantum Dominus illa implantat amori & voluntati ejus, ita vitæ ejus, & ſic eum reformat. Quod inſeminatur in libero, hoc quoque manet, at quod inſeminatur in coacto, hoc non manet, quia coactum non eſt ex voluntate hominis, ſed ex voluntate ejus qui cogit. Inde etiam eſt, quod Cultus ex Libero placeat Domino, non autem Cultus ex coacto; Cultus enim ex Libero eſt Cultus ex amore, at Cultus ex coacto non ita.

144. Liberum

144. Liberum faciendi bonum, & Liberum faciendi malum, inter se tantum differunt ac distant, quamvis in externa specie similia apparent, quantum Cœlum & Infernum; est quoque Liberum faciendi bonum ex Cœlo, & vocatur Liberum cœleste; at Liberum faciendi malum est ex Inferno, & vocatur Liberum infernale: quantum etiam homo est in uno, tantum non est in altero, nemo enim duobus dominis servire potest, Matth: VI: 24: quod etiam inde patet, quod qui in Libero infernali sunt, credant quod servum & coactum sit non licere velle malum & cogitare falsum ex lubitu, at quod qui in Libero cœlesti sunt, horreant velle malum & cogitare falsum, & si cogerentur ad illa, cruciarentur.

145. Quia ex Libero facere apparet homini sicut ex suo Proprio, inde Liberum cœleste etiam vocari potest Proprium cœleste; & Liberum infernale vocari potest Proprium infernale: Proprium infernale est in quod homo nascitur, & id est malum; at Proprium cœleste est in quod homo reformatur, & id est bonum.

146. Ex his constare potest, quid sit *Liberum Arbitrium*; quod nempe sit ex arbitrio seu ex voluntate facere bonum, & quod illi in eo Libero sint, qui ducuntur a Domino; & illi ducuntur a Domino qui amant bonum & verum propter bonum & verum.

147. Homo, quale ei Liberum est, cognoscere potest ex jucundo, dum cogitat, loquitur, facit, audit & videt, nam omne jucundnm est amoris.

Ex Arcanis Cœlestibus.

148. QUOD omne Liberum sit amoris seu affectionis, quoniam quod homo amat hoc libere facit, n: 2870. 3158. 8907. 8990. 9585. 9591. Quia Liberum est amoris, quod sit vita cujusvis, n: 2873. Quod sit Liberum cœleste & Liberum infernale, n: 2870. 2873. 2874. 9589. 9590. Quod Liberum Cœleste sit amoris boni & veri, n: 1947. 2870. 2872. Et quia amor boni & veri est a Domino, quod ipsum Liberum sit duci a Domino, n: 892. 905. 2872. 2886. 2890. 2891. 2892. 9096. 9586. 9587 ad 9591. Quod homo in Liberum cœleste introducatur a Domino per regenerationem, n: 2874. 2875. 2882. 2892. Quod Liberum homini esse debeat, ut possit regenerari, n: 1937. 1947. 2876. 2881. 3145. 3158. 4031. 8700. Quod alioquin amor boni & veri non implantari possit homini, ac ei appropriari apparenter ut suum, n: 2877. 2879. 8700. 2880.

2888.

2888. Quod nihil conjungatur homini, quod fit in coacto, n: 2875. 8700. Si homo ex coacto reformari posset, quod omnes salvarentur, n: 2881. Quod coactum in reformatione sit damnosum, n: 4031.

Quod Cultus ex Libero sit Cultus, non autem qui ex coacto, n: 1947. 2880. 7349. 10097. Quod Pænitentia fieri debeat in statu libero, & quod quæ fit in statu coacto non valeat, n: 8392: status coacti, quinam, n: 8392.

Quod datum sit homini ex libero rationis agere, ut ei provideatur bonum, & quod ideo homo in libero sit cogitandi & volendi etiam malum, & quoque faciendi quantum non leges vetant, n: 10777. Quod homo teneatur a Domino inter Cœlum & Infernum, & sic in æquilibrio, ut sit in libero propter reformationem, n: 5982. 6477. 8209. 8907. Quod id maneat quod inseminatur in libero, non autem quod in coacto, n: 9588. 10777. Quod ideo nusquam alicui auferatur liberum, n: 2876. 2881. Quod nullus a Domino cogatur, n: 1937. 1947. Quomodo Dominus ducit hominem per liberum in bonum, quod nempe per liberum deflectat illum a malo, & flectat ad bonum, tam leniter & tacite ducendo, ut homo non aliter sciat quam quod omne procedat a se, n: 9587.

Quod se cogere sit ex libero, non autem cogi, n: 1937. 1947. Quod homo se cogere debeat ad resistendum malo, n: 1937. 1947. 7914. Et quoque ad faciendum bonum sicut a se, sed usque agnoscere quod sit a Domino, n: 2883. 2891. 2892. 7914. Quod homini fortius liberum sit in pugnis tentationum, in quibus vincit, quoniam tunc se homo interius cogit ad resistendum malis, tametsi aliter apparet, n: 1937. 1947. 2881. Quod in omni Tentatione sit liberum, sed quod id liberum sit interius apud hominem a Domino, & quod ideo pugnet & velit vincere & non vinci, quod absque libero non faceret, n: 1937. 1947. 2881. Quod Dominus per affectionem veri & boni impressam Interno homini id faciat, inscio homine, n: 5044.

Quod Liberum infernale sit duci ab amoribus sui & mundi, & eorum concupiscentiis, n: 2870. 2873. Quod illi, qui in Inferno sunt, non sciant aliud liberum, n: 2871. Quod Liberum cœleste tantum distet a Libero infernali, quantum Cœlum ab Inferno, n: 2873. 2874. Quod Liberum infernale in se spectatum sit servum, n: 2884. 2890. Quoniam servum est duci ab Inferno, n: 9586. 9589. 9590. 9591.

Quod omne Liberum sit ut proprium, & secundum id, n: 2880. Quod homo per regenerationem a Domino accipiat Proprium cœleste, n: 1937. 1947. 2882. 2883. 2891. Quale Proprium cœleste, n: 164. 5660. 8480. Quod hoc Proprium appareat homini sicut ejus proprium, at quod non sit ejus, sed Domini apud illum, n: 8497. Quod illi, qui in hoc Proprio sunt, in ipso Libero sint, quia liberum est duci a Domino, & ab Ipsius Proprio, n: 892. 905. 2872. 2886. 2890. 2891. 2892. 4096. 9586. 9587. 9589. 9590. 9591.

149. Quod

149. Quod Liberum sit ex æquilibrio inter Cœlum & Infernum, & quod homo, nisi ei liberum sit, non reformari possit, ostensum est in Opere de Cœlo & Inferno; de ipso Æquilibrio, n: 589 ad 596, & de Libero, n: 597 ad fin: sed instructionis causa quid Liberum, & quod homo per id reformetur, velim inde hæc afferre. " Ostensum est, quod Æquili-" brium inter Cœlum & Infernum sit Æquilibrium inter Bonum quod " e Cœlo & Malum quod ex Inferno, ita quod sit Æquilibrium spiri-" tuale, quod in sua essentia est Liberum. Quod Æquilibrium spirituale " in sua essentia sit Liberum, est quia est inter bonum & malum, ac inter " verum & falsum, & hæc sunt spiritualia; quapropter posse velle bo-" num aut malum, aut cogitare verum aut falsum, ac eligere unum præ " altero, est Liberum. Hoc Liberum datur unicuivis homini a Domino, " nec usquam aufertur; est quidem ex sua origine non hominis sed Do-" mini, quia est a Domino, at usque cum vita donatur homini sicut suum, " & hoc ex causa, ut homo possit reformari & salvari, nam absque Li-" bero nulla reformatio & salvatio. Quisque ex intuitione aliqua rationali " videre potest, quod in hominis Libero sit cogitare male vel bene, sin-" cere vel insincere, juste vel injuste; & quoque quod possit loqui & " agere bene, sincere & juste, sed non male, insincere & injuste propter " leges morales & civiles, per quas Externum ejus tenetur in vinculis. " Ex his patet, quod Spiritus hominis, qui est qui cogitat & vult, sit in " libero, non ita Externum hominis, quod loquitur & agit, nisi hoc sit " secundum supradictas Leges. Quod homo non possit reformari, nisi sit " in Libero, est quia nascitur in omnis generis mala, quæ tamen remo-" venda sunt, ut salvari possit; nec removeri possunt, nisi videat illa in " se, & agnoscat illa, & dein nolit illa, & tandem aversetur illa, tunc " primum removentur: hoc non fieri potest, nisi homo tam in bono " quam in malo sit, ex bono enim potest videre mala, sed non a malo " bona: bona spiritualia, quæ homo cogitare potest, discit ab infantia ex " lectione Verbi, & ex Prædicatione; ac bona moralia & civilia ex vita " in mundo; hoc primum est, cur homo in libero esse debet. Alterum " est, quod nihil approprietur homini, nisi quod fit ex affectione quæ " amoris; reliqua quidem intrare possunt, sed non ultra quam in cogita-" tionem, & non in voluntatem, & quod non intrat usque in voluntatem " hominis, non fit ejus, nam cogitatio trahit suum ex memoria, sed vo-" luntas ex ipsa vita; nihil usquam liberum est, quod non est ex af-" fectione quæ amoris, quicquid enim homo vult seu amat, hoc libere " facit; inde est, quod liberum hominis & affectio quæ est amoris seu " voluntatis ejus, unum sint; ideo itaque homini liberum, ut possit affici " vero & bono, seu amare illa, & sic fieri sicut ejus propria: verbo, " quicquid non intrat in Libero apud hominem, non manet, quia non " est amoris seu voluntatis ejus, & quæ non sunt amoris seu voluntatis " hominis, non sunt ejus spiritus; Esse enim Spiritus hominis est Amor

" seu

" ſeu voluntas. Ut homo in Libero ſit, ex cauſa ut reformetur, ideo
" conjungitur ille quoad ſpiritum ſuum cum Cœlo & cum Inferno; ſunt
" enim apud unumquemvis hominem Spiritus ex Inferno & Angeli e
" Cœlo; per Spiritus ex inferno eſt homo in ſuo malo, per Angelos au-
" tem e Cœlo eſt homo in bono a Domino; ita in Æquilibrio ſpirituali,
" hoc eſt, in Libero. Quod cuivis homini ſint adjuncti angeli e cœlo,
" & ſpiritus ex inferno, videatur in Articulo de Conjunctione Cœli cum
" Humano Genere, n: 291 ad 302.



De Merito.

150. QUI bona faciunt ut mereantur, non faciunt bona ex amore Boni, ſed ex amore Mercedis, nam qui vult mereri is vult remunerari; illi, qui ita faciunt, jucundum ſpectant & ponunt in mercede, & non in bono; quare non ſpirituales ſunt, ſed naturales.

151. Facere bonum quod eſt bonum, erit ex amore boni, ita propter bonum; illi, qui in eo amore ſunt, non volunt audire de Merito, nam amant facere, & in eo fauſtum percipiunt; & vice verſa contriſtantur, ſi credatur quod fiat propter aliquod ſui: ſe habent illa pæne ſicut qui bonum faciunt amicis amicitiæ cauſa, fratri fraternitatis cauſa, uxori & liberis uxoris & liberorum cauſa, patriæ patriæ cauſa, ita ex amicitia & amore; illi, qui bene cogitant, etiam dicunt & perſuadent, quod non benefaciant propter ſe ſed propter illos.

152. Illi, qui bonum faciunt mercedis cauſa, non bonum faciunt a Domino, ſed a ſemet, nam ſpectant ſe primario, quia ſuum bonum, ac bonum proximi, quod eſt bonum concivis, ſocietatis humanæ, patriæ, & eccleſiæ, non ſpectant niſi quam ut medium ad finem; inde eſt, quod in Bono Meriti lateat bonum amoris ſui & mundi, & id bonum eſt ab homine & non a Domino; & omne bonum quod eſt ab homine non eſt bonum, imo quantum ſui & mundi in illo latet, eſt malum.

153. Genuina Charitas & genuina Fides eſt abſque omni Merito, nam jucundum charitatis eſt ipſum bonum, & jucundum fidei eſt ipſum verum; quapropter illi, qui in ea charitate & fide ſunt, ſciunt quid Bonum non meritorium, non autem illi qui non in charitate & fide ſunt.

154. Quod non faciendum ſit bonum mercedis cauſa, docet Ipſe Dominus apud Lucam, "*Si amatis eos qui vos amant, quæ vobis gratia eſt, nam peccatores idem faciunt: potius amate inimicos veſtros, & benefacite, atque mutuo date nihil ſperantes, tunc erit merces veſtra magna, & eritis filii Altiſſimi,*" VI: 32. 33. 34. 35. Quod homo non poſſit facere bonum ex ſe ut ſit bonum, etiam docet Dominus, apud Johannem, "*Non poteſt homo ſumere quicquam, niſi ſit datum illi e cœlo,*" III: 27: & alibi, "*Jeſus dixit, Ego ſum Vitis, vos palmites; ſicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemet, niſi manſerit in vite, ita nec vos niſi*

nisi in Me manseritis: Is qui manet in Me & Ego in illo, is fert fructum multum, nam nisi a Me non potestis facere quicquam," xv : 4 ad 8.

155. Quia omne bonum & verum est a Domino, & nihil ab homine, & quia bonum ab homine non est bonum, sequitur quod nulli homini sit meritum, sed Soli Domino; Meritum Domini est, quod ex propria potentia salvaverit Genus humanum, & quoque quod salvet illos qui bonum ab Ipso faciunt. Inde est, quod in Verbo Justus dicatur, cui addicatur Meritum & Justitia Domini, ac Injustus cui justitia propria & meritum sui.

156. Ipsa jucunditas, quæ inest amori faciendi bonum absque fine remunerationis, est Merces, quæ manet in æternum, nam in id bonum insinuatur cœlum & felicitas æterna a Domino.

157. Cogitare & credere quod in Cœlum veniant qui bonum faciunt, & quoque quod bonum faciendum sit ut in Cœlum veniant, non est spectare mercedem ut finem, ita nec ponere meritum in operibus, nam id cogitant & credunt etiam illi, qui bonum faciunt a Domino; sed qui ita cogitant, credunt & faciunt, & non in amore boni propter bonum sunt, illi spectant & ponunt.

Ex Arcanis Cœlestibus.

158. QUOD soli Domino Meritum & Justitia, n: 9715. 9979. Quod Meritum & Justitia Domini sit, quod ex propria potentia salvaverit Genus humanum, n: 1813. 2025. 2026. 2027. 9715. 9809. 10019. Quod Bonum Justitiæ & Meriti Domini sit Bonum quod regnat in Cœlo, & quod id Bonum sit Bonum Divini Amoris Ipsius, ex quo salvavit Genus humanum, n: 9486. 9986. Quod nullus homo possit ex se justitia fieri, nec illam sibi ullo jure vindicare, n: 1813. Quales illi in altera vita qui sibi justitiam vindicant, n: 942. 2027. Quod in Verbo Justus dicatur, cui addicitur Justitia & Meritum Domini, & quod Injustus cui justitia propria & meritum sui, n: 5069. 9263. Qui semel justus a Domino, continue justus erit ab Ipso, nam justitia nusquam fit propria hominis, sed continue Domini, n: 3648. Quod qui credunt Justificationem in Ecclesia, parum sciant de Regeneratione, n: 5398.

Quod homo tantum sapiat, quantum addicit omnia bona & vera Domino, & non sibi, n: 10227. Quia omne bonum & verum, quod est bonum & verum, est a Domino, & nihil ab homine, & quia bonum ab homine non est bonum, quod inde sequatur quod nulli homini meritum, sed soli Domino,

 n: 9975.

n: 9975. 9981. 9988. Quod illi, qui intrant Cœlum, exuant omne meritum sui, n: 4007. Et quod non cogitent de remuneratione propter bona quæ fecerunt, n: 6478. 9174: quod qui cogitant ex merito, tantum non agnoscant omnia esse Misericordiæ, n: 6478. 9174. Quod illi, qui cogitant ex merito, cogitent de mercede & remuneratione, quare velle mereri est velle renumerari, n: 5660. 6392. 9975. Quod tales cœlum in se non recipere possint, n: 1835. 9977. 8478. Quod felicitas cœlestis consistat in affectione faciendi bonum absque fine remunerationis, n: 6388. 6478. 9174. 9984. Quod in altera vita quantum quis bonum facit absque fine remunerationis, tantum influat beatum cum augmento a Domino, & quod id statim dissipetur cum cogitatur de remuneratione, n: 6478. 9174.

Quod bonum faciendum sit absque fine remunerationis, n: 6392. 6478. Illustratum, n: 9981. Quod genuina charitas sit absque omni meritorio, n: 2340. 2373. 2400. 3887. 6388 ad 6393. Quia est ex amore, ita ex jucundo faciendi bonum, n: 3816. 3887. 6388. 6478. 9174. 9984. Quod per Mercedem in Verbo intelligatur jucundum & beatum in benefaciendo aliis absque fine Mercedis, & quod id jucundum & beatum sentiant & percipiant illi qui in genuina charitate sunt, n: 3816. 3956. 6388.

Quod illi qui bonum faciunt mercedis causa, semet ament non proximum, n: 8002. 9210. Quod in Verbo per Mercenarios in sensu spirituali intelligantur qui bonum faciunt propter mercedem, n: 8002. Quod qui bonum faciunt remunerationis causa, quod in altera vita velint serviri, & nusquam contenti sint, n: 6393. Quod contemnant proximum, & irascantur ipsi Domino, quod non mercedem recipiant, dicentes quod meruerint, n: 9976. Qui apud se fidem separaverunt a charitate, quod in altera vita faciant fidem, & quoque bona opera, quæ in externa forma fecerunt, ita propter se, meritoria, n: 2373. Quales porro sunt in altera vita, qui meritum posuerunt in operibus, n: 942. 1774. 1877. 2027. Quod ibi sint in terra inferiore, & sibi appareant lignum secare, n: 1110. 4943. 8740. Ex causa quia Lignum in specie significat bonum meriti, imprimis Lignum schittim, n: 2784. 2812. 9472. 9486. 9715. 10178.

Quod illi, qui bonum fecerunt remunerationis causa, in Regno Domini sint servitia, n: 6389. 6390. Qui meritum ponunt in operibus, quod succumbant in tentationibus, n: 2273. 9978. Quod qui in amoribus sui & mundi sunt, non sciant quid sit facere bonum absque remuneratione, n: 6392.

De

De Pœnitentia, & Remiſſione Peccatorum.

159. QUI vult ſalvari, confitebitur peccata ſua, & pœnitentiam aget.

160. *Confiteri peccata*, eſt cognoſcere mala, videre illa apud ſe; agnoſcere illa, ſe reum facere, & propter illa ſe damnare: hoc cum fit coram Deo, eſt confiteri peccata.

161. *Pœnitentiam agere*, eſt, poſtquam ita confeſſus eſt peccata, & ex humili corde ſupplicavit de remiſſione, deſiſtere ab illis, & vitam novam ſecundum præcepta charitatis & fidei agere.

162. Qui ſolum univerſaliter agnoſcit quod peccator ſit, & ſe reum omnium malorum facit, & non explorat ſe, hoc eſt, videt ſua peccata, is confeſſionem facit, ſed non confeſſionem pœnitentiæ; is quia non novit ſua mala, vivit poſtea ſicut prius.

163. Qui vitam charitatis & fidei vivit, is quotidie pœnitentiam agit, reflectit ſuper mala quæ apud ſe, agnoſcit illa, cavet ab illis, ſupplicat Dominum de ope: homo enim continue ex ſe labitur, ſed a Domino continue erigitur, & ducitur ad bonum; talis ſtatus eſt illis qui in bono ſunt: qui autem in malo ſunt, labuntur continue, & quoque a Domino elevantur continue, ſed modo abducuntur ne cadant in graviſſima mala, ad quæ ex ſe omni niſu tendunt.

164. Homo, qui explorat ſe ut pœnitentiam agat, explorabit cogitationes ſuas & intentiones voluntatis ſuæ, & ibi, quid facturus eſſet ſi ei liceret, hoc eſt, ſi non timeret leges ac jacturam famæ, honoris & lucri; ibi ſunt mala hominis; mala quæ homo corpore facit, ſunt omnia inde: illi, qui non explorant mala cogitationis & voluntatis ſuæ, non poſſunt pœnitentiam agere, nam cogitant & volunt poſtea ſicut prius; & tamen velle mala eſt facere illa. Hoc eſt explorare ſe.

165. Pœnitentia oris & non vitæ, non eſt pœnitentia; per pœnitentiam oris non remittuntur peccata, ſed per pœnitentiam vitæ: remittuntur homini continue peccata a Domino, nam eſt ipſa Miſericordia, ſed peccata adhærent homini, utcunque putat quod remiſſa ſint, nec ab ipſo removentur, niſi quam per vitam ſecundum præcepta veræ fidei; quantum ſecundum illa vivit, tantum peccata removentur, & quantum removentur tantum remiſſa ſunt.

166. Creditur

166. Creditur quod peccata abstergantur, seu quasi solent sordes aquis, abluantur, cum remittuntur; sed peccata non absterguntur, verum removentur, hoc est, homo detinetur ab illis cum tenetur in bono a Domino, & cum tenetur in bono, apparet sicut absque illis sit, ita sicut forent altersa; & homo tantum teneri in bono potest, quantum reformatur: quomodo homo reformatur, dicetur in sequente Doctrinali de Regeneratione. Qui credit quod aliter remittantur peccata, multum fallitur.

167. Signa, quod peccata sint remissa, hoc est, remota, sunt quæ sequuntur; percipiunt jucundum in colendo Deum propter Deum, & in serviendo proximo propter proximum, ita in faciendo bonum propter bonum, & in loquendo verum propter verum, nolunt mereri per aliquid charitatis & fidei, fugiunt & aversantur mala, ut inimicitias, odia, vindictas, adulteria, & ipsas cogitationes cum intentione de talibus. Signa autem quod peccata non sint remissa, hoc est, remota, sunt quæ sequuntur; colunt Deum non propter Deum, & serviunt proximo non propter proximum, ita non faciunt bonum & loquuntur verum propter bonum & verum, sed propter se & mundum; per facta volunt mereri; percipiunt non injucundum in malis, ut in inimicitia, in odio, in vindicta, in adulteriis, & ex illis de illis in omni licentia cogitant.

168. Pœnitentia quæ fit in statu libero valet, at quæ fit in statu coacto non valet: status coacti sunt status morbi, status dejecti animi ex infortunio, status imminentis mortis, tum omnis status timoris qui demit rationis usum: qui malus est, & in statu coacto pœnitentiam pollicetur, & quoque bonum facit, is cum venit in statum liberum, in vitam mali priorem redit: aliter bonus.

169. Postquam homo se exploraverat, & agnoverat sua peccata, & pœnitentiam egerat, manebit constans in bono usque ad finem vitæ; si enim dein relabitur in vitam mali priorem, & hanc amplectitur, tunc prophanat, nam tunc malum conjungit bono, inde status ejus posterior fit pejor priori; secundum Domini verba, "*Quando immundus spiritus exit ab homine, perambulat arentia loca, quærens requiem sed non invenit; tunc dicit, revertar in domum meam, unde exivi; cumque venit & reperit illam vacuam, & scopis purgatam, & ornatam sibi, tunc abit & adjungit sibi septem alios spiritus pejores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt posteriora hominis pejora primis,*" Matth: XII: 43. 44. 45. Quid Prophanatio, videatur in subsequentibus.

Ex Arcanis Cœleſtibus.

170. *DE Peccato ſeu Malo.* Quod innumerabilia Genera mali & falſi dentur, n: 1188. 1212. 4818. 4822. 7574. Quod ſit malum ex falſo, quod ſit falſum ex malo, ac iterum inde malum & falſum, n: 1679. 2243. 4818. Quid & quale malum falſi, n: 2408. 4818. 7272. 8266. 8279. Et quid & quale falſum mali, n: 6359. 7272. 9304. 10302. De malis ſua culpa, & de malis non ſua culpa, n: 4171. 4172. De malis ex intellectu, & de malis ex voluntate, n: 9009. Prævaricatio, iniquitas & peccatum, quæ differentia, n: 6563. 9156.

Quod omnia Mala adhæreant homini, n: 2116. Quod homini non auferri poſſint mala, ſed modo homo detineri ab illis, & teneri in bono, n: 865. 868. 887. 894. 1581. 4564. 8206. 8393. 8988. 9014. 9333. 9446. 9447. 9448. 9451. 10057. 10059. Quod detineri a malo ac teneri in bono fiat a ſolo Domino, n: 929. 2406. 8206. 10059. Quod ſic mala & peccata ſolum removeantur, & quod hoc fiat ſucceſſive, n: 9334. 9335. 9336. Quod hoc fiat per regenerationem a Domino, n: 9445. 9452. 9453. 9454. 9938. Quod mala ſecludant Dominum, n: 5696. Quod homo abſtinere debeat a malis, ut recipiat bonum a Domino, n: 10109. Quod bonum & verum tantum influant, quantum abſtinetur a malis, n: 2388. 2411. 10675. Detineri a malo & teneri in bono, quod ſit remiſſio peccatorum, n: 8391. 8393. 9014. 9444 ad 9450. Signa num remiſſa ſint peccata vel non, n: 9449. 9450. Quod remiſſionis peccatorum ſit aſpicere ex bono & non ex malo, n: 7697.

Quod malum & peccatum ſit ſeparatio & averſio a Domino, & quod id per malum & peccatum ſignificetur in Verbo, n: 4997. 5229. 5474. 5746. 5842. 9346. tum quod ſit & ſignificetur ſeparatio & averſio a bono & vero, n: 7589. Quod ſit & ſignificetur quod contra Divinum Ordinem, n: 4839. 5076. Quod malum ſit damnatio & infernum, n: 3513. 6279. 7155. Quod non ſciatur quid infernum, niſi ſciatur quid malum, n: 7181. Quod mala ſint quaſi gravia, & ex ſe delabantur in infernum, & quod quoque falſa ex malo, n: 8279. 8298. Quod non ſciatur quid malum, niſi ſciatur quid amor ſui & amor mundi, n: 4997. 7178. 8317. Quod ex illis amoribus ſint omnia mala, n: 1307. 1308. 1321. 1594. 1691. 3413. 7255. 7376. 7480. 7488. 8918. 9335. 9348. 10038. 10742.

Quod homines quotcunque ſunt, naſcantur in mala omnis generis, uſque adeo ut proprium eorum non ſit niſi quam malum, n: 210. 215. 731. 874. 875. 876. 987. 1047. 2307. 2308. 3518. 3701. 3812. 8480. 8550. 10283. 10284. 10731. Quod homo ideo renaſcetur ſeu regenerabitur, ut vitam boni recipiat, n: 3701.

Quod homo ſemet in infernum conjiciat, cum facit malum ex conſenſu, dein ex propoſito, & demum ex jucundo, n: 6203. Quod in falſis ſui mali

mali ſint, qui in malo vitæ ſunt, ſive hoc ſciant ſive non ſciant, n: 7577. 8064. Quod homini malum non approprietur, ſi crederet ſicut res ſe habet, quod omne malum ſit ab inferno, & omne bonum a Domino, n: 6206. 4151. 6324. 6325. Quod in altera vita mala removeantur a Bonis, & bona a Malis, n: 2256. Quod omnes in altera vita remittantur in ſua interiora, ita Mali in ſua mala, n: 8870.

Quod malo inſit ſua pæna, & bono ſua remuneratio in altera vita, n: 696. 967. 1057. 6559. 8214. 8223. 8226. 9049. Quod homo non luat pænam in altera vita propter mala hæreditaria, quia non eſt in eorum culpa, ſed propter actualia ſua, n: 966. 2308. Quod interiora mali ſint ſpurca & fæda, utcunque aliter apparent in externa forma, n: 7046.

Quod malum tribuatur Domino in Verbo, cum tamen ab Ipſo nihil niſi quam bonum, n: 2447. 6073. 6992. 6997. 7533. 7632. 7677. 7926. 8227. 8228. 8632. 9306. Similiter ira, n: 5798. 6997. 8284. 8483. 9306. 10431. Cur ita in Verbo dicitur, n: 6073. 6992. 6997. 7643. 7632. 7679. 7710. 7920. 8282. 9009. 9128. Quid ſignificatur per portare iniquitatem, ubi de Domino, n: 9937. 9965. Quod Dominus vertat malum in bonum apud bonos, qui infeſtantur & tentantur, n: 8631. Relinquere homini ex ſuo libero facere malum, quod ſit permittere, n: 1778. Quod mala & falſa per leges permiſſionis regantur a Domino, & quod permittantur propter ordinem, n: 7877. 8700. 10778. Permiſſio mali a Domino, quod non ſit ut volentis, ſed ut non volentis, at quod auxilium ferri non poſſit urgente fine, n: 7877.

171. *De Falſo.* Quod innumerabilia Genera falſi ſint, quot nempe mala, & quod mala & falſa ſint ſecundum origines, quæ plures, n: 1188. 1212. 4729. 4822. 7574. Quod ſit falſum ex malo ſeu falſum mali, & quod ſit malum ex falſo ſeu malum falſi, ac iterum inde falſum, n: 1679. 2243. Quod ex falſo, quod principii loco ſumitur, fluant falſa in longa ſerie, n: 1510. 1511. 4717. 4721. Quod ſit falſum ex cupiditatibus amoris ſui & mundi; & quod ſit falſum ex fallaciis ſenſuum, n: 1295. 4729. Quod ſint falſa religionis; & quod ſint falſa ignorantiæ, n: 4729. 8318. 9258. Quod ſit falſum in quo bonum, & falſum in quo non bonum, n: 2863. 9304. 10109. 10302. Quod ſit falſificatum, n: 7318. 7319. 10648.

De falſo mali, quale, n: 6359. 7272. 9304. 10302. De malo falſi, quale, n: 2408. 4818. 7272. 8266. 8279. Quod falſa ex malo appareant ſicut nimbi, & ſicut aquæ impuræ ſupra inferna, n: 8217. 8138. 8148. Quod etiam tales aquæ ſignificent falſa, n: 739. 790. 7307. Quod qui in inferno ſunt, loquantur falſa ex malo, n: 1695. 7351. 7352. 7357. 7392. 7698. Quod qui in malo ſunt, non poſſint niſi quam falſum, dum ex ſe, cogitare, n: 7437.

Quod dentur falſa religionis, quæ concordant cum bono, & quod dentur quæ diſcordant, n: 9258. Quod falſa religionis, ſi non diſcordant cum bono, non producant malum niſi quam apud illos qui in malo vitæ ſunt, n: 8318. Quod falſa religionis non imputentur illis qui in bono ſunt, ſed illis qui in malo, n: 8051. 8149. Quod omne falſum confirmari poſſit, & cum confirmatum eſt appareat ſicut verum, n: 5033. 6865. 8521. 8780. Quod cavendum

dum sit, ne falsa religionis confirmentur, quia inde præcipue persuasio falsi, n: 845. 8780. Persuasio falsi quam damnosa, n: 794. 806. 5096. 7686. Quod persuasio falsi excitet continue confirmantia falsi, n: 1510. 1511. 2475. Quod qui in persuasione falsi sunt, interius vincti sint, n: 5096. Quod qui in forti persuasivo falsi sunt, in altera vita cum approximant ad alios, occludant rationale eorum, & quasi suffocent, n: 3895. 5128.

Quod vera non genuina, & quoque falsa, consociari possint cum veris genuinis, sed falsa in quibus bonum, non autem falsa in quibus malum, n: 3470. 3471. 4551. 4552. 7344. 8149. 9298. Quod falsa in quibus bonum, recipiantur a Domino ut vera, n: 4736. 8149. Quod bonum, cujus quale est a falso, acceptetur a Domino, si ignorantia sit, & in illa innocentia, ac finis bonus, n: 7887.

Quod malum falsificet verum, quia deducit verum ad malum, & applicat malo, n: 8044. 8149. Verum falsificatum dicitur, quod applicatum est malo per confirmationes, n: 8602. Quod falsificatum verum sit contra verum & bonum, n: 8602. Porro de falsificationibus veri, n: 7318. 7319. 10648.

172. *De Prophano & Prophanatione, de qua supra n: 169, in Doctrina.* Quod Prophanatio sit commixtio boni & mali, tum veri & falsi apud hominem, n: 6348. Quod prophanare bona & vera, seu sancta Ecclesiæ & Verbi, non possint alii quam qui primum agnoscunt illa, credunt illa, & magis si vivunt secundum illa, ac postea recedunt a fide, non credunt illa, & vivunt sibi & mundo, n: 593. 1008. 1010. 1059. 3398. 3399. 3898. 4289. 4601. 10284. 10287. Quod qui in pueritia credit vera, & postea non credit, leviter prophanet; at quod qui vera apud se postea confirmat, & dein illa negat, graviter prophanet, n: 6960. 6963. 6971. Quod etiam prophanent, qui credunt vera & vivunt male; tum qui non credunt vera, & vivunt sancte, n: 8082. Quod homo, si post pænitentiam cordis ad mala priora relabitur, prophanet, & quod tunc status ejus posterior sit pejor priori, n: 8394. Quod qui in Christiano Orbe conspurcant sancta Verbi per immundas cogitationes & loquelas, prophanent, n: 4050. 5390. Quod varia genera prophanationum sint, n: 10287.

Quod illi sancta prophanare non possint, qui non agnoverunt illa, minus qui non sciunt illa, n: 1008. 1010. 1059. 9188. 10284. Quod qui intra Ecclesiam sunt, prophanare sancta possint, non autem qui extra, n: 2051. Quod Gentes, quia extra Ecclesiam, & non habent Verbum, non prophanare possint, n: 1327. 1328. 2051. 2081. Quod nec Judæi sancta interiora Verbi & Ecclesiæ, quia non agnoscunt illa, n: 6963. Quod ideo Judæis nec detecta fuerint interiora vera, nam si detecta & agnita, prophanavissent illa, n: 3398. 3489. 6963. Prophanatio intelligitur per Domini verba supra n: 169 allata, nempe, "*Quando immundus spiritus exit ab homine, perambulat arentia loca, quærens requiem, sed non invenit; tunc dixit, revertar in domum meam, unde exivi; cumque venit & reperit illam vacuam, & scopis purgatam, & ornatam sibi, tunc abit & adjungit sibi septem alios spiritus pejores se, & ingressi habitant ibi; & fiunt posteriora hominis pejora primis,*" Matth: XII: 43.

44. 45: per quod exeat immundus ſpiritus ab homine, intelligitur pœnitentia illius qui in malo eſt; per quod perambulet arentia loca, & non inveniat requiem, intelligitur quod vita boni ei talis ſit; per domum, in quam, quia reperit vacuam & ſibi ornatam, revertitur, intelligitur ipſe homo & ejus voluntas quod ſit abſque bono; per ſeptem ſpiritus quos ſibi adjungit, & cum quibus revertitur, intelligitur malum conjunctum bono; per ſtatum ejus tunc pejorem priori, intelligitur prophanatio; hic ſenſus eſt ſenſus internus horum verborum, nam Dominus per correſpondentias loquutus eſt. Simile intelligitur per Domini verba ad illum, quem ſanavit in piſcina Betheſda, "*Ecce ſanus factus es, ne pecca amplius, ne fiat tibi aliquid quod pejus eſt quam prius,*" Joh: v: 14. Tum per hæc verba, "*Occæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum, ne videant oculis & intelligant corde, & ſe convertant & ſanem eos,*" Joh: XII: 40, ſe convertere & ſanari, eſt prophanare, quod fit cum agnoſcuntur vera & bona, & dein rejiciuntur; ita fuiſſet ſi Judæi ſe converterint & ſanati fuiſſent, ut ſupra dictum eſt.

Quod ſors prophanatorum in altera vita omnium peſſima ſit, quoniam bonum & verum, quæ agnoverunt, manent, & quoque malum & falſum, & quia cohærent fit diſcerptio vitæ, n: 571. 582. 6348. Quod ideo a Domino maxime provideatur, ne fiat prophanatio, n: 2426. 10384. Quod homo idcirco detineatur ab agnitione & fide, ſi non ad finem vitæ in illis permanere poſſit, n: 3398. 4402. Quod ideo homo teneatur potius in ignorantia, & in cultu externo, n: 301. 302. 303. 1327. 1328. Quod etiam Dominus vera & bona, quæ homo per agnitionem recepit, recondat in interioribus ejus, n: 6595.

Quod interiora vera, ne prophanentur, non prius revelentur, quam cum Eccleſia in ſuo fine eſt, n: 3398. 3399. Quapropter Dominus tunc in mundum venit, ac interiora vera aperuit, cum Eccleſia prorſus vaſtata fuit, n: 3398. videantur quæ de his in Opuſculo de Ultimo Judicio & Babylonia deſtructa, n: 73. 74, allata ſunt.

Quod per Babelem in Verbo ſignificetur Prophanatio boni, & per Chaldæam Prophanatio veri, n: 1182. 1283. 1295. 1304. 1306. 1307. 1308. 1321. 1322. 1326. Quod gradibus prohibitis, ſeu fædis adulteriis, de quibus in Verbo, Prophanationes illæ correſpondeant, n: 6348. Quod Prophanatio repræſentata ſit per eſum ſanguinis in Eccleſia Iſraelitica & Judaica, quapropter id tam ſevere prohibitum fuit, n: 1003.

De Regeneratione.

173. QUI non vitam ſpiritualem accipit, hoc eſt, qui non e novo generatur a Domino, non poteſt venire in Cœlum; quod docet Dominus apud Johannem; "*Amen, amen, dico tibi, niſi quis generatur denuo, non poteſt videre Regnum Dei*," III.: 3.

174. Homo a parentibus non naſcitur in vitam ſpiritualem, ſed in vitam naturalem: Vita ſpiritualis eſt amare Deum ſupra omnia, & amare proximum ſicut ſeipſum, & hoc ſecundum præcepta fidei, quæ Dominus in Verbo docuit: Vita autem naturalis eſt amare ſe & mundum præ proximo, imo præ ipſo Deo.

175. Unuſquiſque homo naſcitur in mala amoris ſui & mundi a ſuis parentibus: omne malum, quod per habitum traxerat quaſi naturam, derivatur in prolem; ita ſucceſſive a parentibus, ab avis, & ab atavis longa retro ſerie; inde derivatio mali tandem fit tanta, ut omne vitæ propriæ hominis non ſit niſi quam malum. Derivatum hoc continuum non frangitur & alteratur, quam per vitam fidei & charitatis a Domino.

176. Quod homo ex hæreditario trahit, ad hoc inclinat continue, & in hoc labitur: inde ipſe confirmat apud ſe id malum, & quoque ex ſe ſuperaddit plura. Hæc mala ſunt prorſus contraria vitæ ſpirituali, deſtruunt illam; quapropter niſi homo a Domino accipit vitam novam, quæ eſt vita ſpiritualis, ita niſi e novo concipitur, e novo naſcitur, & e novo educatur, hoc eſt, e novo creatur, eſt damnatus, nam nihil aliud vult, & inde nihil aliud cogitat, quam quod ſui & mundi eſt, ſimiliter ut faciunt in inferno.

177. Nemo regenerari poteſt, niſi ſciat talia quæ vitæ novæ, hoc eſt, quæ vitæ ſpiritualis ſunt: quæ vitæ novæ ſunt ſeu quæ vitæ ſpiritualis, ſunt vera quæ credenda & bona quæ facienda, illa ſunt fidei hæc charitatis. Hæc ſcire nemo poteſt ex ſe, nam homo non capit niſi quæ obvia fuerunt ſenſibus, ex illis comparavit ſibi lumen, quod lumen naturale vocatur, ex quo non aliud videt, quam quæ mundi ſunt & quæ ſui, non autem quæ cœli & quæ Dei, hæc diſcet ex revelatione. Ut, quod Dominus, qui ab æterno Deus, in mundum venerit ad ſalvandum Genus humanum; quod Ipſi omnis poteſtas ſit in cœlo & in terra; quod omne fidei & omne charitatis, ita omne verum & bonum

M 2 ſit

ſit ab Ipſo; quod cœlum ſit & quod infernum; quod homo victurus ſit in æternum, ſi bene egerit in cœlo, ſi male in inferno.

178. Hæc & plura ſunt fidei, quæ homo qui regenerandus eſt, ſcire debet, nam qui ſcit illa, cogitare poteſt illa, dein velle illa, & demum facere illa, & ſic habere vitam novam. Ut qui non ſcit, quod Dominus ſit Salvator Generis humani, non poteſt fidem habere in Ipſum, amare Ipſum, & ſic facere bonum propter Ipſum: qui non ſcit, quod omne Bonum ſit ab Ipſo, non poteſt cogitare, quod ſalus ſua ſit ab Ipſo, minus poteſt velle quod ita ſit, ita non poteſt vivere ab Ipſo: qui non ſcit quod infernum ſit & quod cœlum, nec quod vita æterna, is ne quidem cogitare poteſt de vita cœli, nec applicare ſe ad recipiendum illam: ita in reliquis.

179. Unicuique eſt homo Internus & homo Externus; Internus eſt qui homo ſpiritualis vocatur, & Externus qui homo naturalis: uterque regenerandus eſt, ut homo regeneratus ſit. Apud hominem qui non regeneratus eſt, Externus ſeu naturalis homo imperat, ac Internus ſervit; at apud hominem qui regeneratus eſt, Internus ſeu ſpiritualis homo imperat, & Externus ſervit: unde patet, quod apud hominem a nativitate ordo vitæ inverſus ſit, nempe quod imperare debet hoc ſervit, & quod ſervire debet hoc imperat: ille ordo invertendus eſt, ut homo ſalvari poſſit: & hæc inverſio nequaquam exiſtere poteſt quam per regenerationem a Domino.

180. Quid ſit quod Internus homo imperet & Externus ſerviat, ac viciſſim, illuſtretur per hoc: ſi homo ponit omne bonum in volupi, in lucro, & in faſtu, ac jucundum habet in odio & vindicta, & interius in ſe conquirit rationes quæ confirmant, tunc Externus homo imperat ac Internus ſervit. Cum autem homo percipit bonum & jucundum in cogitando & volendo bene, ſincere & juſte, & exterius in loquendo & faciendo ſimiliter, tunc Internus homo imperat & Externus ſervit.

181. Internus homo primum regeneratur a Domino, & poſtea Externus, & hic per illum: Internus enim homo regeneratur per cogitare illa quæ fidei & charitatis ſunt, Externus autem per vitam ſecundum illa. Hoc intelligitur per Domini verba, *niſi quis generatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt ingredi in Regnum Dei*," Joh: III: 5: Aqua in ſpirituali ſenſu eſt verum fidei, & ſpiritus eſt vita ſecundum illud.

182. Homo, qui regeneratus eſt, quoad Internum ſuum hominem in Cœlo eſt, ac ibi angelus cum angelis, inter quos etiam poſt mortem venit; is tunc poteſt vivere vitam cœli, amare Dominum, amare proximum, intelligere verum, ſapere bonum, ac percipere beatum inde.

Ex

Ex Arcanis Cœlestibus.

183. QUID *Regeneratio, & cur fit.* Quod hodie parum sciatur de Regeneratione, causæ, n: 3761. 4136. 5398. Quod homo nascatur in omnis generis mala, & quod inde ille quoad Proprium suum ex nativitate non sit nisi quam malum, n: 210. 215. 731. 874. 875. 876. 987. 1047. 2307. 2308. 3518. 3701. 3712. 8480. 8549. 8550. 8552. 10283. 10284. 10286. 1073. Quod HÆREDITARIUM hominis non sit nisi quam malum, vide Collecta supra in hac Doctrina n: 83. Quod etiam PROPRIUM hominis non sit nisi quam malum, ibi n: 82. Quod homo ex se, quantum ex Hæreditario & Proprio, sit pejor Brutis animalibus, n: 637. 3175. Quod ideo continue ex se spectet ad Infernum, n: 694. 8480. Quapropter si homo duceretur ex suo Proprio, quod nequaquam salvari posset, n: 10731.

Quod Vita naturalis hominis sit contraria vitæ spirituali, n: 3913. 3928. Quod bonum, quod homo facit ex se seu ex proprio, non sit bonum, quia facit propter se & propter mundum, n: 8478. Quod Proprium hominis removendum sit, ut Dominus & Cœlum adesse queant, n: 1023. 1044. Quod Proprium hominis actualiter removeatur, cum homo a Domino regeneratur, n: 9334. 9335. 9336. 9452. 9455. 9938. Quod ideo homo e novo creandus sit, hoc est, regenerandus, n: 8549. 9450. 9938. Quod per creare hominem in Verbo significetur illum regenerare, n: 16. 88. 10634.

Quod homo per regenerationem conjungatur Domino, n: 2004. 9338. Quod etiam consocietur Angelis in Cœlo, n: 2475. Quod homo non prius in Cœlum veniat, quam dum in statu est, ut ducatur a Domino per bonum, quod fit cum regeneratus est, n: 8516. 8539. 8722. 9139. 9832. 10367.

Quod apud hominem, qui non regeneratus est, Externus seu naturalis homo imperet, ac Internus serviat, n: 3167. 8743. Ita quod status vitæ hominis sit inversus a nativitate, & quod ideo omnino invertendus sit, ut homo salvari possit, n: 6507. 8552. 8553. 9258. Quod finis regenerationis sit, ut Internus seu spiritualis imperet, & Externus seu naturalis serviat, n: 911. 913. Quod etiam ita fiat, postquam homo regeneratus est, n: 5128. 5651. 8743. Quoniam post regenerationem non amplius Amor sui & mundi, sed Amor in Dominum & erga proximum regnat, ita Dominus & non homo, n: 8856. 8857. Quod inde pateat, quod homo, nisi regeneratur, salvari nequeat, n: 5280. 8548. 8772. 10156.

Quod Regeneratio sit planum ad perficiendum vitam ejus in æternum, n: 9334. Quod etiam homo regeneratus perficiatur in æternum, n: 6648. 10048. Qualis homo regeneratus & homo non regeneratus, n: 977. 986. 10156.

184. *Quis regeneratur.* Quod homo non prius regenerari possit, nisi instructus

ſtructus ſit veris fidei & bonis charitatis, n: 677. 679. 711. 8635. 8638. 8639. 8640. 10729. Quod qui ſolum in veris ſunt & non in bono, non regenerari poſſint, 6567. 8725. Quod nemo regeneretur, niſi ſit charitate præditus, n: 989. Quod non regenerari queant, niſi qui conſcientiam habent, n: 2689. 5470. Quod quiſque regeneretur ſecundum facultatem recipiendi bonum amoris in Dominum & charitatis erga proximum per vera fidei ex doctrina Eccleſiæ, quæ ex Verbo, n: 2967. 2975. Quinam porro regenerari poſſunt, & quinam non poſſunt, n: 2689 Qui vitam fidei & charitatis vivunt, & in mundo non regenerantur, quod in altera vita regenerentur, n: 989. 2490.

185. *Quod Regeneratio a ſolo Domino.* Quod ſolus Dominus regeneret hominem, & prorſus nihil homo, nec angelus, n: 10067. Quod Regeneratio hominis ſit imago glorificationis Domini, hoc eſt, quod ſicut Dominus Humanum ſuum Divinum fecit, ita Dominus hominem, quem regenerat, faciat ſpiritualem, n: 3043. 3138. 3212. 3296. 3490. 4402. 5688. 10057. 10076. Quod Dominus velit habere totum hominem, quem regenerat, & non partem, n: 6138.

186. *Plura de Regeneratione.* Quod homo regeneretur per vera fidei, & per vitam ſecundum illa, n: 1904. 2046. 9088. 9959. 10028. Quod hoc intelligatur per Domini verba, "*Niſi homo generetur per aquam & ſpiritum, non poteſt ingredi in Regnum Dei,*" Joh: III: 5; per aquam ſignificatur verum fidei, & per ſpiritum vita ſecundum illud, n: 10240. Quod per aquam in Verbo ſignificetur verum fidei, n: 2702. 3058. 5668. 8568. 10238. Quod etiam purificatio ſpiritualis, quæ eſt a malis & falſis, fiat per vera fidei, n: 2799. 5954. 7044. 7918. 9089. 10229. 10237. Quod Vera, cum regeneratur homo, inſeminentur & implantentur bono, ut fiant vitæ, n: 880. 2189. 2475. 2697. Vera qualia erunt, ut implantari queant bono, n: 8725. Quod verum initietur & conjungatur bono, ac bonum vero reciproce, in regeneratione, n: 5365. 8516. Quomodo initiatio & conjunctio reciproca fit, n: 3155. 10067. Quod Verum implantetur Bono, cum fit voluntatis, quoniam tunc fit amoris n: 10367.

Quod ſint bini ſtatus homini qui regeneratur, primus cum ducitur per verum ad bonum, alter cum ex bono agit, & ex bono videt verum, n: 7992. 7993. 8505. 8506. 8510. 8512. 8516. 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701. 8772. 9227. 9230. 9274. 9739. 10048. 10057. 10058. 10076. Qualis ſtatus hominis, cum verum primo loco eſt, & bonum ſecundo, n: 3610. Inde patet, quod homo cum regeneratur, ex vero ſpectet ad bonum, ſed cum regeneratus eſt, ex bono ſpectet verum, n: 6247. Ita quod fiat quaſi verſura, in eo quod ſtatus hominis invertatur, n: 6507.

Sed ſciendum eſt, quod ita ſe res habeat, quod, cum homo regeneratur, verum primo loco & bonum ſecundo ſit non actualiter ſed modo apparenter, at quod, cum homo regeneratus eſt, bonum primo loco ſit & verum ſecundo actualiter & perceptibiliter, n: 3324. 3325. 3330. 3336. 3494. 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3701. 4243. 4244. 4247. 4337. 4925. 4926.

4926. 4928. 4930. 4977. 5351. 6256. 6269. 6273. 8516. 10110. Ita quod bonum sit primum & ultimum regenerationis, n : 9337. Quia verum primo loco apparet esse, & bonum secundo cum regeneratur homo, seu quod idem, cum homo fit Ecclesia, quod propter illam apparentiam ab Antiquis controversum sit, num verum fidei vel num bonum charitatis sit primogenitum Ecclesiæ, n : 367. 2435. Quod bonum charitatis sit primogenitum Ecclesiæ actualiter, at verum fidei modo apparenter, n : 3325. 3494. 4925. 4926. 4928. 4930. 8042. 8080. Quod etiam per primogenitum in Verbo significetur primum Ecclesiæ, cui prioritas & superioritas, n : 3325. Quod ideo Dominus dicatur Primogenitus, quia in Ipso & ab Ipso omne bonum amoris, charitatis, & fidei, n : 3325.

Quod non redeundum sit a statu posteriori, qui est cum a bono spectatur verum, ad statum priorem, qui est cum a vero spectatur bonum, causæ, n : 2454. 3650 ad 3655. 5895. 5897. 7857. 7923. 8505. 8506. 8510. 8512. 8516. 9274. 10184 : explicantur ibi Domini verba, "*Qui tunc in agro, ne revertatur retro ad tollendum vestimenta sua,*" Matth : XXIV : 18 : tum, "*Quicunque tunc agro, ne revertatur in, quæ post illum; mementote uxoris Lothi,*" Luc : XVII : 31. 32, nam illa per ea verba significantur.

Processus regenerationis hominis, quomodo fit, describitur, n : 1555. 2343. 2490. 2657. 2979. 3057. 3286. 3310. 3316. 3332. 3470. 3701. 4353. 5112. 5126. 5270. 5280. 5342. 6717. 8772. 8773. 9043. 9103. 10021. 10057. 10367. Quod arcana regenerationis innumerabilia sint, quoniam regeneratio perstat per totam vitam hominis, n : 2679. 3179. 3584. 3665. 3694. 3701. 4377. 4551. 4552. 5122. 5126. 5398. 5912. 6751. 9103. 9258. 9296. 9297. 9334. Quod vix aliquid ex arcanis illis ad cognitionem & perceptionem hominis perveniat, n : 3179. 9336 : quod hoc sit quod intelligitur per Domini verba, "*Ventus quo vult spirat, & sonum ejus audis, sed non scis unde venit & quo vadit; ita est quisquis natus est ex spiritu,*" Joh : III : 8. De Processu regenerationis hominis Ecclesiæ spiritualis, n : 2675. 2678. 2679. 2682. Et de Processu regenerationis hominis Ecclesiæ cœlestis, & quæ differentia, n : 5113. 10124.

Quod cum homine qui regeneratur similiter se habeat, sicut cum infante, quod primum discat loqui, dein cogitare, postea vivere bene, usque dum omnia sponte sicut a se fluant, n : 3203. 9296. 9297. Ita quod, qui regeneratur, primum ducatur a Domino sicut infans, dein sicut puer, postea sicut adultus, n : 3665. 3690. 4377. 4378. 4379. 6751. Quod homo, cum regeneratur a Domino, primum in statu innocentiæ externæ sit, qui est status ejus infantiæ, dein successive perducatur in statum innocentiæ internæ, qui est status ejus sapientiæ, n : 9334. 9335. 10021. 10210. Quæ & qualis innocentia infantiæ, & quæ & qualis innocentia sapientiæ, n : 1616. 2305. 2306. 3495. 4563. 4797. 5608. 9301. 10021. Comparatio regenerationis hominis cum conceptione & formatione embryonis in utero, n : 3570. 4931. 9258. Quod ideo generationes & nativitates in Verbo significent generationes & nativitates spirituales, hoc est, quæ sunt regenerationis, n : 613.

n: 613. 1145. 1255. 2020. 2584. 3860. 3868. 4070. 4668. 6239. 10197. Regeneratio hominis illustrata per germinationes in Regno vegetabili, n: 5115. 5116. Regeneratio hominis repræsentata in iride, n: 1042. 1043. 1053.

Quod uterque homo tam Internus seu spiritualis, quam Externus seu naturalis, regenerandus sit, & quod unus per alterum, n: 3868. 3870. 3872. 3876. 3877. 3882. Quod Internus homo prius regeneretur quam Externus, quoniam Internus est in luce cœli, & Externus in luce mundi, n: 3321. 3325. 3469. 3493. 4353. 8748. 9325. Quod Externus seu naturalis homo regeneretur per Internum seu spiritualem, n: 3286. 3288. 3321. Quod homo non regeneratus sit, priusquam Externus seu Naturalis ejus homo regeneratus est, n: 8742 ad 8747. 9043. 9046. 9061. 9328. 9334. Nisi Naturalis homo regeneratur, quod Spiritualis claudatur, n: 6299. Et quod sit quoad vera & bona fidei & amoris quasi cæcus, n: 3493. 3969. 4353. 4587. Quando Naturalis homo regeneratus est, quod totus homo regeneratus sit, n: 7442. 7443. Quod hoc significetur per lavationem pedum discipulorum, & per hæc Domini verba, "*Qui lotus est, non opus habet nisi quoad pedes lavetur, & mundus est totus,*" Joh: XIII: 9. 10. n: 10243; quod Lavatio in Verbo significet lavationem spiritualem, quæ est purificatio a malis & falsis, n: 3147. 10237. 10241; Et quod Pedes significent illa quæ sunt Naturalis hominis, n: 2162. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952; ita quod lavare pedes sit purificare naturalem hominem, n: 3147. 10241.

Quomodo Naturalis homo regeneratur, n: 3502. 3508. 3509. 3510. 3573. 3576. 3579. 3616. 3762. 3786. 5373. 5647. 5650. 5651. 5660. Qualis Naturalis homo est cum regeneratus, & qualis cum non regeneratus, n: 8744. 8745. Quod quantum Naturalis homo non pugnat cum Spirituali, tantum homo regeneratus sit, n: 3286. Cum regeneratus est homo, quod Naturalis homo percipiat spiritualia per influxum, n: 5651.

Quod Sensuale, quod est ultimum Naturalis hominis, hodie non regeneretur, sed quod homo elevetur ab illo, n: 7442. Quod illi, qui regenerantur, eleventur a sensualibus actualiter in lucem cœli, n: 6183. 6454. Quis & qualis sensualis homo, videatur supra in Collectis, n: 50.

Quod homo regeneretur per influxum in cognitiones boni & veri, quas habet, n: 4096. 4097. 4364. Quod homo, cum regeneratur, introducatur per bona & vera media in bona & vera genuina, & quod postea vera & bona media relinquantur, & genuina loco illorum succedant, n: 3665. 3690. 3686. 3974. 4063. 4067. 4145. 6382. Quod tunc inducatur alius ordo inter vera & bona, n: 4250. 4251. 9931. 10303. Quod disponantur secundum fines, n: 4104: Ita quod secundum usus vitæ spiritualis, n: 9297. Quod, qui regenerantur, plures status subeant, ac jugiter perducantur interius in Cœlum, ita propius ad Dominum, n: 6645. Quod regeneratus sit in ordine cœli, n: 8512. quod Internum ejus sit apertum in Cœlum, n: 8512. 8513. Quod homo per regenerationem in intelligentiam angelicam veniat, at quod illa in interioribus ejus abscondita lateat, quamdiu vivit in mundo, sed quod aperiatur

riatur in altera vita, & quod tunc ei similis sapientia sit, qualis est Angelis, n: 2494. 8747 Status illorum, qui regenerantur, quoad illustrationem, n: 2697. 2701. 2704. Quod homo per regenerationem novum intellectum accipiat, n: 2657. Quomodo se habet cum fructificatione boni & multiplicatione veri apud illos qui regenerantur, n: 984. Quod vera ex bono apud regeneratum faciant sicut stellam per derivationes successivas, & se circumcirca continue multiplicent, n: 5912. Quod vera ex bono apud regeneratum disposita sint in eum ordinem, ut genuina vera boni, ex quibus ut parentibus procedunt reliqua, sint in medio, & dein succedant ordine secundum propinquitates & affinitates, usque ad ultima, ubi obscurum, n: 4128. 4551. 4552. 5134. 5270. Quod vera ex bono apud regeneratum disposita sint in formam Cœli, n: 3316. 3470. 3584. 4302. 5704. 5709. 6028. 6690. 9931. 10303; & in Opere de Cœlo & Inferno, in Articulo *de Forma Cœli, secundum quam consociationes & communicationes ibi*, n: 200 ad 212: & *de Sapientia Angelorum Cœli*, n: 265 ad 275.

Quod apud Regeneratum correspondentia sit inter spiritualia & naturalia, n: 2850. Quod ordo vitæ prorsus inversus sit apud Regeneratum, n: 3332. 5159. 8995. Quod homo regeneratus sit prorsus novus quoad spiritum, n: 3212. Quod Regeneratus quoad externa appareat similis non Regenerato, non autem quoad interna, n: 5159. Quod bonum spirituale, quod est ex affectione amoris boni velle & facere bonum, non sit homini nisi quam per regenerationem, n: 4538. Quod vera, qua affectione intrant, etiam reproducantur, n: 5893. Quod vera, quantum deprivantur vita a proprio hominis, tantum conjungantur bono, & vitam spiritualem accipiant, n: 3607. 3610. Quod veris tantum vita sit, quantum mala ex amore sui & mundi removentur, n: 3610.

Quod prima affectio veri apud hominem, qui regeneratur, non sit pura, sed quod successive purificetur, n: 3089. 8413. Quod mala & falsa apud hominem, qui regeneratur, lente removeantur, & non cito, n: 9334. 9335. Quod mala & falsa, quæ propria hominis, usque remaneant, & quod modo per regenerationem removeantur, n: 865. 868. 887. 929. 1581. 2406. 4564. 8206. 8393. 8988. 9014. 9333 ad 9336. 9445. 9447. 9448. 9451 ad 9454. 9938. 10057. 10059. Quod homo nusquam ita regenerari possit, ut perfectus dici queat, n: 894. 5122. 6648. Quod mali spiritus non ausint aggredi regeneratum, n: 1695. Quod qui credunt justificationem in Ecclesia, parum sciant de Regeneratione, n: 5398.

Quod liberum homini esse debeat, ut possit regenerari, n: 1937. 1947. 2876. 2881. 3145. 3146. 3158. 4031. 8700. Quod homo in Liberum cœleste introducatur per regenerationem, n: 2874. 2875. 2882. 2892. Quod nulla conjunctio boni & veri detur per coactum, ita nulla regeneratio, n: 2875. 2881. 4031. 8700. Reliqua de Libero circa Regenerationem, videatur supra in Doctrina, ubi de LIBERO.

Qui regeneratur, quod necessario Tentationes subiturus sit, n: 3696. 8403. Quoniam Tentationes fiunt propter conjunctionem boni & veri, tum propter conjunctionem Interni & Externi hominis, n: 4248. 4272. 5772.

De Tentatione.

187. SOlum qui regenerantur Tentationes ſpirituales ſubeunt; nam Tentationes ſpirituales ſunt dolores mentis apud illos qui in bonis & veris ſunt, inductæ a ſpiritibus malis; hi dum excitant mala quæ apud illos, oritur Anxietas quæ Tentationis: homo neſcit unde venit, quia neſcit hanc originem.

188. Sunt enim apud unumquemvis hominem ſpiritus mali & ſpiritus boni; ſpiritus mali ſunt in ejus malis, & ſpiritus boni in ejus bonis: ſpiritus mali cum prope veniunt, educunt ejus mala, ac ſpiritus boni viciſſim ejus bona, inde colliſio & pugna, ex quibus homini anxietas interior, quæ eſt Tentatio. Inde patet, quod Tentationes inducantur ab inferno, & non e cœlo; quod etiam ab Eccleſiæ fide eſt, quæ eſt quod Deus neminem tentet.

189. Sunt quoque anxietates interiores apud illos, qui non in bonis & veris ſunt, ſed anxietates naturales, non autem ſpirituales: dignoſcuntur per id, quod anxietates naturales pro objecto habeant mundana, ſed anxietates ſpirituales cœleſtia.

190. In Tentationibus agitur de dominio boni ſuper malum, aut mali ſuper bonum; malum quod dominari vult, eſt in naturali ſeu externo homine, & bonum in ſpirituali ſeu interno; ſi malum vincit, tunc naturalis homo dominatur, ſi bonum vincit tunc ſpiritualis homo.

191. Pugnæ illæ fiunt per vera fidei quæ ex Verbo; ex illis pugnabit homo contra mala & falſa, ſi ex aliis quam ex illis, non vincit, quia non in aliis eſt Dominus. Quia pugna fit per vera fidei, idcirco homo non prius in pugnam illam admittitur, quam cum in veri & boni cognitionibus eſt, & inde aliquam vitam ſpiritualem adeptus eſt; quapropter pugnæ illæ non prius apud hominem exiſtunt, quam cum is ætate adolevit.

192. Si homo ſuccumbit, fit ſtatus ejus poſt tentationem pejor ſtatu ejus ante illam, quippe malum tunc acquiſivit ſibi potentiam ſuper bonum & falſum ſuper verum.

193. Quoniam hodie fides rara eſt quia non charitas, eſt enim Eccleſia in ſuo fine, idcirco pauci hodie in aliquas tentationes ſpirituales admittuntur: inde eſt, quod vix ſciatur, quid ſunt & ad quid conducunt.

194. Tenta-

194. Tentationes conducunt ad acquirendum dominium bono ſuper malum ac vero ſuper falſum; tum ad confirmanda vera, & ad conjungenda illa bonis, & ſimul ad diſcutienda mala & inde falſa; conducunt etiam ad aperiendum internum ſpiritualem hominem, & ad ei ſubjiciendum naturalem; tum quoque ad infringendum amores ſui & mundi, & ad domandum concupiſcentias quæ inde ſunt. Quibus factis, homini fit illuſtratio & perceptio quid verum & bonum, & quid falſum & malum; inde fit homini intelligentia & ſapientia, quæ poſtea indies creſcunt.

195. Solus Dominus pro homine pugnat in tentationibus; ſi homo non credit, quod Dominus ſolus pugnet pro illo & vincit pro illo, tunc tentationem modo externam ſubit, quæ ei non conducit.

Ex Arcanis Cœleſtibus.

196. ANtequam ſummatim traditur, quid in Arcanis Cœleſtibus de Tentationibus ſcriptum eſt, aliquid præfandum eſt de illis, ut clarius adhuc ſciatur undenam ſunt. Tentatio ſpiritualis dicitur, cum intus in homine impugnantur Vera fidei, quæ homo corde credit, & ſecundum quæ vivere amat, imprimis cum impugnatur bonum amoris, in quo ponit vitam ſpiritualem. Impugnationes illæ fiunt variis modis, per influxum ſcandalorum in cogitationes & quoque in voluntatem, contra vera & bona, tum per emerſionem & recordationem continuam malorum quæ homo fecerat, & falſorum quæ cogitaverat, ita per inundationem talium; & ſimul tunc per apparentem interclusionem interiorum mentis, & ſic communicationis cum cœlo, per quod ei intercipitur cogitare ex ſua fide, ac velle ex ſuo amore: hæc fiunt a malis ſpiritibus qui apud hominem; & cum fiunt, apparent ſub ſpecie anxietatum interiorum, ac dolorum conſcientiæ, quoniam talia afficiunt & cruciant vitam hominis ſpiritualem, credente homine quod non ſit a malis ſpiritibus, ſed ex ſe in interioribus; quod homo non ſciat quod non illa ſint ex malis ſpiritibus, eſt cauſa, quia non ſcit quod ſpiritus ſint apud illum, mali in malis ejus & boni in bonis ejus, & quod ſint in ejus cogitationibus & affectionibus. Tentationes illæ graviſſimæ ſunt, quando conjunctæ ſunt cum doloribus inflictis corpori, & magis ſi dolores illi diu perſiſtunt & ingraveſcunt, ac imploratur Divina Miſericordia, & uſque non liberatio; inde deſperatio quæ finis. Hic primum aliqua ex ARCANIS CŒLESTIBUS afferenda ſunt de Spiritibus apud hominem, quia ab illis tentationes: Quod apud unumquemvis hominem ſint ſpiritus & angeli, n: 697. 5846 ad 5866. Quod ſint in ejus cogitationibus & affectionibus, n: 2888. 5846. 5848. Quod ſi

 aufer-

auferrentur ſpiritus & angeli, homo non vivere poſſit, n: 2887. 5849. 5854. 5993. 6321: Quia homini per ſpiritus & angelos eſt communicatio & conjunctio cum Mundo ſpirituali, ſine qua non foret vita homini, n: 697. 2796. 2886. 2887. 4047. 4048. 5846 ad 5866. 5976 ad 5993. Quod ſpiritus apud hominem mutentur ſecundum ejus affectiones quæ amoris, n: 5851. Quod ſpiritus ab inferno ſint in amoribus propriis hominis, n: 5852. 5979 ad 5993. Quod ſpiritus intrent in omnia memoriæ hominis, n: 5853. 5857. 5859. 5860. 6192. 6193. 6198. 6199. Quod angeli in fines, ex quibus & propter quos homo ita non aliter cogitat, vult, agit, n: 1317. 1645. 5844. Quod homo non appareat ſpiritibus, ſicut nec ſpiritus homini, n: 5885. Inde quod ſpiritus nihil poſſint videre quod eſt in mundo noſtro ſolari per hominem, n: 1880. Quod tametſi ſpiritus & angeli ſunt apud hominem in ejus cogitationibus & affectionibus, uſque tamen homo in libero ſit cogitandi, volendi, & agendi, n: 5982. 6477. 8209. 8307. 10777. Et præterea in Opere de Cœlo & Inferno, ubi agitur de Conjunctione Cœli cum Humano genere, n: 291 ad 302.

197. *Tentationes unde & quales.* Quod Tentationes exiſtant a malis ſpiritibus qui apud hominem, ac injiciunt ſcandala contra bona & vera, quæ homo amat & credit, & quoque excitant mala quæ fecerat, & falſa quæ cogitaverat, n: 741. 751. 761. 3927. 4307. 4572. 5036. 6657. 8960. Quod mali ſpiritus tunc omni aſtu & malitia utantur, n: 6666. Quod homo, qui in tentationibus, juxta infernum ſit, n: 8131. Quod in Tentationibus binæ vires agant, vis a Domino ab interiori, & vis ab inferno ab exteriori, & quod homo ſit in medio, n: 8168.

Quod in tentationibus impugnetur amor regnans hominis, n: 847. 4274. Quod mali ſpiritus aggrediantur ſolum illa quæ ſunt fidei & amoris hominis, ita quæ ſunt ipſius vitæ ejus ſpiritualis, quare tunc de vita ejus æterna agitur, n: 1820. ſtatus tentationum comparatus cum ſtatu hominis inter latrones, n: 5248. Quod in tentationibus Angeli a Domino teneant hominem in veris & bonis, quæ apud illum, mali autem ſpiritus in falſis & malis quæ apud illum, inde conflictus & pugna, n: 4249.

Quod Tentatio ſit pugna inter hominem Internum ſeu ſpiritualem & inter Externum ſeu naturalem, n: 2183. 4256. Ita inter jucunda Interni & Externi hominis, quæ tunc ſibi oppoſita ſunt, n: 3928. 10351. Quod exiſtat propter diſſidium inter illa, n: 3928. Ita quod agatur de dominio unius ſuper alterum, n: 3928. 8961.

Quod nemo tentari poſſit, niſi ſit in agnitione veri & boni, & in affectione illorum, quoniam alioquin non fit pugna, non enim eſt ſpirituale agens contra naturale, ita non de dominio, n: 3928. 4299. Quod is tentetur qui aliquam vitam ſpiritualem nactus eſt, n: 8963. Quod Tentationes exiſtant apud illos qui conſcientiam habent, ita qui in amore ſpirituali ſunt; graviores autem apud illos qui perceptionem, ita qui in amore cœleſti ſunt, n: 1668. 8963. Quod mortui homines, hoc eſt, qui non in fide & amore in Deum & in amore erga proximum ſunt, non admittantur in Tentationes, quoniam ſuccumberent,

rent, n: 270. 4274. 4299. 8964. 8968. Quod ideo pauci hodie in Tentationes ſpirituales, n: 8965. Sed quod illis ſint anxietates propter varias cauſas in mundo, quæ fuerunt, quæ ſunt, & quæ futura ſunt, quæ cauſæ conjunctæ ſolent eſſe cum infirmitate animi ac invalitudine corporis, quæ non ſunt anxietates tentationum, n: 762. 8164. Quod Tentationes ſpirituales conjunctæ ſoleant eſſe cum doloribus corporis, & non conjunctæ, n: 8164. Quod ſtatus tentationum ſit immundus & ſqualidus, quia injiciuntur mala & falſa, & quoque dubia de bonis & veris, n: 5246. Tum quia in tentationibus ſunt indignationes, dolores animi, & plures affectiones non bonæ, n: 1917. 6829. Quod etiam ſit obſcurum & dubium de fine, n: 1820. 6829. Et quoque de Divina Providentia & auditione, quoniam in tentationibus preces non ita audiuntur, ſicut extra illas, n: 8179. Et quia homo, cum in tentatione eſt, ſibi videatur in damnatione eſſe, n: 6097. Cauſa quod ita ſit, eſt, quia homo ſentit clare quæ in Externo homine fiunt, ita quæ mali ſpiritus injiciunt & evocant, ſecundum quæ etiam homo de ſuo ſtatu cogitat, non autem ſentit quæ in Interno homine fiunt, ita quæ per Angelos a Domino influunt, ex quibus ideo nec de ſtatu ſuo judicare poteſt, n: 10236. 10240.

Quod Tentationes utplurimum perducantur ad deſperationem, quæ eſt ultimum illarum, n: 1787. 2694. 5279. 5280. 6144. 7147. 7155. 7166. 8165. 8567. Cauſæ, n: 2694. Quod in ipſa tentatione etiam ſint deſperationes, ſed quod deſinant in communem, n: 8567. Quod homo in deſperatione loquatur acerba, ſed quod ad illa a Domino non attendatur, n: 8165. Peracta tentatione quod primum ſit fluctuatio inter verum & falſum, n: 848. 857. Sed quod poſtea luceat verum, & fiat ſerenum & lætum, n: 3696. 4572. 6829. 8367. 8370.

Quod qui regenerantur, non ſemel ſed pluries ſubeant tentationes, quoniam plura mala & falſa removenda ſunt, n: 8403. Quod qui aliquam vitam ſpiritualem adepti ſunt, ſi in mundo non ſubeunt tentationes, in altera vita ſubeant, n: 7122. Quomodo tentationes fiunt in altera vita, & ubinam, n: 537. 538. 539. 699. 1106 ad 1113. 1122. 2694. 4728. 4940 ad 4951. 6119. 6928. 7090. 7122. 7123. 7186. 7317 7474. 7502. 7541. 7542. 7545. 7768. 7990. 9331. 9763. De ſtatu illuſtrationis illorum, qui e tentatione veniunt, & elevantur in cœlum, & de receptione illorum ibi, n: 2699. 2701. 2704.

Tentatio per defectum veri, & deſiderium veri tunc, qualis, n: 2682. 8352. Tentatio infantum in altera vita, per quam diſcunt reſiſtere malis, qualis, n: 2294. Diſcrimen inter tentationes, infeſtationes, & vaſtationes, quale, n: 7474.

198. *Tentationes quomodo & quando.* Quod pugnæ ſpirituales imprimis fiant per vera fidei, n: 8962. Quod verum ſit primum pugnæ, n: 1685. Quod homines Eccleſiæ ſpiritualis tententur quoad vera fidei, quare illis eſt pugna per vera, at quod homines Eccleſiæ cœleſtis tententur quoad bona amoris,

amoris, quare illis, eſt pugna per bona, n: 1668. 8963. Quod illi, qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, utplurimum non pugnent ex veris genuinis, ſed ex illis quæ credit vera eſſe ex doctrinali ſuæ Eccleſiæ; quod doctrinale uſque tale eſſe debet, ut conjungi queat bono, n: 6765.

Quod qui regeneratur, tentationes ſubiturus ſit, & quod abſque illis regenerari nequeat, n: 5036. 5403. Et quod Tentationes ideo neceſſariæ ſint, n: 70,0. Quod homo, qui regeneratur, tunc in tentationes veniat, cum malum conatur dominari ſuper bonum, ac naturalis homo ſuper ſpiritualem, n: 6857. 8961. Et quod in illas veniat, cum bonum debet agere primas, n: 4248. 4249. 4256. 8962. 8963. Quod illi, qui regenerantur, primum in ſtatum tranquillitatis mittantur, dein in tentationes, & quod poſtea in ſtatum tranquillitatis pacis redeant, qui eſt finis, n: 3696.

199. *Tentationes quid boni efficiunt.* Quid Tentationes efficiunt, in ſumma, n: 1692. 1717. 1740. 6144. 8958 ad 8969. Quod per tentationes acquiratur dominium ſpirituali ſeu interno homini ſuper naturalem ſeu externum, conſequenter bono ſuper malum, ac vero ſuper falſum, quoniam in ſpirituali homine eſt bonum, nam abſque eo non eſt, & in naturali malum, n: 8961. Quoniam tentatio eſt pugna inter illa, inde agitur de dominio, nempe num ſit ſpirituali homini ſuper naturalem, proinde num bono ſuper malum, aut viciſſim, proinde num ſit Domino ſuper hominem, vel num inferno, n: 1923. 3928. Quod Externus ſeu naturalis homo per tentationes recipiat vera correſpondentia affectioni eorum in Interno ſeu ſpirituali homine, n: 3321. 3928. Quod Internus ſpiritualis homo per tentationes aperiatur, & conjungatur cum Externo, ut homo quoad utrumque elevari poſſit, & ſpectare ad Dominum, n: 10865. Cauſa quod Internus ſpiritualis homo per tentationes & aperiatur & conjungatur cum Externo, eſt quia Dominus ab interiori agit, ac influit inde in Externum, ac removet ibi & ſubjugat mala, ac cum illis ſubjicit & ſubordinat eum Interno, n: 10685.

Quod Tentationes ſint propter conjunctionem boni & veri, & propter diſcuſſionem falſorum adhærentium veris & bonis, n: 4572. Ita quod per tentationes conjungatur bonum veris, n: 2272. Quod vaſa recipientia veri per tentationes emolliantur, ac induant ſtatum recipiendi bonum, n: 3318. Quod vera & bona per tentationes confirmentur & implantentur, ita illa quæ fidei & charitatis ſunt, n: 8351. 8924. 8966. 8967. Et quod mala & falſa removeantur, & ſic locus detur bonis & veris, n: 7122. Quod per tentationes infringantur amores ſui & mundi, ex quibus omnia mala & falſa, n: 5356. Et quod ſic homo humilietur, n: 8966. 8967. Quod mala & falſa per tentationes domentur, ſeparentur, & removeantur, ſed non aboliantur, n: 868. Quod per tentationes domentur corporea, & eorum concupiſcentiæ, n: 857. 858. Quod homo per illas diſcat quid bonum & verum, etiam ex relatione ad oppoſita, quæ ſunt mala & falſa, n: 5356. Quod etiam diſcat, quod apud ſe non ſit niſi quam malum, & quod omne bonum, quod apud illum, ſit a Domino, & ex Ipſius Miſericordia, n: 2334.

Quod

Quod homo per tentationes, in quibus vincit, mali ſpiritus depriventur potentia ulterius contra illum agendi, n: 1695. 1717. Quod Inferna contra illos, qui tentationes paſſi ſunt & vicerunt, non auſint exſurgere, n: 2183. 8273.

Quod poſt tentationes, in quibus homo vicit, ſit gaudium oriundum ex conjunctione boni & veri, tametſi homo neſcit quod gaudium tunc inde ſit, n: 4572. 6829. Quod tunc illuſtratio veri quod fidei, & perceptio boni quod amoris, n: 8367. 8370. Quod inde ei intelligentia & ſapientia, n: 8966. 8967. Quod vera poſt tentationes immenſum creſcant, n: 6663. Et quod bonum primas agat, ſeu primo loco ſit, ac verum ſecundo, n: 5773. Et quod homo quoad Internum ſpiritualem hominem in ſocietates angelicas immittatur, ita in cœlum, n: 6611.

Quod vera cum bonis, antequam homo ſubit tentationes, apud illum in ordinem diſponantur a Domino, ut reſiſti poſſit malis & falſis quæ apud illum ab inferno, & excitantur, n: 8131. Quod Dominus in tentationibus proſpiciat bonum, loco quod infernales ſpiritus intendant malum, n: 6574. Quod Dominus vera cum bonis poſt tentationes in novum ordinem redigat, & diſponat in formam cœleſtem, n: 10685. Quod interiora hominis ſpiritualis diſpoſita ſint in formam cœleſtem, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, & ibi in Articulo, de Forma cœli, ſecundum quam conſociationes & communicationes ibi, n: 200 & 212.

Quod qui in Tentationibus ſuccumbunt, in damnationem veniant, quia mala & falſa vincunt, & naturalis homo ſuper ſpiritualem, ac poſtea dominatur, & quod tunc ſtatus poſterior fiat pejor priori, n: 8165. 8169. 8961.

200. *Quod Dominus pugnet pro homine in tentationibus.* Quod Dominus ſolus apud hominem in tentationibus pugnet, & homo nihil ex ſe, n: 1692. 8172. 8175. 8176. 8273. Quod homo nequaquam ex ſe poſſit pugnare contra mala & falſa, quia id foret contra omnia inferna, quæ domare & vincere nemo poteſt niſi ſolus Dominus, n: 1692. Quod Inferna pugnent contra hominem, & Dominus pro homine, n: 8159. Quod homo pugnet ex veris & bonis, ita ex cognitionibus & affectionibus illorum, quæ ſunt apud illum, ſed quod non homo, ſed Dominus per illas, n: 1661. Quod homo in tentationibus putet Dominum abeſſe, quia preces tunc non ita audiuntur prout extra illas, ſed quod uſque Dominus tunc præſentior ſit, n: 840. Quod homo in tentationibus quaſi ex ſe pugnare debeat, & non remittere manus, & non exſpectare immediatam opem ſed quod uſque credet quod a Domino, n: 1712. 8179. 8969. Quod homo aliter non recipere poſſit proprium cœleſte, n: 1937. 1947. 2882. 2883. 2891. Quale id proprium, quod non ſit hominis ſed Domini apud illum, n: 1937. 1947. 2882. 2883. 2891. 8497.

Quod Tentatio non conducat, nec aliquid boni inferat, ſi homo non credat, uſque poſt tentationes, quod Dominus pugnaverit & vicerit pro

illo, n: 8969. Qui meritum ponunt in operibus, quód non possint pugnare contra mala, quia pugnant ex proprio, & non permittunt Dominum pugnare pro illis, n: 9978. Quod ægre salvari queant, qui credunt se per tentationes meruisse cœlum, n: 2273.

Quod Dominus non tentet, sed liberet, & inducat bonum, n: 2768. Quod Tentationes appareant sicut a Divino, cum tamen non sunt, n: 4299. Quomodo intelligitur in Oratione Dominica per, Ne inducas nos in tentationes, ab experientia, n: 1875. Quod Dominus in tentationibus non concurrat permittendo, secundum ideam quam homo habet de permissione, n: 2768.

Quod in omni Tentatione sit liberum, tametsi non ita apparet, sed quod id liberum sit interius apud hominem a Domino, & quod ideo pugnet & velit vincere, & non vinci, quod absque libero non faceret, n: 1937. 1947. 2881. Quod Dominus per affectionem veri & boni impressam Interno homini id faciat, inscio homine, n: 5044. Nam omne liberum est affectionis seu amoris, & secundum quale ejus, n: 2870. 3158. 8907. 8990. 9585. 9591.

201. *De Tentationibus Domini.* Quod Dominus præ omnibus gravissimas & immanes Tentationes sustinuerit, quæ parum descriptæ sunt in sensu literæ Verbi, sed multum in sensu interno, n: 1663. 1668. 1787. 2776. 2786. 2795. 2814. 9528. Quod Dominus ex Divino Amore erga totum Genus humanum, pugnaverit, n: 1690. 1691. 1812. 1813. 1820. Quod Domini Amor fuerit salus Generis humani, n: 1820. Quod Dominus ex propria potentia pugnaverit, n: 1692. 1813. 9937. Quod Dominus per tentationes & victorias ex propria potentia Justitia & Meritum factus sit solus, n: 1813. 2025. 2026. 2027. 9715. 9809. 10019. Quod Dominus per Tentationes univerit Ipsum Divinum, quod fuit in Se ex conceptione, Humano suo, & hoc fecerit Divinum; sicut hominem per tentationes facit spiritualem, n: 1725. 1729. 1733. 1737. 3318. 3381. 3382. 4286. Quod Domini tentationes etiam in fine habuerint desperationem, n: 1787. Quod Dominus per Tentationes in se admissas subjugaverit Inferna, ac redegerit ibi & in cœlis omnia in ordinem, & simul Humanum suum glorificaverit, n: 1737. 4287. 9397. 9528. 9937. Quod Dominus solus contra omnia Inferna pugnaverit, n: 8273. Quod inde in se admiserit tentationes, n: 2816. 4295.

Quod Dominus non potuerit tentari quoad Divinum, quoniam inferna Divinum aggredi non possunt, quod ideo assumserit Humanum ex matre, tale quod tentari potuit, n: 1414. 1444. 1573. 5041. 5157. 7193. 9315. Quod per Tentationes & Victorias expulerit omne hæreditarium ex matre, & exuerit Humanum ex illa, usque tandem ut amplius non filius ejus esset, n: 2159. 2574. 2649. 3036. 10829. Quod Jehovah, Qui in Ipso ex conceptione, in tentationibus apparuerit sicut absens, n: 1815. Quod id fuerit status humiliationis Ipsius, n: 1785. 1999. 2159. 6866. Quod

ultima Ipsius Tentatio & Victoria fuerit in Gethsemane & in Cruce, per quam plene subjugavit Inferna, & Humanum suum Divinum fecit, n: 2776. 2803. 2813. 2814. 10655. 10659. 10829.

Quod panem non edere & aquam non bibere 40 diebus significet statum integrum tentationum, n: 10686. Quod Quadraginta Anni, Menses aut Dies significent statum Tentationum plenarium a principio ad finem; & quod ille status significetur per durationem Diluvii 40 diebus, per commorationem Mosis super Monte Sinai 40 diebus; per commorationem filiorum Israelis in deserto 40 annis; & per Tentationes Domini in deserto 40 diebus, n: 730. 862. 2272. 2273. 8098.



De Baptiſmo.

202. BAptiſmus inſtitutus eſt, in ſignum quod homo ſit ab Eccleſia, & in memoriale quod regenerandus ſit: Lavatio enim Baptiſmi non aliud eſt quam Lavatio ſpiritualis, quæ eſt Regeneratio.

203. Omnis Regeneratio fit a Domino per vera fidei, & per vitam ſecundum illa; ideo Baptiſmus teſtatur quod homo ſit ab Eccleſia, & quod regenerari poſſit; nam in Eccleſia agnoſcitur Dominus qui regenerat, & ibi eſt Verbum, ubi vera fidei, per quæ Regeneratio.

204. Hoc docet Dominus apud Johannem, "*Niſi quis generatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt ingredi in Regnum Dei,*" III: 5; aqua in ſpirituali ſenſu eſt verum fidei ex Verbo, ſpiritus eſt vita ſecundum illud, & generari eſt ex illis regenerari.

205. Quia omnis qui regeneratur etiam ſubit tentationes, quæ ſunt pugnæ ſpirituales contra mala & falſa, ideo per aquas Baptiſmi etiam illæ ſignificantur.

206. Quia Baptiſmus eſt in ſignum & in memoriale illorum, ideo homo baptizari poteſt infans, & ſi non tunc poteſt adultus.

207. Sciant itaque qui baptizati ſunt, quod ipſe Baptiſmus non det fidem, nec ſalutem, ſed quod teſtetur quod recipiant fidem, & quod ſalventur, ſi regenerantur.

208. Inde conſtare poteſt, quid intelligitur per Domini verba apud Marcum, "*Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvabitur; qui vero non crediderit, condemnabitur,*" XVI: 16; qui crediderit, eſt qui agnoſcit Dominum, ac recipit Divina Vera ab Ipſo per Verbum; qui baptizatus fuerit, eſt qui per illa a Domino regeneratur.

Ex Arcanis Cœleſtibus.

209. QUOD Baptiſmus ſignificet Regenerationem a Domino per vera fidei ex Verbo, n: 4255. 5120. 9089. 10239. 10386. 10387. 10388. 10392. Quod Baptiſmus ſit in ſignum quod homo ſit ab Eccleſia, ubi agnoſcitur Dominus a Quo regeneratio, & ubi eſt Verbum

ex

ex quo vera fidei per quæ regeneratio, n: 10386. 10387. 10388. Quod Baptiſmus non det fidem, nec ſalutem, ſed quod teſtetur quod recepturi qui regenerantur, n: 10391.

Quod Lavationes in Eccleſiis Antiquis, & in Eccleſia Iſraelitica, repræſentaverint & inde ſignificaverint purificationes a malis & falſis, n: 3147. 9089. 10237. 10239. Quod Lavationes veſtium ſignificaverint purificationem intellectus a falſis, n: 5954. Quod Lavatio pedum ſignificaverit purificationem naturalis hominis, n: 3147. 10241. Explicatur quid ſignificatur per lavationem pedum Diſcipulorum a Domino, n: 10243.

Quod Aquæ ſignificent vera fidei, n: 28. 2702. 3058. 5668. 8568. 10238. Quod fons & puteus aquarum vivarum ſignificet vera fidei a Domino, ita Verbum, n: 3424. Quod Panis & aqua ſignificent omnia bona amoris & vera fidei, n: 4976. 9323. Quod ſpiritus ſignificet vitam veri, ſeu vitam fidei, n: 5222. 9281. 9818. Quid ſpiritus & caro; quod ſpiritus ſignificet vitam a Domino, & caro vitam ab homine, n: 10283: Inde patet, quid ſignificatur per hæc Domini verba, "*Niſi quis generatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt ingredi in Regnum Dei,*" quod nempe niſi quis regeneratus fuerit per vera fidei & per vitam ſecundum illa, non poſſit ſalvari, n: 10240. Quod omnis regeneratio fiat per vera fidei, & per vitam ſecundum illa, n: 1904. 2046. 9088. 9959. 10028.

Quod Lavatio totalis, quæ fiebat per immerſionem in aquas Jordanis, ſignificaverit ipſam Regenerationem, ſimiliter ac Baptiſmus, n: 9089. 10239. Quid ſignificaverunt aquæ Jordanis, & quid Jordanes, n: 1585. 4255.

Quod diluvium & inundatio aquarum ſignificent tentationes, n: 660. 705. 739. 756. 790. 5725. 6853. Similiter Baptiſmus, n: 5120. 10389. Quomodo repræſentatus eſt Baptiſmus e cœlo, n: 2299.



De Sancta Coena.

210. Sancta Cœna a Domino instituta est, ut per illam sit conjunctio Ecclesiæ cum Cœlo, ita cum Domino: ideo illa est sanctissimum Cultus.

211. Sed quomodo per illam fit conjunctio, non capiunt illi, qui non sciunt aliquid de sensu interno seu spirituali Verbi, nam illi non ultra sensum externum, qui est sensus literæ, cogitant. Ex sensu interno seu spirituali Verbi scitur, quid significat Corpus & Sanguis, & quid Panis & Vinum, tum quid Manducatio.

212. In illo sensu Corpus aut Caro Domini est Bonum amoris, similiter Panis; ac Sanguis Domini est Bonum fidei, similiter Vinum; ac Manducatio est appropriatio & conjunctio. Angeli, qui sunt apud hominem qui obit Sacramentum Cœnæ, non aliter intelligunt illa, spiritualiter enim percipiunt omnia; inde est, quod sanctum amoris & sanctum fidei influat tunc ab Angelis apud hominem, ita per Cœlum a Domino; inde Conjunctio.

213. Ex his patet, quod homo cum sumit Panem, qui est Corpus, conjungatur Domino per bonum amoris in Ipsum ab Ipso; & cum sumit Vinum, quod est Sanguis, conjungatur Domino per bonum fidei in Ipsum ab Ipso. Sed sciendum est, quod conjunctio cum Domino per Sacramentum Cœnæ fiat solum apud illos, qui in bono amoris & fidei in Dominum a Domino sunt: apud hos per Sanctam Cœnam est conjunctio, apud cæteros est præsentia & non conjunctio.

214. Præterea Sancta Cœna includit & comprehendit omnem Cultum Divinum institutum in Ecclesia Israelitica; holocausta enim & sacrificia, in quibus Cultus illius Ecclesiæ principaliter constabat, una voce dicta fuerunt Panis: inde etiam Sancta Cœna est Ejus complementum.

Ex

Ex Arcanis Cœlestibus.

QUIA non sciri potest, quid Sancta Cœna involvit, nisi sciatur quid singula ibi significant, nam illa correspondent Spiritualibus, ideo afferendum est quid significat Corpus & Caro, quid Panis, quid Vinum, quid Edere & Bibere; tum de Sacrificiis, in quibus Cultus Ecclesiæ Israeliticæ præcipue constabat, quod illa dicta fuerint Panis.

215. DE CŒNA. Quod Prandia & Cœnæ significaverint consociationem per amorem, n: 3596. 3832. 4745. 5161. 7996. Quod Cœna Paschalis significaverit Consociationem in Cœlo, n: 7836. 7997. 8001. Quod Festum azymorum seu Paschatis significaverit Liberationem a damnatione a Domino, n: 7093. 7867. 9286 ad 9292. 10655: In intimo sensu recordationem glorificationis Humani Domini, quoniam inde Liberatio, n: 10655.

216. DE CORPORE & CARNE. Quod Caro Domini significet Divinum Bonum Divini Amoris Ipsius, quod est Divini Humani Ipsius, n: 3813. 7850. 9127. 10283. Quod similiter Corpus, n: 2343. 2359. 6135. Quod Caro in genere significet Voluntarium ita Proprium hominis, quod in se spectatum est malum, sed quod vivificatum a Domino significet bonum, n: 148. 149. 780. 999. 3813. 8409. 10283. Quod inde Caro in Verbo sit totus homo & omnis homo, n: 574. 1050. 10283.

Dicitur hic & in sequentibus quod significent, ex causa quia correspondent, quicquid enim correspondet hoc significat, n: 2890. 2971. 2987. 2989. 3002. 3225. *Quod Verbum per meras Correspondentias conscriptum sit, & quod inde sensus ejus internus seu spiritualis, qui absque scientia correspondentiarum non sciri potest quid est, & vix quod sit*, n: 3131. 3472 ad 3485. 8615. 10657. *Quod ideo per Verbum conjunctio Cœli sit cum homine Ecclesiæ*, n: 10687. *Plura de his videantur in Opere de* CŒLO *&* INFERNO, n: 303 ad 310, *ubi de Conjunctione Cœli cum homine Ecclesiæ per Verbum agitur.*

217. DE SANGUINE. Quod Sanguis Domini significet Divinum Verum procedens a Divino Bono Divini Amoris Ipsius, n: 4735. 4978. 7317. 7326. 7846. 7850. 7877. 9127. 9393. 10026. 10033. 10152. 10204. Quod Sanguis sparsus super Altare circumcirca & ad fundamentum significaverit unitionem Divini Veri & Divini Boni in Domino, n: 10047. Quod sanguis uvarum significet Verum fidei ex bono charitatis, n: 6378. Quod Uva & Botrus significet bonum spirituale, quod est bonum charitatis, n: 5117. Quod effundere sanguinem sit violentiam inferre Divino Vero, n: 374. 1005. 4735. 5476. 9127. Quid significatur per quod ex latere Domini exiverit sanguis & aqua, n: 9127. Quid per quod Dominus redemerit hominem per sanguinem suum, n: 10152.

218. DE PANE. Quod Panis, ubi de Domino, significet Divinum Bonum Divini Amoris Domini, & reciprocum hominis qui edit, n: 2165. 2177. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 9323. 9545. Quod

Panis

Panis involvat & ſignificet omnem Cibum in genere, n: 2165. 6118. Quod Cibus ſignificet omne quod nutrit vitam ſpiritualem hominis, n: 4976. 5147. 5915. 6277. 8418. Ita Panis omnem cibum cœleſtem & ſpiritualem, n: 276. 680. 2165. 2177. 3478. 6118. 8410. Sic omne quod exit ex ore Dei, ſecundum Domini verba, Matth: IV: 4, n: 681. Quod Panis in genere ſignificet bonum amoris, n: 2165. 2177. 10686: ſimile Triticum, ex quo Panis, n: 3941. 7605. Ubi in Verbo dicitur Panis & Aqua, quod ſignificetur bonum amoris & verum fidei, n: 9323. Frangere panem, quod fuerit repræſentativum mutui amoris in Eccleſiis Antiquis, n: 5405. Quod Cibus ſpiritualis ſit Scientia, Intelligentia & Sapientia, ita Bonum & Verum, quia ex his illæ, n: 3114. 4459. 4792. 5147. 5293. 5340. 5342. 5410. 5426. 5576. 5582. 5588. 5656. 8562. 9003: Et quia nutriunt mentem, n: 4459. 5293. 5576. 6277. 8418. Suſtentatio per Cibum, quod ſit Nutritio ſpiritualis, ac influxus boni & veri a Domino, n: 4976. 5915. 6277.

Quod Panes ſuper Menſa in Tabernaculo ſignificaverint Divinum Bonum Divini Amoris Domini, n: 3478. 9545. Quod Minchæ in Sacrificiis, quæ erant Placentæ & Lagana, ſignificaverint Cultum ex bono amoris, n: 4581. 10079. 10137. Quid Minchæ variæ in ſpecie ſignificaverunt, n: 7978. 9992. 9993. 9994. 10079.

Quod Antiqui, cum dixerunt Panem, intellexerint omnem Cibum in genere, videatur Geneſ: XLIII: 16. 31. Exod: XVIII: 12. Jud: XIII: 15. 16. 1 Sam: XIV: 28. 29. Cap: XX: 24. 27. 2 Sam: IX: 7. 10. 1 Reg: IV: 22. 23. 2 Reg: XXV: 29.

219. DE VINO. Quod Vinum, ubi de Domino, ſignificet Divinum Verum procedens ex Divino Bono Ipſius, ſimile ac Sanguis, n: 1071. 1798. 6377. Quod Vinum in genere ſignificet bonum charitatis, n: 6377. Quod Muſtum ſignificet Verum ex bono in Naturali homine, n: 3580. Quod Vinum dictum ſit ſanguis uvarum, n: 6378. Quod Vinea ſignificet Eccleſiam quoad verum, n: 9139. 3220. Quod Libamen in Sacrificiis, quod erat vinum, ſignificaverit bonum ſpirituale, quod eſt ſanctum verum, n: 1072. Quod Dominus Solus ſit Sanctus, inde quod omne Sanctum ſit ab Ipſo, n: 9229. 9680. 10359. 10360. Quod Divinum Verum procedens a Domino ſit quod in Verbo vocatur Sanctum, n: 6788. 8302. 9229. 9820. 10361.

220. DE EDERE & BIBERE. Quod Edere ſignificet appropriari & conjungi per amorem & charitatem, n: 2187. 2343. 3168. 3513. 5643. Quod inde ſignificet conſociari, n: 8001. Quod Edere dicatur de appropriatione & conjunctione boni, ac Bibere de appropriatione & conjunctione veri, n: 3168. 3513. 3832. 9412. Quid ſignificat comedere & bibere in Regno Domini, n: 3832. Inde eſt, quod famem habere & eſurire, in Verbo ſignificet ex affectione deſiderare bonum & verum, n: 4958. 10227.

Quod Angeli illa, quæ nunc dicta ſunt, non aliter intelligant quam ſecundum ſenſum internum ſeu ſpiritualem, quia in ſpirituali Mundo ſunt, n: 10121. Quod inde Sanctum e Cœlo influat apud homines Eccleſiæ, cum ſancte obeunt

obeunt Sacramentum Cœnæ, n: 6789. Et quod inde Conjunctio Domini, n: 1519. 3464. 3735. 5915. 10521. 10522.

221. DE SACRIFICIIS. Quod Holocausta & Sacrificia significaverint omnia Cultus ex bono amoris & veris fidei, n: 923. 6905. 8680. 8936. 10042. Quod Holocausta & Sacrificia significaverint Divina Cœlestia, quæ sunt interna Ecclesiæ ex quibus Cultus, n: 2180. 2805. 2807. 2830. 3519. Cum variatione & discrimine secundum varia Cultus, n: 2805. 6905. 8936. Quod ideo plura genera Sacrificiorum fuerint, & illorum varii Processus, & quoque variæ bestiæ, ex quibus n: 2830. 9939. 9990. Varia, quæ in genere significaverunt, quod constare possit ex singulis per sensum internum evolutis, n: 10042. Quid Bestiæ, quæ sacrificabantur, in specie significaverunt, n: 10042. Quod in Ritualibus & Processualibus Sacrificiorum contineantur Arcana Cœli, n: 10057. Quod in genere contineantur Arcana Glorificationis Humani Domini; ac in sensu respectivo arcana Regenerationis & purificationis hominis a malis & falsis, quapropter erant pro variis peccatis, reatibus, & purificationibus, n: 9990. 10022. 10042. 10053. 10057. Quid significatum est per quod imponerent manus super bestias, quæ sacrificabantur, n: 10023. Quid per quod in Holocaustis inferiora mactatarum bestiarum ponerentur sub superioribus earum, n: 10051. Quid per Minchas, quæ tunc etiam adolebantur, n: 10079. Quid per Libamen, n: 4581. 10137. Quid per Sal, quod etiam adhibebatur, n: 10300. Quid per Altare, & omnia ejus, n: 921. 2777. 2784. 2811. 2812. 4489. 4541. 8935. 8940. 9388. 9389. 9714. 9726. 9963. 9964. 10028. 10123. 10151. 10242. 10245. 10344. Quid per Ignem altaris, n: 934. 6314. 6832. Quid per commessationem ex sanctificatis, n: 2187. 8682. Quod Sacrificia non mandata fuerint, sed Charitas & Fides, ita quod modo permissa, ostensum ex Verbo, n: 922. 2180. Cur permissa, n: 2180. 2818.

Quod Holocausta & Sacrificia, quæ fiebant ex Agnis, Capris, Ovibus, Hædis, Hircis, Juvencis, Bovibus, una voce dicta fuerint PANIS, constare potest ex his locis, "*Illa adolebit Sacerdos super Altari,* Panis Igniti Jehovæ," Levit: III: 11. 16. *Filii Aharonis Sancti erunt Deo suo, neque prophanabunt Nomen Dei sui, quia Ignita Jehovæ,* Panem Dei sui, *illi offerentes. Sanctificabis illum, quia* Panem Dei tui *ille offerens. Vir de semine Aharonis, in quo fuerit macula, non accedet ad offerendum* Panem Dei sui," Levit: XXI: 6. 8. 17. 21. "*Præcipe filiis Israelis, & dicas ad eos, oblationem meam,* Panem meum, *in ignita odoris quietis, observabitis, ut offeratis Mihi in stato tempore suo,*" Num: XXVIII: 2. "*Qui tetigerit immundum, non comedet de Sanctificatis, sed lavabit Carnem suam in aqua, & postea comedet de sanctificatis, quia* Panis ejus hoc," Levit: XXII: 6. 7. "*Qui offerunt super Altari meo* Panem pollutum," Malach: I: 7. Inde nunc est, quod supra n: 214, dictum sit nempe, "*Sancta Cœna includit & comprehendit omnem Cultum Divinum institutum in Ecclesia Israelitica; holocausta enim & sacrificia, in quibus Cultus illius Ecclesiæ principaliter constabat, una voce dicta fuerunt Panis; inde etiam Sancta Cœna est ejus complementum.*

Ex

Ex omnibus his nunc videri potest, quid per Panem intelligitur apud Johannem, "Dixit illis Jesus, *Amen amen dico vobis, non Moses dedit illis* Panem e Cœlo, *sed Pater meus dat vobis* Panem e Cœlo verum; Panis namque Dei est, *qui descendit e Cœlo, & vitam dat Mundo. Dixerunt illi, Domine, semper da nobis* Panem hunc; *dixit illis Jesus,* Ego sum Panis vitæ, *qui venit ad Me, non esuriet, & qui credit in Me, non sitiet unquam. Qui credit in Me, habet vitam æternam;* Ego sum Panis vitæ: hic est Panis *qui e Cœlo descendit, ut quis ex eo comedit, non morietur:* Ego sum Panis vivens, *qui e Cœlo descendit, si quis comederit* ex hoc Pane, *vivet in æternum,*" VI: 31 ad 35. 47 ad 51. Ex his & illis patet, quod Panis sit omne Bonum quod procedit a Domino, nam Ipse Dominus est in suo Bono: ita quod Panis & Vinum in Sancta Cœna sint omnis Cultus Domini ex Bono amoris & fidei.

222. "His adjicientur aliqua ex ARCANIS COELESTIBUS, n: 9217. Qui "de Sensu interno seu spirituali Verbi nihil novit, non aliter scit quam quod "per Carnem & Sanguinem in Verbo intelligatur Caro & Sanguis; sed in "Sensu interno seu spirituali non agitur de vita corporis sed de vita "animæ hominis, hoc est, de vita spirituali ejus, quam victurus est in "æternum; hæc vita describitur in Verbo in sensu literæ per talia quæ "sunt vitæ corporis, nempe per Carnem & Sanguinem; & quia Vita spi-"ritualis hominis subsistit per bonum amoris & verum fidei, ideo bonum "amoris intelligitur per Carnem, & verum fidei per Sanguinem in sensu "interno Verbi: hæc per Carnem & Sanguinem intelliguntur in Cœlo; "similiter per Panem & Vinum, quoniam per Panem prorsus simile ibi "intelligitur quod per Carnem, & per Vinum prorsus simile quod per San-"guinem: sed illi, qui non spirituales homines sunt, hoc non capiunt; "maneant itaque in sua fide, modo credant quod in Sacra Cœna ac in "Verbo sanctum sit, quia a Domino; sit, quod non sciant ubi id sanctum, "usque qui aliqua perceptione interiore pollent, expendant num Caro per "carnem, & Sanguis per sanguinem intelligatur in his locis;" in Apocalypsi, "*Vidi Angelum stantem in Sole, qui clamavit voce magna, dicens omnibus* "*avibus volantibus in medio cœli, congregamini ad Cœnam Magni Dei, ut co-*"*medatis Carnes Regum, & Carnes Chiliarchorum, & Carnes Fortium, & Carnes* "*Equorum & Sedentium super illis, & Carnes omnium liberorum & servorum,* "*parvorum & magnorum,*" XIX: 17. 18; quis usquam hæc intelliget, nisi "sciat quid Caro in sensu interno significat, & nisi quid Reges, Chiliarchi, "fortes, equi, sedentes super illis, liberi & servi. Et apud Ezechielem, "*Sic dixit Dominus Jehovih, dic omni avi cœli, omni bestiæ agri, congrega-*"*gamini & venite; congregate vos a circuitu super sacrificium meum, quod* "*Ego sacrifico vobis, Sacrificium magnum super montibus Israelis, ut come-*"*datis Carnem & bibatis Sanguinem, Carnem fortium comedetis, & Sanguinem* "*Principum terræ bibetis, & comedetis adipem ad satietatem, & bibetis san-*"*guinem usque ad ebrietatem, de sacrificio meo quod sacrificabo vobis; satia-*"*bimini super mensa mea, Equo, & Curru, Forti, & omni Viro belli: Sic dabo*

" *gloriam meam inter Gentes,*" XXXIX : 17. 18. 19. 20. 21; agitur ibi de " Convocatione omnium ad Regnum Domini, & in specie de instauratione " Ecclesiæ apud Gentes; & per comedere Carnem & bibere Sanguinem, " significatur appropriare sibi Divinum bonum & Divinum verum, ita " Sanctum quod procedit a Divino Humano Domini: quis non videre po- " test, quod non Caro per Carnem & Sanguis per sanguinem ibi intelligatur, " ut quod carnem fortium comederent, sanguinem principum terræ biberent, " & quod sanguinem biberent usque ad ebrietatem; tum quod satiarentur " equo, curru, forti & omni viro belli: quid per aves cœli & bestias agri " in sensu spirituali significatur, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, " n: 110, & in Notis ibi *(l)*. Expendantur nunc hæc, quæ Dominus de " sua Carne & de suo Sanguine dixit apud Johannem, " *Panis, quem Ego " dabo, Caro mea est: amen, amen, dico vobis, nisi comederitis Carnem Filii " hominis, & biberitis Ipsius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui come- " dit meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & Ego " resuscitabo illum extremo die; nam Caro mea est vere Cibus, & Sanguis meus " est vere Potus: qui comedit meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in Me " manet, & Ego in illo: hic Panis est qui e Cœlo descendit,*" VI: 50 ad 58. " Quod Caro Domini sit Divinum Bonum, & Sanguis Divinum Verum, " utrumque ab Ipso, constare potest ex eo, quod illa sint quæ nutriunt vitam " spiritualem hominis; inde dicitur, Caro mea est vere Cibus, & Sanguis " meus est vere Potus; & quia homo per Divinum Bonum & Verum con- " jungitur Domino, ideo etiam dicitur, qui comedit Carnem meam & bibit " Sanguinem meum, habebit vitam æternam; & ille in Me manet & Ego " in illo; & supra in eo Capite, " *Ne operemini Cibum qui perit, sed cibum " qui manet in vitam æternam,*" Vers: 27: quod manere in Domino sit esse " in amore in Ipsum, Ipse Dominus docet apud Johannem," Cap: XV: 2 ad 12.



De Resurrectione.

223. HOMO ita creatus est, ut quoad Internum suum non mori possit; nam credere potest in Deum, & quoque amare Deum, ac ita conjungi Deo fide & amore; & conjungi Deo est vivere in æternum.

224. Hoc Internum est apud omnem hominem qui nascitur; Externum ejus est per quod efficit illa quæ fidei & amoris sunt. Internum est, quod vocatur Spiritus, & Externum, quod vocatur Corpus. Externum, quod vocatur Corpus, accommodatum est usibus in Mundo naturali; hoc rejicitur cum homo moritur: at Internum, quod vocatur Spiritus, accommodatum est usibus in Mundo spirituali, hoc non moritur: hoc Internum tunc est Spiritus bonus & Angelus, si homo in Mundo bonus fuerat; at Spiritus malus, si homo in Mundo malus fuerat.

225. Spiritus hominis post mortem corporis apparet in Mundo spirituali in forma humana, prorsus sicut in Mundo; gaudet etiam facultate videndi, audiendi, loquendi, sentiendique sicut in Mundo; & pollet omni facultate cogitandi, volendi, & faciendi sicut in Mundo; verbo, est homo quoad omnia & singula, præter quod non crasso illo corpore, quo in Mundo, circumdatus sit; id relinquit cum moritur, nec usquam reassumit.

226. Hæc continuatio vitæ est, quæ intelligitur per Resurrectionem. Quod homines credant, quod non prius resurrecturi sint, quam Ultimo Judicio, quando etiam periturum omne aspectabile Mundi, est quia non intellexerunt Verbum; & quia sensuales homines vitam ponunt in corpore, & credunt, quod nisi hoc revicturum esset, actum foret de homine.

227. Vita hominis post mortem est vita amoris & vita fidei ejus; inde qualis ei amor fuerat & qualis fides, cum vixit in mundo, talis ei vita manet in æternum: vita inferni est illis, qui se & mundum super omnia amaverunt; & vita cœli illis qui Deum super omnia amaverunt, & proximum sicut seipsum; hi sunt qui fidem habent, illi autem qui fidem non habent. Vita cœli est quæ vocatur Vita æterna; & Vita inferni est quæ vocatur Mors spiritualis.

228. Quod

228. Quod homo post mortem vivat, docet Verbum; ut quod Deus non sit mortuorum Deus, sed viventium, Matth: XXII: 31. Quod Lazarus post mortem in Cœlum sublatus sit, Dives autem conjectus in Infernum, Luc: XVI: 22. 23. seq: Quod Abrahamus, Isacus & Jacobus ibi sint, Matth: VIII: 11. Cap: XXII: 31. 32. Luc: XX: 37. 38. Quod Jesus dixerit ad latronem, hodie Mecum eris in Paradiso, Luc: XXIII: 43.

---

229. SUpersedetur hic aliquid ex ARCANIS CŒLESTIBUS afferre, quoniam illa, quæ Resurrectionem & vitam hominis post mortem concernunt, in OPERE DE CŒLO & INFERNO plene ostensa sunt; videantur itaque in eo Opere sequentes Articuli. I. *Quod unusquisque homo sit Spiritus quoad interiora sua*, n: 432 ad 444. II. *De Hominis resuscitatione a mortuis, ac introitu in vitam æternam*, n: 445 ad 452. III. *Quod homo post mortem sit in perfecta forma humana*, n: 453 ad 460. IV. *Quod homo post mortem sit in omni sensu, memoria, cogitatione, affectione, in quibus in Mundo, & quod nihil relinquat præter terrestre suum corpus*, n: 461 ad 469. V. *Quod homo sit post mortem, qualis ejus vita fuit in mundo*, n: 470 ad 484. VI. *Quod jucunda vitæ cujus vertantur in* correspondentia, n: 485 ad 490. VII. *De Primo statu hominis post mortem*, n: 491 ad 498. VIII. *De Secundo statu hominis post mortem*, n: 499 ad 511. IX. *De Tertio statu hominis post mortem; qui est status instructionis eorum qui veniunt in Cœlum*, n: 512 ad 520. X. *Quod Cœlum & Infernum sint ex Humano Genere*, n: 311 ad 317.

De Ultimo Judicio, de quo etiam dictum est supra n: 226, quod non exstiturum sit cum Interitu Mundi, videatur in Opusculo DE ULTIMO JUDICIO & BABYLONIA DESTRUCTA, a principio ad finem.

De Cœlo & Inferno.

230. SUNT duo quæ faciunt vitam Spiritus hominis, Amor & Fides; Amor vitam Voluntatis ejus & Fides vitam Intellectus ejus. Amor boni & inde Fides veri faciunt vitam cœli; ac Amor mali & inde Fides falsi faciunt vitam inferni.

231. Amor in Dominum & Amor erga proximum faciunt Cœlum, & quoque Fides, sed hæc quantum ex illis amoribus vitam habet; & quia uterque ille Amor & inde fides sunt a Domino, inde patet quod Dominus faciat Cœlum.

232. Cœlum est apud unumquemvis secundum receptionem amoris & fidei a Domino, & qui cœlum a Domino recipiunt, dum vivunt in mundo, in cœlum veniunt post mortem.

233. Qui Cœlum a Domino recipiunt, illi sunt qui Cœlum in se habent, nam Cœlum est in homine; quod etiam Dominus docet, "*Non dicent, Regnum Dei ecce hic est, aut ecce illic, ecce enim Regnum Dei in vobis est,*" Luc: XVII: 21.

234. Cœlum apud hominem est in Interno ejus, ita in velle & cogitare ex amore & fide, & inde in Externo, quod est ex amore & fide facere & loqui; non autem est in Externo absque Interno; nam facere bene & loqui bene possunt omnes hypocritæ, at non velle bene & cogitare bene.

235. Cum homo in alteram vitam venit, quod fit statim post mortem, patet num in eo Cœlum sit, non autem cum in mundo vivit; in mundo enim apparet Externum, & non Internum, at in altera vita patet Internum, quoniam homo tunc quoad spiritum vivit.

236. Felicitas æterna, quæ etiam gaudium cœleste vocatur, est illis qui in amore & fide in Dominum a Domino sunt; ille amor & illa fides in se habent id gaudium; in id venit homo post mortem, qui cœlum in se habet; interea reconditum latet in Interno ejus. In Cœlis est communio omnium bonorum; pax, intelligentia, sapientia, & felicitas omnium communicantur unicuivis ibi, attamen singulis secundum receptionem amoris & fidei a Domino: inde patet, quanta pax, intelligentia, sapientia, & felicitas in Cœlo est.

237. Quemadmodum amor in Dominum & amor erga proximum faciunt vitam cœli apud hominem, ita amor sui & amor mundi,

quando

quando regnant, faciunt vitam inferni apud illum, nam hi amores illis oppositi sunt; quapropter illi, apud quos amores sui & mundi regnant, nihil possunt recipere e cœlo, sed quæ recipiunt sunt ex inferno: quicquid enim homo amat & quicquid credit, vel e cœlo est vel ex inferno est.

238. Illi, apud quos amor sui & amor mundi regnant, non sciunt quid cœlum & quid felicitas cœli, & incredibile illis apparet, quod felicitas in aliis amoribus detur quam in illis; cum tamen tantum intrat felicitas cœli, quantum illi amores ut fines removentur; felicitas, quæ illis remotis succedit, est tanta, ut excedat omnem captum hominis.

239. Vita hominis non mutari potest post mortem, manet tunc qualis fuerat, nam spiritus hominis totus quantus est qualis ejus amor, & amor infernalis non transcribi potest in amorem cœlestem, quoniam oppositi sunt; hoc intelligitur per Abrahami verba ad divitem in inferno, "*Hiatus magnus est inter vos & nos, ut illi qui volunt transire ad vos non possint, neque etiam isthinc transire ad nos,*" Luc: XVI: 26: inde patet, quod qui in Infernum veniunt, ibi maneant in æternum; & qui in Cœlum veniunt, ibi maneant in æternum.

---

240. QUoniam de Cœlo & Inferno in singulari Opere actum est, & ibi quoque adducta sunt, quæ in ARCANIS CŒLESTIBUS de illis continentur, ideo non opus est hic plura addere.



De

De Ecclesia.

241. QUOD apud hominem facit Cœlum, hoc etiam facit Ecclesiam; nam sicut Amor & Fides faciunt Cœlum, ita etiam Amor & Fides faciunt Ecclesiam: inde ex illis quæ de Cœlo prius dicta sunt, patet quid Ecclesia.

242. Ecclesia dicitur, ubi Dominus agnoscitur & ubi Verbum est; nam essentialia Ecclesiæ sunt amor & fides in Dominum a Domino, & Verbum docet quomodo homo victurus est ut amorem & fidem recipiat a Domino.

243. Ut Ecclesia sit, erit Doctrina ex Verbo, quoniam absque Doctrina non intelligitur Verbum: ast sola Doctrina non facit Ecclesiam apud hominem, sed Vita secundum illam: inde sequitur, quod non Fides sola faciat Ecclesiam, sed Vita fidei quæ est Charitas. Genuina Doctrina est Doctrina Charitatis & simul Fidei, & non Doctrina fidei absque illa; nam Doctrina Charitatis & simul Fidei, est Doctrina Vitæ, non autem Doctrina fidei absque Doctrina charitatis.

244. Illi, qui extra Ecclesiam sunt, & agnoscunt unum Deum, & secundum Religiosum suum in quadam charitate erga proximum vivunt, in communione sunt cum illis qui ab Ecclesia; quoniam nemo qui credit in Deum & bene vivit, damnatur: inde patet, quod Ecclesia Domini sit ubivis in universo terrarum orbe, tametsi in specie ubi Dominus agnoscitur, & ubi Verbum est.

245. Omnis, apud quem Ecclesia est, salvatur; at omnis, apud quem non Ecclesia est, condemnatur.

Ex Arcanis Cœlestibus.

246. QUOD Ecclesia in specie sit ubi Verbum, & per id Dominus notus, ita ubi Divina Vera sunt revelata, n: 3857. 10761. At usque quod ideo non ab Ecclesia sint, qui nati ubi Verbum est & Dominus notus, sed qui per Vera ex Verbo a Domino regenerantur, qui sunt qui vivunt vitam Charitatis, n: 6637. 10143. 10153. 10578. 10645.

10645. 10829. Qui ab Ecclesia sunt, seu in quibus Ecclesia, illi in affectione veri sunt propter verum, hoc est, amant verum quia est verum; illi etiam explorant ex Verbo num vera sunt doctrinalia Ecclesiæ, in qua nati, n: 5432. 6047. Alioquin foret cuivis verum ex alio, & ex natali solo, n: 6047.

Quod Ecclesia Domini sit apud omnes, qui in Universo Orbe in bono vivunt secundum Religiosum suum, n: 3263. 6637. 10765. Quod omnes qui in bono vivunt, ubicunque sunt, & agnoscunt unum Deum, acceptentur a Domino, & in Cœlum veniant, quoniam omnes qui in bono sunt, agnoscunt Dominum, ex causa quia bonum est a Domino, & Dominus est in bono, n: 2589 ad 2604. 2861. 2863. 3263. 4190. 4197. 6700. 9256. Quod Ecclesia universalis in terris sit coram Domino sicut unus Homo, n: 7395. 9276. Similiter ac Cœlum, quia Ecclesia est Cœlum seu Regnum Domini in terris, n: 2853. 2996. 2998. 3624 ad 3649. 3636 ad 3643. 3741 ad 3745. 4625. Sed quod Ecclesia, ubi Dominus est notus & ubi Verbum est, sit sicut Cor & sicut Pulmo in homine, respective ad reliqua corporis, quæ ex illis ut ex suæ vitæ fontibus vivunt, n: 637. 931. 2054. 2853. Inde est, nisi foret Ecclesia ubi Verbum & per id Dominus notus, non salvaretur Genus Humanum, n: 468. 637. 931. 4545. 10452. Quod Ecclesia sit fundamentum Cœli, n: 4060.

Quod Ecclesia sit Interna & Externa, n: 1242. 6587. 9375. 9680. 10762. Quod Ecclesiæ Internum sit Amor in Dominum & Charitas erga proximum; inde quod illi, qui in affectione boni & veri sunt ex amore in Dominum & ex charitate erga proximum, Ecclesiam internam constituant, & quod illi, qui in cultu externo ex obedientia & fide sunt, Ecclesiam externam constituant, n: 1083. 1098. 4288. 6380. 6587. 7840. 8762. Quod scire verum & bonum & inde agere, sit Externum Ecclesiæ, at velle & amare verum & bonum & inde agere, sit Internum Ecclesiæ, n: 4899. 6775. Quod Internum Ecclesiæ sit in cultu eorum qui ab Externa Ecclesia sunt, tametsi in obscuro, n: 6775. Quod Ecclesia Interna & Externa unam Ecclesiam faciant, n: 409. 10762. Quod homini sit Internum & Externum, Internum ad imaginem Cœli, & Externum ad imaginem Mundi, & quod ideo, ut homo sit Ecclesia, Externum ejus unum aget cum Interno, n: 3628. 4523. 4524. 6057. 6314. 9706. 10472. Quod Ecclesia sit in Interno hominis & simul in Externo, non autem in Externo absque Interno, n: 1795. 6581. 10691. Quod Internum Ecclesiæ se habeat secundum vera & eorum quale, & secundum implantationem eorum in bono per vitam, n: 1238.

Quod Ecclesia sicut Cœlum sit in homine, & sic quod Ecclesia in communi sit ab hominibus, in quibus Ecclesia, n: 3884. Ut Ecclesia sit, erit Doctrina vitæ, quæ est Doctrina charitatis, n: 3445. 10763. 10764. Quod Charitas faciat Ecclesiam, & non Fides separata a charitate, n: 916. Proinde non Doctrina fidei separatæ a charitate, sed Doctrina fidei con-

junctæ cum illa, secundum quam vita, n: 809. 1798. 1799. 1834. 1844. 4468. 4672. 4676. 4766. 5828. 6637. Quod non Ecclesia apud hominem sit, nisi vera Doctrinæ implantata sint bono charitatis apud illum, ita vitæ, n: 3310. 3963. 5826. Quod nulla Ecclesia apud hominem sit, si is modo in veris, quæ vocantur fidei, est, n: 5826. Quantum boni in Ecclesia, si Charitas primo loco foret, & fides secundo, n: 6269. Et quantum mali si Fides primo loco est, n: 6272. Quod in Ecclesiis Antiquis Charitas fuerit principale & essentiale Ecclesiæ, n: 4680. Quod Ecclesia foret sicut Cœlum, si omnibus Charitas, n: 2385. 2853. Si bonum foret character Ecclesiæ, & non verum absque bono, ita si charitas & non fides separata, quod Ecclesia foret una, & nihil faceret quod quoad doctrinalia fidei & quoad externos cultus differrent, n: 1285. 1316. 2982. 3267. 3445. 3451.

Quod omnis Ecclesia inchoet a Charitate, sed quod temporis tractu ab illa deflectat, n: 494. 501. 1327. 3773. 4649. Et sic ad falsa ex malo, & tandem ad mala, n: 1834. 1835. 2910. 4683. 4689. Comparatio Ecclesiæ inchoantis & decrescentis cum hominis infantia & senectute, n: 10134. Et quoque cum ortu & occasu Solis, n: 1837. De successivis statibus Ecclesiæ Christianæ usque ad extremum ejus; ubi explicantur illa quæ Dominus prædixerat de Consummatione Sæculi & de Adventu Ipsius, apud Matthæum Cap: XXIV, a principio ad finem, n: 3353 ad 3356. 3486 ad 3489. 3650 ad 3655. 3751 ad 3759. 3897 ad 3901. 4057 ad 4060. 4229 ad 4231. 4332 ad 4335. 4422 ad 4424. 4635 ad 4638. 4807 ad 4810. 4954 ad 4959. 5063 ad 5071. Quod Ecclesia Christiana hodie in extremis sit, quoniam ibi non fides quia nulla charitas, n: 3489. 4649. Quod ultimum Judicium sit ultimum tempus Ecclesiæ, n: 2118. 3353. 4057. 4333. 4535. De Ecclesiæ vastatione, n: 407 ad 411. Quod Consummatio sæculi & adventus Domini sit ultimum tempus Ecclesiæ veteris & primum novæ, n: 2243. 4535. 10622. Quod interiora vera revelentur cum Ecclesia vetus vastatur, inservitura novæ quæ tunc instauratur, n: 3398. 3786. De instauratione Ecclesiæ apud Gentes, n: 1366. 2986. 4747. 9256.

247. *De Ecclesiis Antiquis.* Quod Prima & Antiquissima Ecclesia in hac Tellure fuerit, quæ describitur in Primis Capitibus Geneseos, & quod illa fuerit Ecclesia Cœlestis, omnium præcipua, n: 607. 895. 920. 1121. 1122. 1123. 1124. 2896. 4493. 8891. 9942. 10545. Quales illi sunt in Cœlo, n: 1114 ad 1125. Quod in summa luce sint, n: 1116. 1117. Quod variæ Ecclesiæ fuerint post diluvium, quæ una voce Ecclesia Antiqua vocantur, de quibus, n: 1125. 1126. 1127. 1327. 10355. Antiqua Ecclesia per quot Regna Asiæ fuit extensa, n: 1238. 2385. Quales fuerunt homines Antiquæ Ecclesiæ, n: 609. 895. Quod Ecclesia Antiqua fuerit Ecclesia repræsentativa, & quod ejus Repræsentativa fuerint in unum collecta ab hominibus quibusdam Antiquissimæ Ecclesiæ, n: 519. 521. 2896. Quod

 apud

apud Antiquam Ecclesiam fuerit Verbum, sed quod id deperditum sit, n: 2897. Qualis antiqua Ecclesia cum cæpit declinare, n: 1128. Discrimen inter Ecclesiam Antiquissimam & Antiquam, n: 597. 607. 640. 641. 765. 784. 895. 4493. Quod Antiquissima & Antiqua Ecclesia fuerint etiam in terra Canaane, & quod inde Repræsentativa locorum, n: 3686. 4447. 4454. De Ecclesia inchoata ab Ebero, quæ Ecclesia Hebræa dicta fuit, n: 1238. 1241. 1343. 4516. 4517. Discrimen inter Ecclesiam Antiquam & Hebræam, n: 1343. 4874. Quod Eberus instituerit Sacrificia in Antiquis Ecclesiis prorsus ignota, n: 1343. Quod Antiquæ Ecclesiæ concordarent cum Christiana Ecclesia quoad Interna, non autem quoad Externa, n: 3478. 4489. 4772. 4904. 10149. Quod in Antiquissima Ecclesia fuerit Revelatio immediata, in Antiqua Ecclesia per correspondentias, in Ecclefia Judaica viva voce, & in Ecclesia Christiana per Verbum, n: 10355. Quod Dominus fuerit Deus Antiquissimæ Ecclesiæ, & vocatus Jehovah, n: 1343. 6846. Quod Dominus sit Cœlum & quod sit Ecclesia, n: 4766. 10125. 10151. 10157. Quod Divinum Domini faciat Cœlum, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 7 ad 12. & 78 ad 86: ita quoque Ecclesiam, quoniam quod apud hominem facit Cœlum, hoc quoque facit Ecclesiam, supra in Doctrina.

248. *De Ecclesia Judaica, & de Judæis.* Quod Statuta, Judicia & Leges, quæ mandata sunt in Ecclesia Judaica fuerint quoad partem similia illis quæ fuerunt in Ecclesia antiqua, n: 4449. 4834. Ritus repræsentativi Ecclesiæ Judaicæ qualiter differebant a ritibus repræsentativis Ecclesiæ Antiquæ, n: 4288. 10149. Quod Ecclesia repræsentativa apud illam Gentem instituta fuerit, sed quod in ipsa Gente nulla Ecclesia fuerit, n: 4899. 4912. 6304. Quod ideo quoad ipsam Gentem fuerit repræsentativum Ecclesiæ, & non Ecclesia, n: 4281. 4288. 4311. 4500. 6304. 7048. 9320. 10396. 10526. 10531. 10698. Quod Gens Israelitica & Judaica non electa fuerit, sed recepta ut Ecclesiam repræsentaret, ob contumaciam, qua Patres eorum & Moses institerunt, n: 4290. 4293. 7051. 7439. 10430. 10535. 10632. Quod Cultus eorum mere externus fuerit, absque omni cultu interno, n: 1200. 3147. 3479. 8871. Quod prorsus non sciverint interna cultus, nec scire voluerint, n: 301. 302. 303. 3479. 4429. 4433. 4680. 4844. 4897. 10396. 10401. 10407. 10694. 10701. 10707. Quomodo considerant interna Cultus, Ecclesiæ & Verbi, n: 4865. Quod interiora eorum fuerint fœda, amoribus sui & mundi, & avaritia plena, n: 3480. 9962. 10454 ad 10457. 10462 ad 10466. 10575. Quod ideo illis non detecta fuerint interna Ecclesiæ, quoniam illa prophanavissent, n: 2520. 3398. 3480. 4289. Quod Verbum illis prorsus occlusum sit, n: 3769. Quod videant Verbum ab extra & non ab intra, n: 10549. 10550. 10551. Quod ideo internum eorum, quando in cultu, occlusum fuerit, n: 8788. 8806. 9320. 9380. 9377. 9962. 10390. 10401. 10407. 10492. 10498. 10500. 10575. 10629. 10692. Quod etiam Gens illa præ aliis talis fuerit, ut potuisset esse in

Sancto externo, occluso interno, n: 4293. 4311. 4903. 9373. 9377. 9381. Status eorum tunc, n.: 4311. Quod quoque ideo usque ad hunc diem conservati sint, n: 3479. Quod Sanctum externum eorum a Domino miraculose elevatum sit in Cœlum, & sic interiora Cultus, Ecclesiæ, & Verbi ibi percepta, n: 3480. 4309. 4311. 6304. 8588. 10492. 10500. 10602. Quod hoc ut fieret, per media externa coacti sint stricte observare Ritus in externa forma, n: 3147. 4281. 10149. Quia in Sancto externo absque interno potuerunt esse, quod sancta Ecclesiæ & Cœli repræsentare potuerint, n: 3479. 3881. 4208. 6306. 6588. 9377. 10430. 10500. 10570. Quod usque sancta illos non affecerint, n: 3479. Quia nihil refert, qualis persona est quæ repræsentat, quoniam Repræsentatio spectat rem, non autem personam, n: 665. 1097. 1361. 3147. 3881. 4208. 4281. 4288. 4292. 4307. 4444. 4500. 6304. 7048. 7439. 8388. 8788. 8806.

Quod Gens illa pejor aliis gentibus fuerit, describitur qualis, etiam ex Verbo utriusque Testamenti, n: 4314. 4316. 4317. 4444. 4503. 4750. 4751. 4815. 4820. 4832. 5057. 5998. 7248. 8819. 9320. 10454 ad 10457. 10462 ad 10466. Quod Tribus Jehudæ abiverit in pejus quam reliquæ Tribus, n: 4815. Quam crudeliter tractaverunt Gentes ex jucundo, n: 5057. 7248. 9320. Quod Gens illa corde idololatra fuerit, ac præ aliis coluerit alios deos, n: 3732. 4208. 4444. 4825. 5998. 6877. 7401. 8301. 8871. 8882. Quod etiam cultus eorum in ipsa gente spectatus fuerit idololatricus, quia externus absque interno, n: 4281. 4825. 8871. 8882. Quod Jehovam modo quoad Nomen coluerit, n: 6877. 10559. 10560. 10561. 10566. Et solum propter miracula, n: 4299. Quod erronee cogitent, qui credunt quod Judæi in fine Ecclesiæ convertendi sint, & reducendi in terram Canaanem, n: 4847. 7051. 8301. Plura loca e Verbo de illa re allata, quæ tamen intelligenda sunt secundum sensum internum, ita aliter quam secundum literam, n: 7051. Quod Verbum quoad sensum externum propter illam gentem immutatum fuerit, non tamen quoad sensum internum, n: 10453. 10461. 10603. 10604. Quod Jehovah in Monte Sinai apparuerit eis secundum quale eorum, in igne consumente, densa nube, & fumo sicut fornacis, n: 1861. 6832. 8814. 8819. 9434. Quod Dominus appareat unicuivis secundum ejus quale, ut ignis vivificans & recreans illis qui in bono, ac ut ignis consumens illis qui in malo, n: 934. 1861. 6832. 8814. 8819. 9434. 10551. Quod una ejus Gentis origo sit ex Canaanitide, & quod binæ reliquæ ex scortatione cum nuru, n: 1167. 4817. 4820. 4874 4891. 4913. Quod per illas origines significatum sit, qualis conjunctio illorum cum Ecclesia esset, quod nempe sicut cum Canaanitide, & cum scortatione cum nuru, n: 4868. 4874. 4899. 4911. 4913. De statu eorum in altera vita, n: 939. 940. 5057.

Quoniam Gens illa, tametsi talis, repræsentabat Ecclesiam, & quia Verbum apud illam & de illa conscriptum est, ideo Divina Cœlestia per Nomina eorum significata sunt, ut per Rubenem, Schimeonem, Levi, Je-

 hudam,

hudam, Ephraimum, Josephum, & reliquos. Quod per Jehudam in sensu interno significetur Dominus quoad amorem cœlestem, ac Regnum cœleste Ipsius, n: 3654. 3881. 5583. 5603. 5782. 6363. Explicatur Propheticum Israelis de Jehudah, in quo agitur de Domino, Genes: XLIX: 8 ad 12, n: 6362 ad 6382. Quod Tribus Jehudæ & Judæa significet Ecclesiam cœlestem, n: 3654. 6364. Quod duodecim Tribus repræsentaverint & inde significaverint omnia amoris & fidei in complexu, n: 3858. 3926. 4060. 6335; ita quoque Cœlum & Ecclesiam, n: 6337. 6637. 7836. 7891. Quod significent secundum ordinem, quo nominantur, n: 3862. 3926. 3939. 4603 seq: 6337. 6640. Quod duodecim Tribus divisæ fuerint in duo Regna, ut Judæi repræsentarent Regnum cœleste, ac Israelitæ Regnum spirituale, n: 8770. 9320. Quod per semen Abrahami, Isaci & Jacobi significentur bona & vera Ecclesiæ, n: 3773. 10445.



De Scriptura Sacra ſive Verbo.

249. HOMO abſque Revelatione ex Divino, non ſcire aliquid poteſt de Vita æterna, ne quidem aliquid de Deo, & adhuc minus de Amore & Fide in Ipſum; nam homo naſcitur in meram ignorantiam, & dein ex mundanis diſcet omnia, ex quibus formabit intellectum ſuum; naſcitur etiam ex hæreditario in omne malum, quod eſt ex amore ſui & mundi; jucunda inde regnant jugiter, & ſuggerunt talia quæ e diametro ſunt contra Divinum: inde nunc eſt, quod homo nihil de Vita æterna ſciat: ideo neceſſario erit Revelatio, ex qua ſciat.

250. Quod mala amoris ſui & mundi inducant talem ignorantiam de illis quæ ſunt Vitæ æternæ, patet manifeſte ab illis intra Eccleſiam, qui tametſi ſciunt ex Revelatione quod Deus ſit, quod Cœlum & Infernum ſint, quod Vita æterna ſit, & quod illa Vita comparanda ſit per bonum amoris & fidei, uſque labuntur in negationem de illis, tam eruditi quam non eruditi. Inde iterum patet, quanta ignorantia foret, ſi nulla eſſet Revelatio.

251. Cum itaque homo poſt mortem vivit, & tunc in æternum, & illum manet vita ſecundum ejus amorem & fidem, ſequitur quod Divinum ex Amore erga Genus humanum revelaverit talia, quæ ducent ad illam vitam, & conducent ſaluti ejus. Quod Divinum revelavit eſt apud nos Verbum.

252. Verbum, quia eſt Revelatio a Divino, eſt Divinum in omnibus & ſingulis, nam quod a Divino eſt, non poteſt aliter eſſe. Quod a Divino eſt, id deſcendit per Cœlos uſque ad hominem, quapropter in Cœlis accommodatum eſt ſapientiæ Angelorum qui ibi, & in Terris accommodatum eſt captui hominum qui ibi: quare in Verbo eſt Senſus Internus, qui ſpiritualis, pro Angelis, & Senſus Externus, qui naturalis, pro hominibus: inde eſt, quod conjunctio Cœli cum homine ſit per Verbum.

253. Genuinum ſenſum Verbi non intelligunt alii quam qui illuſtrati ſunt; ac illuſtrantur illi ſolum, qui in amore & fide ſunt in Dominum; illorum enim interiora elevantur a Domino in lucem cœli.

254. Verbum in litera non poteſt capi niſi per Doctrinam ex Verbo per Illuſtratum factam; Senſus literæ ejus accommodatus eſt

captui hominum etiam simplicium, quare Doctrina e Verbo erit illis pro Lucerna.

Ex Arcanis Cœlestibus.

255. *DE Verbi Necessitate & Præstantia.* Quod ex lumine naturæ nihil sciatur de Domino, de Cœlo & Inferno, de Vita hominis post mortem, & de Divinis Veris per quæ homini vita spiritualis & æterna, n: 8944. 10318. 10319. 10320. Quod id constare possit ex eo, quod plures, & inter eos Eruditi, non credant illa, tametsi nati sunt ubi Verbum, & per id instructi de illis, n: 10319. Quod ideo necessum fuerit, ut aliqua Revelatio esset e Cœlo, quia homo ad Cœlum natus est, n: 1775. Quod ideo omni tempore fuerit Revelatio, n: 2895. De variis Revelationis speciebus in hac Tellure successive, n: 10355. 10632. Quod Antiquissimis, qui ante diluvium, quorum tempus vocatum est Sæculum aureum, fuerit Revelatio immediata, & inde Divinum Verum inscriptum cordibus eorum, n: 2896. Quod in Antiquis Ecclesiis, quæ fuerunt post Diluvium, fuerit Verbum tam Historicum quam Propheticum, n: 2686. 2897. *de quibus Ecclesiis videatur supra* n: 247. Quod Historica ejus dicta fuerint Bella Jehovæ, & Prophetica Enuntiata, n: 2897. Quod id Verbum fuerit simile nostro Verbo quoad inspirationem, n: 2897. Quod id memoratum sit a Mose, n: 2686. 2897. Sed quod id Verbum deperditum sit, n: 2897. Quod etiam Propheticæ Revelationes apud alios fuerint, sicut patet a Propheticis Bileami, n: 2898.

Quod Verbum sit Divinum in omnibus & singulis, n: 639. 680. 10321. 10637. Quod Verbum sit quoad omnem jotham & apicem Divinum & Sanctum, ab experientia, n: 1349. Quomodo explicatur hodie, quod Verbum quoad omnem jotham sit inspiratum, n: 1886.

Quod Ecclesia in specie sit ubi Verbum, & per id Dominus notus, ac Divina Vera revelata, n: 3857. 10761. At quod ideo non ab Ecclesia sint, qui nati ubi Verbum, & per id Dominus notus, sed qui per vera ex Verbo a Domino regenerantur, qui sunt qui vivunt secundum Vera ibi, ita qui vivunt vitam amoris & fidei, n: 6637. 10143. 10153. 10578. 10645. 10829.

256. *Quod Verbum non intelligatur quam ab illustratis.* Quod Rationale humanum non capere possit Divina, ne quidem Spiritualia, nisi a Domino illustretur, n: 2196. 2203. 2209. 2654. Ita quod modo illustrati capiant Verbum, n: 10323. Quod Dominus illis, qui illustrantur, det intelligere Verum, ac discernere illa, quæ in Verbo apparent sibi contradicere, n: 9382. 10659. Quod Verbum in sensu literæ non sibi simile sit, & aliquoties appareat sibi contradicens, n: 9025. Et quod ideo

a non

a non illustratis possit explicari & trahi ad confirmandum quamcunque opinionem & hæresin, & ad patrocinandum cuicunque amori mundano & corporeo, n : 4783. 10399. 10401. Quod illi ex Verbo illustrentur, qui legunt illud ex amore veri & boni, non autem qui ex amore famæ, lucri, honoris, ita ex amore sui, n : 9382. 10548. 10549. 10550. Quod illi illustrentur qui in bono vitæ sunt, & inde in affectione veri, n : 8694. Quod illustrentur, quibus Internum apertum est, ita qui quoad Internum suum hominem possunt elevari in lucem cœli, n : 10401. 10402. 10691. 10694. Quod illustratio sit actualis aperitio, & quoque elevatio in lucem cœli, n : 10330. Quod Sanctum ab Interno, hoc est, per Internum a Domino influat apud illos, qui sanctum habent Verbum, illis nescientibus, n : 6789. Quod illustrentur illi, & in Verbo videant vera, qui a Domino ducuntur, non autem qui a semet, n : 10638. Quod illi a Domino ducantur, qui amant verum quia est verum, qui sunt qui amant vivere secundum Divina vera, n : 10578. 10645. 10829. Quod Verbum vivificetur apud hominem secundum ejus amoris & fidei vitam, n : 1776. Quod illa quæ a propria intelligentia sunt, non vitam in se habeant, quia a proprio hominis nihil bonum, n : 8941. 8944. Quod non illustrari possint, qui se multum confirmaverunt in Doctrina falsa, n : 10640.

Quod Intellectus sit qui illustratur, n : 6608. 9300. Quoniam Intellectus est recipiens veri, n : 6242. 6608. 10659. Quod de omni Doctrinali Ecclesiæ sint ideæ, secundum quas est Intellectus rei, n : 3310. 3825. Quod ideæ hominis, quamdiu vivit in mundo, sint naturales, quia tunc cogitat in naturali, sed quod usque spirituales ideæ in illis reconditæ sint apud illos qui in affectione veri propter verum sunt, n : 10236. 10240. 10550. Quod absque ideis de quacunque re, nulla perceptio, n : 3825. Quod ideæ de rebus fidei aperiantur in altera vita, & ibi ab Angelis videantur quales sunt, n : 1869. 3310. 5510. 6201. 8885. Quod ideo Verbum non intelligatur quam a Rationali homine; nam credere aliquid absque idea rei & absque rationis intuitione, est modo memoriter retinere vocem omni vita perceptionis & affectionis destitutam, quod non est credere, n : 2553. Quod Sensus literalis Verbi sit qui illustratur, n : 3619. 9824. 9905. 10548.

257. *Quod Verbum nec intelligatur nisi per Doctrinam ex Verbo.* Quod Doctrina Ecclesiæ erit ex Verbo, n : 3464. 5402. 6832. 10763. 10765. Quod Verbum absque Doctrina non intelligatur, n : 9025. 9409. 9424. 9430. 10324. 10431. 10582. Quod Vera Doctrina sit lucerna illis qui legunt Verbum, n : 10401. Quod genuina Doctrina erit ab illis qui in illustratione sunt a Domino, n : 2510. 2516. 2519. 2424. 10105. Quod Verbum per Doctrinam ab illustrato factam intelligatur, n : 10324. Quod qui in illustratione sunt, ex Verbo sibi faciant doctrinam, n : 9382. 10659. Discrimen inter illos qui docent & discunt ex Doctrina Ecclesiæ, & inter illos qui ex solo sensu literæ, quale, n : 9025. Quod, qui in sensu literæ absque doctrina sunt, in nullum intellectum veniant de

Veris

Veris Divinis, n : 9409. 9410. 10582. Quod in plures errores cadant, n : 10431. Quod qui in affectione veri propter verum sunt, cum adulti fiunt, & ex suo intellectu videre possunt, non simpliciter maneant in doctrinalibus suæ Ecclesiæ, sed quod scrutentur num vera sint ex Verbo, n : 5402. 5432. 6047. Quod alioquin foret cuivis verum ex alio, & ex natali solo sive natus Judæus sive Græcus, n : 6047. Quod usque quæ fidei facta sunt ex sensu literali Verbi non exstinguenda sint, nisi post plenam intuitionem, n : 9039.

Quod vera Doctrina Ecclesiæ sit Doctrina charitatis & fidei, n : 2417. 4766. 10763. 10765. Quod Doctrina fidei non faciat Ecclesiam, sed vita fidei quæ est charitas, n : 809. 1798. 1799. 1834. 4468. 4677. 4766. 5826. 6637. Quod Doctrinalia nihil sint, nisi vivatur secundum illa, n : 1515. 2049. 2116. Quod hodie in Ecclesiis Doctrina fidei sit, & non charitatis, & quod Doctrina charitatis rejecta sit in scientiam, quæ vocatur Theologia moralis, n : 2417. Quod Ecclesia esset una, si agnoscerentur pro hominibus Ecclesiæ ex vita, ita ex charitate, n : 1285. 1316. 2982. 3267. 3445. 3451. 3452. Quantum valet Doctrina charitatis præ Doctrina fidei separatæ a charitate, n : 4844. Quod in ignorantia de Cœlestibus sint, qui non sciunt aliquid de Charitate, n : 2435. Qui modo habent Doctrinam fidei & non simul Charitatis, in quot errores labuntur, n : 2417. 2383. 3146. 3325. 3412. 3413. 3416. 3773. 4672. 4730. 4783. 4925. 5351. 7623 ad 7677. 7752 ad 7762. 7790. 8094. 8313. 8530. 8765. 9186. 9224. 10555. Quod illi, qui solum in Doctrina fidei sunt, & non in vita fidei, quæ est Charitas, olim dicti fuerint Præputiati seu Philisthæi, n : 3412. 3413. 8093. Quod apud Antiquos fuerit Doctrina amoris in Dominum & Charitatis erga proximum, & quod Doctrina fidei inserviverit ei, n : 2417. 3419. 4844. 4955.

Quod Doctrina per illustratum facta postea per rationalia confirmari possit, & quod sic plenius intelligatur, & quod corroboretur, n : 2553. 2719. 2720. 3052. 3310. 6047. *Plura de hac re videantur supra* n : 51. Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, velint ut doctrinalia Ecclesiæ simpliciter credantur absque aliqua intuitione rationali, n : 3394.

Quod confirmare dogma non sapientis sit, sed videre num verum sit antequam confirmatur, & quod hoc fiat apud illos qui in illustratione sunt, n : 1017. 4741. 7012. 7680. 7950. Quod lux confirmationis sit lux naturalis, non spiritualis, dabilis etiam apud malos, n : 8780. Quod omnia etiam falsa confirmari possint, usque ut appareant sicut vera, n : 2482. 2490. 5033. 6865. 8521.

258. *Quod in Verbo Sensus spiritualis sit, qui vocatur Sensus internus.* Quod nemo scire possit, quid Sensus Internus Verbi, nisi sciat quid Correspondentia, n : 2895. 4322. Quod omnia & singula, usque ad singularissima, quæ in naturali Mundo sunt, correspondeant spiritualibus, & inde significent illa, n : 2890 ad 2893. 2897 ad 3003. 3213 ad 3227. Quod spiritualia, quibus correspondent naturalia, sub alia facie appareant in naturali, ut non internoscantur, n : 1887. 2396. 8920. Quod vix aliquis

aliquis hodie sciat, ubinam Divinum in Verbo, cum tamen in Sensu ejus interno seu spirituali, qui hodie quod sit nescitur, n: 2980. 4989. Quod mysticum Verbi non aliud sit, quam quod Sensus ejus internus seu spiritualis continet, in quo agitur de Domino, de Ipsius Regno, & de Ecclesia, & non de naturalibus quæ in Mundo, n: 4923. Quod Prophetica plurimis in locis non intelligantur, & sic nullius usus sint, absque Sensu interno, ab exemplis, n: 2608. 8020. 8398. Sicut quid significatur per Equum Album in Apocalypsi, n: 2760 seq: Quid per Claves Regni Cœlorum Petro datas, Præfat: ad Cap: XXII: Genes: n: 9410. Quid per Carnem, Sanguinem, Panem & Vinum in Sancta Cœna, & sic cur a Domino instituta est, n: 8682. Quid per Prophetica Jacobi de filiis suis Cap: XLIX: Genes: n: 6306. 6333 ad 6465. Quid per plura Prophetica de Jehuda & Israele, quæ non cum illa gente quadrant, nec coincidunt secundum sensum literæ, n: 6331. 6361. 6415. 6438. 6444. Præter innumera alia, n: 2608.

De Sensu interno seu spirituali Verbi in summa, n: 1767 ad 1777. 1869 ad 1879. Quod in omnibus & singulis Verbi sit Sensus internus, n: 1143. 1984. 2135. 2333. 2395. 2495. 2619. Quod illa non appareant in Sensu literæ, sed quod usque sint intus in eo, n: 4442.

259. *Quod Sensus internus imprimis sit pro Angelis, & quod quoque sit pro hominibus.* Ut sciatur quid Sensus internus, qualis ille, & unde, dicendum hic est in summa. Quod loquantur & cogitent aliter in Cœlo quam in Mundo, in Cœlo spiritualiter in Mundo naturaliter; quapropter cum homo legit Verbum, quod Angeli, qui apud hominem, percipiant illud spiritualiter, cum homines naturaliter; quod inde Angeli in sensu interno sint, cum homines in externo; sed quod usque unum faciant per correspondentiam.

Quod Verbum aliter intelligatur ab Angelis in Cœlis, quam ab hominibus in terris, & quod illis sit Sensus internus seu spiritualis, his autem externus seu naturalis, n: 1887. 2396. Quod Angeli percipiant Verbum in Sensu interno, & non in sensu externo, ab experientia illorum qui mecum e Cœlo loquuti sunt, cum legi Verbum, n: 1769. 1770. 1771. 1772. Quod ideæ & quoque loquelæ Angelicæ sint spirituales, ideæ autem & loquelæ humanæ naturales, quod ideo Sensus internus qui spiritualis pro Angelis sit, illustratum ab experientia, n: 2333. Quod tamen Sensus literæ Verbi inserviat ideis spiritualibus Angelorum pro mediis, comparative sicut faciunt voces loquelæ sensui rei apud hominem, n: 2143. Quod illa quæ sunt Sensus interni Verbi cadant in talia quæ sunt lucis Cœli, ita in perceptionem Angelicam, n: 2618. 2619. 2629. 3086. Quod illa, quæ Angeli e Verbo percipiunt, illis ideo pretiosa sint, n: 2540. 2541. 2545. 2551. Quod Angeli ne quidem unam vocem Sensus literæ Verbi intelligant, n: 64. 65. 1434. 1929. Quod nec sciant nomina personarum & locorum quæ in Verbo, n: 1434. 1888. 4442. 4480. Quod Nomina non intrare possint in Cœlum, nec ibi enuntiari, n: 1876. 1888. Quod omnia Nomina in Verbo significent res,

res, & quod in ideas rei vertantur in Cœlo, n: 768. 1888. 4310. 4442. 5225. 5287. 10329. Quod etiam Angeli cogitent abstracte a personis, n: 6613. 8343. 8985. 9007. Quam elegans Sensus internus Verbi, tametsi mera Nomina, ab exemplis e Verbo, n: 1224. 1888. 2395. Quod etiam plura Nomina in serie in sensu interno unam rem exprimant, n: 5905. Quod etiam omnes Numeri in Verbo significent res, n: 482. 487. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3152. 4264. 6175. 9488. 9659. 10217. 10253. Quod Spiritus etiam percipiant Verbum in sensu interno, prout interiora illorum in Cœlum aperta sunt, n: 1771. Quod Sensus literæ Verbi, qui naturalis, transmutetur momento in spiritualem apud Angelos, quia est correspondentia, n: 5648. Et hoc absque auditione & cognitione quid in sensu literæ seu externo, n: 10215. Sic quod Sensus literæ seu externus sit modo apud hominem, nec pergat ultra, n: 2015.

Quod sit Sensus internus Verbi, & quoque Sensus intimus seu supremus, de quibus, n: 9407. 10604. 10614. 10627. Quod Angeli Spirituales, hoc est, qui e Regno spirituali Domini sunt, percipiant Verbum in sensu interno, & quod Angeli cœlestes, hoc est, qui e Regno cœlesti Domini sunt, percipiant Verbum in sensu intimo, n: 2157. 2275.

Quod Verbum sit pro hominibus, & quoque pro angelis, utrisque accommodatum, n: 7381. 8862. 10322. Quod Verbum sit uniens Cœli & terræ, n: 2310. 2495. 9212. 9216. 9357. Quod conjunctio cœli cum homine sit per Verbum, n: 9396. 9400. 9401. 10452. Quod ideo Verbum dicatur fœdus, n: 9396. Quoniam fœdus significat conjunctionem, n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8778. 9396. 10632. Quod Sensus internus in Verbo sit, quia Verbum a Domino per tres Cœlos descenderat usque ad hominem, n: 2310. 6597. Et quod sic accommodatum factum sit Angelis trium Cœlorum, & quoque hominibus, n: 7381. 8862. Quod inde sit quod Verbum Divinum sit, n: 2980. 4989. Et quod sit Sanctum, n: 10276. Et quod sit spirituale, n: 4480. Et quod Verbum sit a Divino inspiratum, n: 9094. Quod id sit inspiratio, n: 9094.

Quod etiam homo, qui regeneratus est, actualiter sit in sensu interno Verbi, tametsi id nescit, quoniam ei Internus homo apertus est, cui perceptio spiritualis, n: 10401. Sed quod apud illum spirituale Verbi influat in ideas naturales, ac ita naturaliter sistatur, quoniam cum vivit in mundo, in naturali cogitat, n: 5614. Quod inde lux veri apud illos, qui illustrantur, sit ab interno eorum, hoc est, per internum a Domino, n: 10691. 10694. Quod etiam per illam viam sanctum influat apud illos qui sanctum habent Verbum, n: 6789. Quoniam homo regeneratus actualiter in sensu interno Verbi est, & id in sancto ejus, tametsi id nescit, quod ideo post mortem in illum ex se veniat, & quod non amplius sit in sensu literæ, n: 3226. 3342. 3343.

260. *Quod in Sensu interno seu spirituali innumerabilia arcana sint.* Quod Verbum in sensu interno innumerabilia contineat, quæ captum humanum excedunt, n: 3085. 3086. Quod etiam inexplicabilia,

n: 1965. Quæ solum repræsentantur Angelis, & ab illis intelliguntur, n: 167. Quod Sensus internus Verbi contineat Arcana Cœli, quæ concernunt Dominum, ac Regnum Ipsius in Cœlis & in Terris, n: 1. 2. 3. 4. 937. Quod Arcana illa non appareant in sensu literæ, n: 937. 1502. 2161. Quod plura, quæ apud Prophetas sunt, appareant sicut sparsa, quæ in sensu interno in pulchra serie continenter cohærent, n: 7153. 9022. Quod non unica vox, ne quidem unica jotha abesse queat in Verbi sensu literæ absque interruptione in sensu interno, & quod ideo ex Divina Providentia Domini Verbum tam integrum conservatum sit ad omnem vocem & ad omnem apicem, n: 7933. Quod innumerabilia insint singulis Verbi, n: 6637. 6620. 8920. Et unicuique voci, n: 1689. Quod innumerabilia sint in Oratione Dominica, & in singulis ejus, n: 6619. Et in Præceptis decalogi; in quorum tamen sensu externo aliqua talia sunt, quæ nota sunt unicuique genti absque Revelatione, n: 8867. 8900.

Quod in Verbo imprimis Prophetico sint binæ expressiones sicut ejusdem rei, sed quod una se referat ad bonum, altera ad verum, ita ad Spirituale & ad Cœleste, n: 683. 707. 2516. 8339. Quod in Verbo vera & bona sint conjuncta mirabiliter, & quod illa conjunctio solum appareat ei qui scit sensum internum, n: 10554. Et sic quod in Verbo & singulis ejus sit Conjugium Divinum, & Conjugium cœleste, n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712. 5138. 7022. Conjugium Divinum, quod est Conjugium Divini Boni & Divini Veri, ita Dominus, in Quo Solo id Conjugium, n: 3004. 3005. 3009. 4158. 5194. 5502. 6343. 7945. 8339. 9263. 9314. Quod per Jesum significetur Divinum Bonum & per Christum Divinum Verum, & per utrumque Conjugium Divinum in Cœlo, quod est Conjugium Divini Boni & Divini Veri, n: 3004. 3005. 3009. Quod hoc Conjugium sit in singulis Verbi in sensu ejus interno, ita Dominus quoad Divinum Bonum & Divinum Verum, n: 5502. Quod Conjugium Boni & Veri a Domino in Cœlo & Ecclesia sit quod vocatur Conjugium cœleste, n: 2508. 2618. 2803. 3004. 3211. 3952. 6179. Ita quod in eo respectu Verbum sit quasi Cœlum, n: 2173. 10126. Quod Cœlum assimiletur Conjugio in Verbo ex Conjugio boni & veri ibi, n: 2758. 3132. 4434. 4834.

Quod Sensus Internus sit ipsa Doctrina Ecclesiæ, n: 9025. 9430. 10401. Quod qui intelligunt Verbum secundum sensum internum, illi sciant ipsam veram Doctrinam Ecclesiæ, quia sensus internus illam continet, n: 9025. 9430. 10401. Quod Internum Verbi, etiam sit Internum Ecclesiæ, ut & Internum Cultus, n: 10460. Quod Verbum sit Doctrina amoris in Dominum & charitatis erga proximum, n: 3419. 3420.

Quod Verbum in litera sit sicut nubes, & quod in sensu interno sit gloria; Præf: ad Genes: Cap: XVIII, n: 5922. 6343, ubi explicatur, *quod Dominus venturus sit in nubibus cæli cum gloria*. Quod etiam Nubes in Verbo significet Verbum in sensu literæ, & Gloria Verbum in sensu interno, Præf: ad Cap: XVIII Genes: n: 4060. 4391. 5922. 6343. 6752. 8106. 8781. 9430. 10551. 10574. Quod illa, quæ in sensu literæ sunt, ad illa quæ in sensu

 interno,

interno, se habeat sicut projectiones rudes circum Cylindrum opticum politum, ex quibus tamen in Cylindro sistitur pulchra imago hominis, n: 1871. Repræsentati in altera vita illi, qui solum sensum literæ Verbi volunt & agnoscunt, per Vetulam deformem, qui autem simul sensum internum, per Virginem decore amictam, n: 1774. Quod Verbum in toto complexu sit imago Cœli, quia Verbum est Divinum Verum, ac Divinum Verum facit cœlum, & quia Cœlum refert unum hominem, quod Verbum sit in eo respectu sicut imago hominis, n: 1871. Quod Cœlum in uno complexu referat unum hominem, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 59 ad 67. Et quod Divinum Verum procedens a Domino faciat Cœlum, n: 126 ad 140. 200 ad 212. Quod Verbum pulchre & amæne sistatur coram Angelis, n: 1767. 1768. Quod sensus literæ sit quasi corpus, & quod sensus internus sit quasi anima illius corporis, n: 8943. Quod inde vita Verbo sit ex sensu interno, n: 1405. 4857. Quod Verbum sit purum in sensu interno, & quod ita non appareat in sensu literæ, n: 2362. 2396. Quod illa quæ in sensu literæ Verbi sunt, sancta sint ab internis, n: 10126. 10728.

Quod in Historicis Verbi etiam sit sensus internus, sed intus in illis, n: 4989. Ita quod Historica Verbi æque ac Prophetica contineant arcana cœli, n: 755. 1659. 1709. 2310. 2333. Quod Angeli non historice percipiant illa, sed spiritualiter, n: 6884. Quod arcana interiora, quæ in Historicis sunt, minus pateant homini, quam in Propheticis, causa, n: 2176. 6597.

Porro qualis sensus internus Verbi, ostensum, n: 1756. 1984. 2004. 2663. 3035. 7089. 10604. 10614. Illustratum per comparationes, n: 1873.

261. *Quod Verbum conscriptum sit per correspondentias, & sic per repræsentativa.* Quod Verbum quoad sensum literæ conscriptum sit per meras Correspondentias, ita per talia quæ repræsentant & significant spiritualia, quæ sunt Cœli & Ecclesiæ, n: 1404. 1408. 1409. 1540. 1619. 1659. 1709. 1783. 2179. 2763. 2899. Quod hoc factum sit propter sensum internum in singulis, n: 2899. Ita propter Cœlum, quoniam illi, qui in Cœlo sunt, Verbum non intelligunt secundum sensum literæ ejus, qui naturalis, sed secundum sensum internum, qui spiritualis, n: 2899. Quod Dominus loquutus sit per Correspondentias, Repræsentativa & Significativa, quia a Divino, n: 9049. 9063. 9086. 10126. 10728. Quod Dominus sic loquutus sit coram Mundo & coram Cœlo, n: 2533. 4807. 9049. 9063. 9086. Quod illa, quæ Dominus loquutus est, impleverint universum Cœlum, n: 4637. Quod Historica Verbi sint repræsentativa, verba significativa, n: 1540. 1659. 1709. 1783. 2687. Quod Verbum non alio stylo conscribi potuerit, ut per id communicatio & conjunctio cum Cœlis esset, n: 2899. 6943. 9481. Quod valde errent, qui Verbum propter stylum simplicem & rudem ad apparentiam contemnunt, & qui cogitant quod recepturi Verbum si alio stylo scriptum fuisset, n: 8783. Quod etiam modus scribendi & stylus Antiquissimis fuerit per Repræsentativa & Significativa, n: 605. 1756. 9942. Quod Sapientes Antiqui delectati sint Verbo,

quia ibi repræsentativa & significativa, ab experientia, n: 2592. 2593. Si homo Antiquissimæ Ecclesiæ legisset Verbum, quod clare vidisset illa quæ in sensu interno Verbi sunt, & obscure illa quæ in sensu externo, n: 449. Quod filii Jacobi in terram Canaanem deducti sint, quia in illa terra omnia loca ab Antiquissimis temporibus repræsentativa facta sunt, n: 1585. 3686. 4441. 5136. 6516. Et sic ut Verbum ibi conscriberetur, in quo loca nominanda erant propter sensum internum, n: 3686. 4447. 5136. 6516. Sed quod usque Verbum quoad sensum externum immutatum sit propter illam gentem, non autem quoad sensum internum, n: 10453. 10461. 10603. 10604. Ut sciatur quid sunt & quales sunt Correspondentiæ & qualia sunt Repræsentativa in Verbo, ideo aliquid de illis quoque dicetur.

Quod omnia quæ correspondent etiam repræsentent, & inde significent, sic ut Correspondentiæ & Repræsentationes unum sint, n: 2890. 2897. 2971. 2987. 2989. 2990. 3002. 3225. Quid Correspondentiæ & Repræsentationes, ab experientia & ab exemplis, n: 2703. 2987 ad 3002. 3213 ad 3226. 3337 ad 3352. 3472 ad 3485. 4218 ad 4228. 9280. Quod scientia Correspondentiarum & Repræsentationum fuerit præcipua Scientia apud Antiquos, n: 3021. 3419. 4280. 4749. 4844. 4964. 4965. 6004. 7729. 10252. Imprimis apud Orientales, n: 5702. 6692. 7097. 7779. 9391. 10252. 10407. Quod in Ægypto præ aliis, n: 5702. 6692. 7097. 7779. 9391. 10407. Quod etiam apud Gentiles, ut in Græcia & alibi, n: 2762. 7729. Sed quod hodie inter Scientias deperditas sit, imprimis in Europa, n: 2894. 2895. 2994. 3630. 3632. 3747. 3748. 3749. 4581. 4966. 10252. Quod usque illa Scientia præstet omnibus scientiis, quoniam absque illa non intelligitur Verbum, nec quid significant Ritus Ecclesiæ Judaicæ de quibus in Verbo, nec scitur quale Cœlum, nec quid Spirituale, nec quomodo se habet cum Influxu spirituali in naturale, & plura alia, n: 4280, *& in locis supra citatis.* Quod omnia, quæ apud Angelos & Spiritus apparent, sint Repræsentativa secundum Correspondentias talium quæ sunt amoris & fidei, n: 1971. 3213 ad 3226. 3457. 3475. 3485. 9481. 9574. 9576. 9577. Quod Cœli sint pleni Repræsentativis, n: 1521. 1532. 1619. Quod Repræsentativa eo pulchriora & perfectiora existant, quo interius in Cœlis, n: 3475. Quod Repræsentativa ibi sint apparentiæ reales, quia a luce Cœli, quæ est Divinum Verum, & hoc est ipsum essentiale existentiæ omnium, n: 3485.

Causa, quod omnia & singula, quæ in spirituali mundo sunt, in naturali repræsententur, est quia Internum se induit convenientibus in Externo, per quæ se visibile sistat & appareat, n: 6275. 6284. 6299. Ita finis se induit convenientibus, ut se sistat ut causa in inferiore sphæra, & dein ut se sistat ut effectus in adhuc inferiore; & cum finis per causam fit effectus, tunc fit visibilis seu coram oculis apparet, n: 5711. Hæc illustrata per influxum animæ in corpus, quod nempe anima induatur talibus in corpore, per quæ omnia quæ cogitat & vult, possunt apparere & visibiliter sisti; quare cogitatio, cum defluit in corpus, repræsentatur per tales gestus & affectiones, quæ cor-

respondent, n : 2988. Manifeste affectiones, quæ mentis sunt, repræsentantur in facie per varios ejus vultus, adeo ut ibi videantur, n : 4791 ad 4805. 5695. Inde patet, quod in omnibus & singulis naturæ lateat interius causa & finis e spirituali mundo, n : 3562. 5711. Quoniam illa, quæ in natura sunt, ultimi effectus sunt, quibus insunt priora, n : 4240. 4939. 5051. 6275. 6284. 6299. 9216. Quod Interna sint quæ repræsentantur, & Externa quæ repræsentant, n : 4292.

Quoniam omnia in Natura repræsentativa spiritualium & cœlestium sunt, quod ideo Antiquis temporibus Ecclesiæ fuerint, in quibus omnia Externa, quæ erant Ritualia, repræsentativa erant; ideo illæ Ecclesiæ dictæ fuerunt Ecclesiæ Repræsentativæ, n : 519. 521. 2896. Quod Ecclesia apud filios Israelis instituta fuerit Ecclesia Repræsentativa, n : 1003. 2179. 10149. Quod omnia Ritualia ibi fuerint Externa quæ repræsentaverunt Interna, quæ Cœli & Ecclesiæ sunt, n : 4288. 4874. Quod Repræsentativa Ecclesiæ & Cultus cessaverint cum Dominus in mundum venit, quia Dominus Interna Ecclesiæ aperuit, & quia omnia Ecclesiæ Externa in supremo sensu Ipsum spectaverunt, n : 4832.

262. *De Sensu literæ seu Externo Verbi.* Quod Sensus literæ Verbi sit secundum apparentias in mundo, n : 584. 926. 1719. 1720. 1832. 1874. 2242. 2520. 2533. Et ad captum simplicium, n : 2533. 9049. 9063. 9086. Quod Verbum in sensu literæ sit naturale, n : 8783. Ex causa, quia naturale est ultimum, in quod desinunt spiritualia & cœlestia, & super quo sicut domus super suo fundamento subsistunt, & quod alioquin sensus internus absque externo foret sicut domus absque fundamento, n : 9360. 9430. 9824. 9433. 10044. 10436. Quod Verbum quia tale sit continens sensus spiritualis & cœlestis, n : 9407. Et quia tale, quod sit sanctum Divinum in sensu literæ quoad omnia & singula ibi, usque ad unamquamque jotham, n : 639. 680. 1319. 1870. 9198. 10321. 10637. Quod Leges pro filiis Israelis latæ, tametsi abrogatæ, usque sanctum Verbum sint, ob sensum internum in illis, n : 9210. 9259. 9349. Quod Leges, Judicia & Statuta pro Ecclesia Israelitica & Judaica, quæ fuit Ecclesia Repræsentativa, sint quæ adhuc in utroque sensu, Externo & Interno valent, sint quæ secundum sensum Externum omnino custodienda sunt, sint quæ possunt esse usui si libet, & sint quæ prorsus abrogata, de quibus, n : 9349. Quod Verbum Divinum sit etiam quoad illa quæ abrogata sunt, n : 10637.

Quale Verbum in sensu literæ, si non intelligitur simul quoad sensum internum, seu quod idem, secundum veram Doctrinam e Verbo, n : 10402. Quod ex sensu literæ absque sensu interno, seu absque Genuina Doctrina ex Verbo, hæreses immenso numero scaturiant, n : 10401. Quod illi qui in Externo absque Interno sunt, non sustineant interiora Verbi, n : 10694. Quod Judæi tales fuerint, & quoque hodie sint, n : 301. 302. 303. 3479. 4429. 4433. 4680. 4844. 4847. 10396. 10401. 10407. 10694. 10701. 10707.

263. *Quod Dominus sit Verbum.* Quod in sensu intimo Verbi agatur unice de Domino, ac describantur omnes status glorificationis Humani Ipsius, hoc est, unionis cum Ipso Divino, & quoque omnes status subjugationis infernorum, ac ordinationis omnium ibi & in Cœlis, n: 2249. 7014. Ita quod in illo sensu describatur omnis vita Domini in Mundo, & quod per id præsentia Domini continua sit apud Angelos, n: 2523. Proinde quod Solus Dominus sit in intimo Verbi; & quod inde Divinum & Sanctum Verbi sit, n: 1873. 9357. Quod Dominus dixerit, quod impleta sit Scriptura de Ipso, significet quod omnia quæ in sensu intimo, n: 7933.

Quod Verbum significet Divinum Verum, n: 4692. 5075. 9987. Quod Dominus sit Verbum quia est Divinum Verum, n: 2533. Quod Dominus sit Verbum, etiam quia Verbum est ab Ipso, & de Ipso, n: 2859. Ac de Solo Domino in Sensu intimo, ita Ipse Dominus ibi, n: 1873. 9357. Et quia in omnibus & singulis Verbi est Conjugium Divini Boni & Divini Veri, n: 3004. 5502. Quod Jesus sit Divinum Bonum, & Christus Divinum Verum, n: 3004. 3005. 3009. Quod Divinum Verum sit unicum reale, & quod id in quo est, quod est ex Divino, sit unicum substantiale, n: 5272. 6880. 7004. 5200. Et quia Divinum Verum procedens a Domino est Lux in Cœlo, & Divinum Bonum est Calor in Cœlo, & quia ex illis omnia ibi existunt, & quia per Cœlum seu per Mundum spiritualem existit Mundus naturalis, patet quod omnia quæ creata sunt, ex Divino Vero, ita est Verbo, creata sint, secundum hæc Verba apud Johannem, "*In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & per Illud omnia facta sunt quæ facta:* & VERBUM CARO FACTUM EST," n: 2803. 2884. 5272. 7830. Porro de Creatione omnium a Divino Vero, ita a Domino, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 137: & plenius ex binis Articulis ibi n: 116 ad 125, & n: 126 ad 140.

Quod conjunctio Domini cum homine sit per Verbum, medio sensu interno, n: 10375. Quod per omnia & singula Verbi sit conjunctio, & quod inde Verbum sit mirabile præ omni scripto, n: 10632. 10633. 10634. Quod Dominus, postquam Verbum conscriptum est, loquatur per id cum hominibus, n: 10290.

264. *De illis qui contra Verbum sunt.* De illis qui contemnunt, subsannant, blasphemant, & prophanant Verbum, n: 1878. Quales illi in altera vita, n: 1761. 9222. Quod referant viscosa sanguinis, n: 5719. Quantum periculi a prophanatione Verbi, n: 571 ad 582. Quantum nocet, si principia falsi, imprimis quæ favent amori sui & mundi, confirmentur per Verbum, n: 589. Qui in nulla affectione veri propter verum sunt, quod plane rejiciant sensum Internum Verbi, & ad illum nauseent, ab experientia, n: 5702. De quibusdam in altera vita, qui rejecerunt interiora Verbi, quod rationalitate orbati sint, n: 1879.

265. *Plura*

265. *Plura de Verbo.* Quod VERBUM in Lingua Hebræa varia significet; nempe Sermonem, Cogitationem mentis, Omnem rem quæ realiter existit, tum aliquid, n: 9987. Quod Verbum significet Divinum Verum & Dominum, n: 4692. 5075. 9987. Quod Verba significent vera, n: 4692. 5075, quod significent Doctrinalia, n: 1288. Quod decem verba significent omnia Vera Divina, n: 10688. Quod significent res quæ realiter existunt, n: 1785. 5075. 5272.

Quod binæ expressiones unius rei in Verbo imprimis Prophetico sint, & quod una se referat ad bonum altera ad verum, quæ sic conjunguntur, n: 683. 707. 5516. 8339. Quænam expressio ad bonum se refert & quænam ad verum, quod non sciri queat nisi ex sensu interno Verbi, quoniam voces propriæ sunt, quibus exprimuntur illa quæ boni sunt, & propriæ quibus illa quæ veri, n: 793. 801. Et hoc usque ut noscatur solum ex prædicatione vocum, num de bono aut num de vero agitur, n: 2722. Quod etiam quandoque una expressio involvat commune, & altera determinatum quid a communi, n: 2212. Quod sit species reciprocationis in Verbo, de qua n: 2240 f. Quod pleraque in Verbo etiam sensum oppositum habeant, n: 4816. Quod Sensus internus prædicabiliter sequatur suum subjectum, n: 4502.

Quod, qui delectati fuerunt Verbo, in altera vita accipiant calorem cœli, cui inest amor cœlestis, secundum quale & quantum delectationis ex amore, n: 1773.

266. *Libri Verbi quinam.* Quod Libri Verbi sint omnes qui Sensum Internum habent; qui autem non habent, quod non sint Verbum. Quod Libri Verbi in Veteri Testamento, sint, Quinque Libri Mosis, Liber Josuæ, Liber Judicum, bini Libri Samuelis, bini Libri Regum, Psalmi Davidis, Prophetæ, Esaias, Jeremias, Threni, Ezechiel, Daniel, Hoseas, Joel, Amos, Obadias, Jonas, Michah, Nahum, Habakuk, Zephanias, Haggai, Zacharias, Malachias: & in Novo Testamento, Quatuor Evangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes; & Apocalypsis. Reliqui non Sensum Internum habent, n: 10325.

De Providentia.

267. REgimen Domini in Cœlis & in Terris vocatur Providentia; & quia omne bonum quod amoris & omne verum quod fidei, ex quibus salus, est ab Ipso, & prorsus nihil ab homine, inde patet, quod Divina Providentia Domini sit in omnibus & singulis quæ ad salutem Generis Humani conducunt: hoc ita docet Dominus apud Johannem, "*Ego sum Via, Veritas & Vita,*" XIV: 6: Et alibi, "*Quemadmodum palmes non potest fructum ferre a seipso nisi manserit in Vite, ita vos nisi in Me manseritis; nisi a Me non potestis facere quicquam,*" XV: 4. 5.

268. Providentia Divina Domini est quoad singularissima vitæ hominis; nam non est nisi quam unicus vitæ fons, qui est Dominus, a Quo sumus, vivimus, & agimus.

269. Qui ex mundanis cogitant de Providentia Divina, concludunt ex illis, quod illa sit modo universalis, & quod singularia sint apud hominem; sed illi non sciunt arcana Cœli, concludunt enim solum ex amoribus sui & mundi, & eorum voluptatibus; quare cum vident malos efferri ad honores & lucrari opes præ bonis, & quoque malis succedere secundum artes, corde suo dicunt, quod non ita fieret, si Divina Providentia esset in omnibus & singulis; sed illi non considerant, quod Providentia Divina non spectet id quod brevi transit, & finem cum vita hominis in mundo habet, sed quod spectet id quod in æternum manet, ita quod non finem habet; quod non finem habet, id Est, quod autem finem habet, id respective non Est; cogitet qui potest, num centum millia annorum sint aliquid ad æternum, & percipiet quod non sint, quid tunc aliqui anni vitæ in mundo.

270. Qui rite expendit, scire potest quod Eminentia & Opulentia in mundo, non sint reales Benedictiones Divinæ, tametsi homo ex suo volupi illas ita vocat, transeunt enim, & quoque seducunt multos, & avertunt a Cœlo; sed quod vita æterna & ejus felicitas sint reales Benedictiones quæ a Divino: hæc etiam docet Dominus apud Lucam, "*Facite vobis thesaurum non deficientem in Cœlis, quo fur non pervenit, neque tinea corrumpit; ubi enim est thesaurus vester, ibi etiam cor vestrum erit,*" XII: 33. 34.

271. Quod

271. Quod succedat malis secundum artes, est causa quia ex Divino ordine est, ut quisque ex ratione agat quod agit, & quoque ex libero, quapropter nisi relictum foret homini agere secundum ejus rationem ex libero, & sic quoque artes, quæ inde sunt, succederent, homo nullatenus posset disponi ad recipiendum vitam æternam, hæc enim insinuatur cum homo est in libero & ratio ejus illustratur; nemo namque cogi potest ad bonum, quia omne coactum non inhæret, non enim est ipsius; id ipsius hominis fit, quod ex libero secundum ejus rationem fit, & ex libero fit quod ex voluntate seu amore, ac voluntas seu amor est ipse homo; si cogeretur homo ad id quod non vult, inclinaret animo semper ad id quod vult; & præterea quisque nititur ad vetitum, & hoc ex causa latente quia ad liberum; inde patet, quod nisi homo teneretur in libero, non ei provideri posset bonum.

272. Relinquere homini ex suo libero etiam cogitare, velle, & quantum non inhibent leges, facere malum, vocatur Permittere.

273. Duci ad felicia in mundo per artes, apparet homini sicut sit ex propria prudentia, sed usque jugiter comitatur Divina Providentia permittendo & continue abducendo a malo: at duci ad felicia in Cœlo, scitur & percipitur quod non sit ex propria prudentia, quia ex Domino, & fit ex Divina Ipsius Providentia disponendo & continue ducendo ad bonum.

274. Quod ita sit, homo non capere potest ex naturæ lumine, nam ex illo non scit leges Ordinis Divini.

275. Sciendum est, quod sit Providentia & Prævidentia, Bonum est quod a Domino providetur, Malum autem est quod a Domino prævidetur; una cum altera erit, nam quod ab homine venit non est nisi quam malum, at quod a Domino non est nisi quam bonum.

Ex Arcanis Cœlestibus.

QUoniam omne bonum, quod providetur homini a Domino, influit, ideo quoque in sequentibus afferenda sunt ex ARCANIS COELESTIBUS, quæ ibi de INFLUXU: & quia Dominus omnia providet secundum Divinum Ordinem, ideo etiam afferenda sunt, quæ ibi de ORDINE.

276. *De Providentia.* Quod Providentia sit Regimen Domini in Cœlis & in Terris, n: 10773. Quod Dominus ex Providentia regat

 omnia

omnia secundum Ordinem, & sic quod Regimen secundum Ordinem sit Providentia, n: 1755. 2447. Et quod regat omnia vel ex Voluntate, vel ex Venia, vel ex Permissione, ita in vario respectu secundum quale apud hominem, n: 1755. 2447. 3704. 9940. Quod Providentia invisibiliter agat, n: 5580. Quod pleraque quæ ex Providentia fiunt, appareant homini sicut Contingentia, n: 5508. Quod Providentia invisibiliter agat, est causa ne cogatur homo ex visibilibus credere, & sic ne liberum ejus lædatur, nam nisi homini liberum sit, non potest reformari, ita non salvari, n: 1937. 1947. 2876. 2881. 3854. 5508. 5982. 6477. 8209. 8907. 9588. 10409. 10777. Quod Providentia Divina non spectet temporaria quæ brevi transeunt, sed æterna, n: 5264. 8717. 10776: illustratum, n: 6491. Qui hoc non capiunt, quod credant Opulentiam & Eminentiam in mundo esse unicas quæ providentur, quas ideo vocant Benedictiones a Divino, cum tamen illæ non spectantur a Domino ut Benedictiones, sed solum ut media ad vitam hominis in mundo, sed quod spectentur a Domino quæ ad felicitatem æternam hominis conducunt, n: 10409. 10776. Quod qui in Divina Domini Providentia sunt, in omnibus & singulis ferantur ad felicia in æternum, n: 8478. 8480. Quod hoc non cogitent, nec capiant illi, qui omnia tribuunt naturæ & propriæ prudentiæ, & non aliquid Divino, n: 6484. 10409. 10775.

Quod Divina Providentia Domini non sit sicut in mundo creditur, solum universalis, & quod particularia seu singularia sint prudentiæ apud hominem, n: 8717. 10775. Quod non detur universale nisi ex singularibus & cum illis, quoniam singularia simul sumta dicuntur Universale, prout particularia simul sumta dicuntur Commune, n: 1919. 6159. 6338. 6482. 6483. 6484. Quod tale sit Universale, qualia sunt singularia ex quibus & una cum quibus, n: 918. 1040. 6483. 8858. Quod Domini Providentia sit universalis quia in singularissimis, n: 1919. 2694. 4329. 5122. 5904. 6058. 6481 ad 6486, 6490. 7004. 7007. 8717. 10074; confirmatum e Cœlo, n: 6486. Nisi Providentia Divina Domini foret universalis ex singularissimis & in singularissimis, quod nihil subsistere posset, n: 6338. Quod per id omnia disposita sint in ordinem, & teneantur in ordine, in communi & in parte, n: 6338. Quomodo comparative se habet cum Rege in terra, n: 6482. 10800. Quod propria Prudentia hominis sit sicut paucus grumus in universo, at Providentia Divina sicut ipsum universum respective, n: 6485. Quod ita sit, quod homines ægre capiant in mundo, n: 8717. 10775. 10780. Quoniam plures fallaciæ impugnant, & cæcitatem inducunt, n: 6481. De quodam in altera vita, qui crediderat ex confirmatione in mundo, omnia propriæ prudentiæ esse, & nihil Providentiæ Divinæ, quod illa quæ apud eum apparuerint infernalia, n: 6484.

Providentia Domini circa mala, qualis, n: 6481. 6495. 6574. 10777. 10779. Quod mala per leges permissionis regantur a Domino, & quod permittantur propter ordinem, n: 8700. 10778. Permissio mali a Domino, quod non sit ut volentis, sed ut non volentis, at qui auxilium ferre non potest urgente fine, qui est salvatio, n: 7877. Relinquere homini ex suo libero

cogitare & velle malum, & quantum non leges vetant, facere, quod sit permittere, n: 10778. Quod absque Libero, ita absque illa permissione, homo non reformari, ita non salvari possit, videatur supra in Doctrina de LIBERO, n: 141 ad 149.

Quod Domino sit Providentia & Prævidentia, & quod una non sit absque altera, n: 5195. 6489. Quod a Domino provideatur bonum & prævideatur malum, n: 5155. 5195. 6489. 10781.

Quod non sit Prædestinatio seu Fatum, n: 6487. Quod omnes prædestinati sint ad Cœlum, & nullus ad Infernum, n: 6488. Quod non sit aliqua necessitas absoluta apud hominem ex Providentia, sed quod sit plena libertas, illustratum per comparationem, n: 6487. Quod per Electos in Verbo intelligantur qui in vita boni & inde veri sunt, n: 3755. 3900. 5057. 5058. Quomodo intelligendum est quod *Deus occurrere fecerit ad manum*, Exod: XXI: 13. n: 9010.

Quod Fortuna, quæ in multis in mundo apparet mirabilis, sit operatio Divinæ Providentiæ in ultimo ordinis, secundum quale status hominis, & quod illa possit esse confirmationi, quod Divina Providentia sit in omnium singularissimis, n: 5049. 5179. 6493. 6494. Quod sit ex Mundo spirituali, & quod inde ejus variationes, etiam ab experientia, n: 5179. 6493. 6494.

277. *De Influxu.* De Influxu Cœli in Mundum, & de Influxu Animæ in omnia corporis ab experientia, n: 6053 ad 6058. 6189 ad 6215. 6307 ad 6327. 6466 ad 6495. 6598 ad 6626. Quod nihil existat a se, sed a priori se, ita omnia a Primo, n: 4523. 4524. 6040. 6056. Quod omnia sicut exstiterunt etiam subsistant, quia subsistentia est perpetua existentia, n: 2886. 2888. 3627. 3628. 3648. 4523. 4524. 6040. 6056. Quod secundum illum Ordinem fiat influxus, n: 7270. Inde patet, quod a Primo Esse omnia perpetuo subsistant, quia ab Illo exstiterunt, n: 4523. 4524. 6040. 6056. Quod omne vitæ a Primo influat, quia inde est, ita a Domino, n: 3001. 3318. 3337. 3338. 3344. 3484. 3619. 3741. 3742. 3743. 4318. 4319. 4320. 4417. 4524. 4882. 5847. 5986. 6325. 6468. 6469. 6470. 6479. 9276. 10196. Quod omne Existere sit ab Esse, & quod nihil possit Existere, nisi in eo sit suum Esse, n: 4523. 4524. 6040. 6056.

Quod omnia influant quæ homo cogitat & quæ vult, ab experientia, n: 904. 2886. 2887. 2888. 4151. 4319. 4320. 5846. 5848. 6189. 6191. 6194. 6197. 6198. 6199. 6213. 7147. 10219. Quod homo possit intueri res, cogitare & analytice concludere, sit ex influxu, n: 1288. 4319. 4320. Quod homo non vivere possit uno momento, si ei auferatur influxus e mundo spirituali; & quod usque homo sit in libero, ab experientia, n: 2887. 5849. 5854. 6321. Quod vita, quæ influit a Domino, varietur secundum statum hominis, & secundum receptionem, n: 2069. 5986. 6472. 7343. Quod apud malos bonum quod influit a Domino, vertatur in malum, ac verum in falsum, ab experientia, n: 3643. 4632. Quod tantum recipiatur bonum & verum, quod continue influit a Domino, quantum non obstat malum & falsum, n: 2411. 3142. 3147. 5828.

Quod omne bonum influat a Domino, & omne malum ab Inferno, n: 904. 4151. Quod homo credat hodie omnia in se esse & ex se esse, cum tamen influunt, & hoc sciat ex doctrinali Ecclesiæ quod omne bonum sit ex Cœlo, & omne malum ex Inferno, n: 4249. 6193. 6206. At si crederet sicut res se habet, quod malum sibi non appropriaret, rejiceret enim id a se ad infernum, nec bonum faceret suum, & sic non inde aliquod meritum, n: 6206. 6324. 6325. Quam felix homini status tunc, ab interiori enim videret & bonum & malum, a Domino, n: 6325. Qui negant Cœlum, aut nihil de eo sciunt, quod nesciant quod aliquis influxus inde sit, n: 4322. 5649. 6193. 6479. Quid Influxus, illustratum per Comparationes, n: 6128. 6180. 9407.

Quod Influxus spiritualis sit & non Physicus, ita quod Influxus sit e Spirituali Mundo in Naturalem, & non e Naturali in Spiritualem, n: 3219. 5119. 5259. 5427. 5428. 5478. 6322. 9110. 9111. Quod Influxus sit per Internum hominem in Externum, & non vicissim, n: 1702. 1707. 1940. 1954. 5119. 5259. 5779. 6322. 9380. Quia Internus homo est in Mundo spirituali, & Externus in Naturali, n: 978. 1015. 3628. 4459. 4523. 4524. 6057. 6309. 9701 ad 9709. 10156. 10472. Quod appareat sicut Influxus sit ab externis in interna, quod sit fallacia, n: 3721. Quod apud hominem Influxus sit in ejus Rationalia, & per hæc in Scientifica, & non vicissim, n: 1495. 1707. 1940. Ordo influxus qualis, n: 775. 880. 1096. 1495. 7270.

Quod Influxus sit immediatus a Domino, & quoque mediatus per Mundum spiritualem seu Cœlum, n: 6063. 6307. 6472. 9682. 9683. Quod Influxus Domini immediatus sit in omnium singularissima, n: 6058. 6474 ad 6478. 8717. 8728. De mediato Influxu Domini per Cœlum, n: 4067. 6982. 6985. 6996. Quod fiat per Spiritus & per Angelos, qui adjunguntur homini, n: 697. 5846 ad 5866. Quod Dominus per Angelos influat in fines, ex quibus & propter quos homo ita cogitat, vult & agit, n: 1317. 1645. 5844. 5854. Et quod in illa quæ sunt Conscientiæ apud hominem, n: 6207. 6213. Per Spiritus autem in cogitationes & inde in res memoriæ, n: 4186. 5864. 5858. 6192. 6193. 6198. 6199. 6319. Quod hoc ab homine difficulter credi possit, n: 6214. Quod Dominus influat in prima & simul in ultima, seu in intima & simul in extrema, quomodo, n: 5147. 5150. 6473. 7004. 7007. 7270. Quod Influxus Domini sit in bonum apud hominem, & per bonum in verum, non autem vicissim, n: 5482. 5649. 6027. 8685. 8701. 10153. Quod bonum det facultatem recipiendi influxum a Domino, non autem verum absque bono, n: 8321. Quod nihil noceat quid intrat in cogitationem, sed quod in voluntatem, quoniam hoc appropriatur homini, n: 6308. Quod Divinum in supremis sit tacitum & pacificum, sed prout descendit versus inferiora apud hominem, quod fiat impacificum & tumultuosum, propter inordinata ibi, n: 8823. Influxus Domini apud Prophetas, qualis, n: 6212.

Quod Influxus communis sit, de quo, n: 5850. Quod ille sit continuus conatus agendi secundum Ordinem, n: 6211. Quod ille Influxus sit in

vitas animalium, n: 5850. Et quoque in subjecta Regni vegetabilis, n: 3648. Quod etiam secundum Influxum communem cadat cogitatio in loquelam, & voluntas in gestus apud hominem, n: 5862. 5990. 6192. 6211.

278. *De Influxu vitæ apud hominem in specie.* Quod unica Vita sit, e qua omnes tam in Cœlo quam in Mundo vivunt, n: 1954. 2021. 2536. 2658. 2886 ad 2889. 3001. 3484. 3742. 5847. 6467. Quod illa Vita sit a Solo Domino, illustratum variis, n: 2886 ad 2889. 3344. 3484. 4319. 4320. 4524. 4882. 5986. 6325. 6468. 6469. 6470. 9276. 10196. Quod Dominus sit ipsa Vita, videatur Johan: I: 1. 4. Cap: V: 26. Cap: XIV: 6. Quod Vita a Domino influat apud Angelos, Spiritus & Homines mirabili modo, n: 2886 ad 2889. 3337. 3338. 3484. 3742. Quod Dominus influat ex Divino suo Amore, qui talis est, ut quod suum est velit esse alterius, n: 3742. 4320. Quod omnis amor talis sit, ita infinite magis Divinus Amor, n: 1820. 1865. 2253. 6872. Quod inde appareat vita sicut in homine, & non sicut influens, n: 3742. 4320. Quod vita appareat sicut in homine, est quoque quia causa principalis, quæ est vita a Domino, & causa instrumentalis quæ est forma recipiens, unam causam agunt, quæ sentitur in instrumentali, n: 6325. Quod præcipuum sapientiæ & intelligentiæ Angelorum sit percipere & scire, quod omne vitæ sit a Domino, n: 4318. De gaudio Angelorum percepto & confirmato per loquelam ad me, ex eo quod non vivant ex se sed ex Domino, n: 6469. Quod mali non velint convinci, quod vita influat, n: 3743. Quod dubia de Influxu vitæ a Domino non removeri possint, quamdiu fallaciæ, ignorantia, & negativum regnant, n: 6479. Quod omnes ab Ecclesia sciant, quod omne bonum & verum sit e Cœlo, hoc est, per Cœlum a Deo, & quod omne malum & falsum sit ab Inferno, & tamen omne vitæ se refert ad bonum & verum, & ad malum & falsum, usque adeo ut absque illis nihil vitæ sit, n: 2893. 4151. Quod id quoque dictet doctrinale Ecclesiæ quod ex Verbo, n: 4249. Quod nihilominus homo non credat, quod vita influat, n: 4249. Si communicatio & nexus auferretur cum spiritibus & angelis, quod homo ex tempore moreretur, n: 2887. Quod inde quoque pateat, quod omne vitæ a Primo Esse vitæ influat, quia nihil ex se, sed ex prioribus se exstitit, ita omnia & singula a Primo, & quia sicut exstitit etiam omnino subsistet, quoniam subsistentia est perpetua existentia, n: 4523. 5424. Quod Angeli, Spiritus & Homines creati sint ad recipiendum vitam, ita quod modo formæ recipientes vitæ sint, n: 2021. 3001. 3318. 3344. 3484. 3742. 4151. 5114. 5986. Quod tales formæ sint, qualiter recipiunt, n: 2888. 3001. 3484. 5847. 5986. 6467. 6472. Quod ideo homines, spiritus, & angeli tales sint, quales sunt formæ recipientes vitæ a Domino, n: 2888. 5847. 5986. 6467. 6472. Quod homo ita creatus sit, ut in intimis suis, & inde in subsequentibus ordine recipere possit Divinum, & elevari ad Divinum, & conjungi Divino per bonum amoris & vera fidei, & quod ideo vivat in æternum, secus ac bestiæ, n: 5114.

Quod vita a Domino etiam influat apud malos, ita quoque apud illos qui in Inferno sunt, n: 2706. 3743. 4417. 10196. Sed quod illi bonum vertant in malum,

malum, ac verum in falsum, ita vitam in mortem spiritualem, nam qualis homo talis receptio vitæ, n: 4319. 4320. 4417. Quod bona & vera, a Domino etiam jugiter apud illos influant, sed quod illa vel rejiciant, vel suffocent, vel pervertant, n: 3743. Quod illis, qui in malis & inde falsis sunt; non vita realis sit, qualis illa, n: 726. 4623. 4742. 10284. 10286.

279. *De Ordine*. Quod Divinum Verum procedens a Domino, sit a quo Ordo, & quod Divinum Bonum sit essentiale Ordinis, n: 1728. 2258. 8700. 8988. Quod Dominus sit Ordo, quoniam Divinum Bonum & Divinum Verum sunt a Domino, imo sunt Dominus in cœlis & in terris, n: 1919. 2011. 5110. 5703. 10336. 10619. Quod Divina Vera sint Leges ordinis, n: 2247. 7995. Ubi Ordo, quod ibi Dominus sit præsens, ubi autem non Ordo, quod ibi Dominus non sit præsens, n: 5703. Quoniam Divinum Verum est Ordo, ac Divinum Bonum essentiale Ordinis, quod ideo omnia & singula in universo se referant ad Bonum & Verum, ut sint aliquid, quia ad Ordinem, n: 2451. 3166. 4390. 4409. 5232. 7256. 10122. 10555. Quod Bonum, quia est essentiale Ordinis, disponat vera in Ordinem, & non vicissim, n: 3316. 3470. 4302. 5704. 5709. 6028. 6690. Quod Universum Cœlum, quoad omnes Societates angelicas, a Domino dispositum sit secundum Divinum suum Ordinem, quoniam Divinum Domini apud Angelos facit Cœlum, n: 3038. 7211. 9128. 9338. 10125. 10151. 10157. Quod inde Forma Cœli sit Forma secundum Divinum Ordinem, n: 4040 ad 4043. 6607. 9877.

Quod quantum homo secundum Ordinem vivit, ita quantum in bono secundum Divina Vera, quæ sunt leges Ordinis, tantum sit homo, n: 4839. Imo quantum ita vivit, quod tantum in altera vita appareat ut homo perfectus & pulcher, quantum autem non ita vivit, quod tantum appareat ut monstrum, n: 4839. 6605. 6626. Inde patet, quod homo sit, in quem omnia Ordinis Divini collata sunt, & quod ex creatione sit Divinus Ordo in forma, n: 4219. 4220. 4223. 4523. 4524. 5114. 5368. 6013. 6057. 6605. 6626. 9706. 10156. 10472. Quod unusquisque Angelus, quia est recipiens Divini Ordinis a Domino, sit in Humana forma, perfecta & pulchra secundum receptionem, n: 322. 1880. 1881. 3633. 3804. 4622. 4735. 4797. 4985. 5199. 5530. 6054. 9879. 10177. 10594. Quod etiam Cœlum Angelicum in toto complexu sit in forma sicut Homo, & hoc quia universum Cœlum quoad omnes Societates angelicas ibi a Domino dispositum est secundum Divinum Ordinem, n: 2996. 2998. 3624 ad 3649. 3636 ad 3643. 3741 ad 3745. 4625. Inde patet, quod Divinum Humanum sit a Quo omnia illa, n: 2996. 2998. 3624 ad 3649. 3741 ad 3745. Inde quoque sequitur, Quod Dominus sit Solus Homo, & quod illi homines sint, qui recipiunt Divinum ab Ipso, n: 1894. Quantum recipiunt, quod tantum imagines Domini sint, n: 8547.

Quod homo non nascatur in bonum & verum, sed in malum & falsum, ita non in Divinum Ordinem, sed in contrarium Ordini, & quod inde sit quod nascatur in meram ignorantiam, & quod ideo necessario e novo debeat nasci,

nasci, hoc est, regenerari, quod fit per Divina Vera a Domino, & per vitam secundum illa, ut in Ordinem inauguretur, & sic fiat homo, n: 1047. 2307. 2308. 3518. 3812. 8480. 8550. 10283. 10284. 10286. 10731. Quod Dominus, cum regenerat hominem, omnia apud illum disponat secundum ordinem, hoc est, secundum formam Cœli, n: 5700. 6690. 9931. 10303. Quod homo, qui ducitur a Domino, ducatur secundum Divinum Ordinem, n: 8512. Quod interiora, quæ mentis, aperta sint in Cœlum usque ad Dominum illi homini, qui in Divino ordine est, & clausa illi, qui non in Divino ordine, n: 8513. Quod quantum homo vivit secundum Ordinem, tantum ei intelligentia & sapientia, n: 2592.

Quod Dominus regat prima Ordinis & ultima, & quod prima ex ultimis & ultima ex primis, & quod sic omnia contineat in nexu & in ordine, n: 3702. 3739. 6040. 6056. 9828. De ordine successivo; & de Ultimo Ordinis, in quo successiva simul sunt etiam in suo ordine, n: 634. 3691. 4145. 5114. 5897. 6239. 6326. 6465. 8603. 9216. 9217. 9828. 9836. 10044. 10099. 10329. 10335.

Quod mala & falsa sint contra ordinem, & quod usque a Domino regantur, non secundum ordinem, sed ex ordine, n: 4839. 7877. 10778. Quod mala & falsa per leges permissionis regantur, & quod hoc sit propter ordinem, n: 7877. 8700. 10778. Quod impossibile sit quod contra Divinum Ordinem est, ut quod homo, qui in malo vivit, salvari possit ex sola Misericordia, tum quod in altera vita mali consociari possint bonis, & plura alia, n: 8700.



De

De Domino.

280. DEUS est unus, qui Creator Universi & Conservator Universi; ita qui Deus cœli & Deus terræ.

281. Sunt duo quæ faciunt vitam cœli apud hominem, Bonum amoris & Verum fidei; hæc vita est homini ex Deo, & prorsus nihil ex homine; quapropter primarium Ecclesiæ est, agnoscere Deum, credere in Deum, & amare Ipsum.

282. Qui intra Ecclesiam nati sunt, agnoscere debent Dominum, Divinum Ipsius & Humanum Ipsius, ac credere in Ipsum & amare Ipsum, nam a Domino omnis salus: hoc docet Dominus apud Johannem, "*Qui credit in Filium, habet Vitam æternam; qui vero non credit Filio, non videbit Vitam, sed ira Dei manet apud illum,*" III: 36. Apud Eundem, "*Hæc est voluntas Ipsius qui misit Me, ut omnis qui videt Filium, & credit in Ipsum, habeat vitam æternam, & resuscitabo illum in extremo die,*" VI: 40 Apud Eundem, "*Jesus dixit, Ego sum Resurrectio & Vita, qui credit in Me, etsi moritur, vivet; omnis vero qui vivit & credit in Me, non morietur in æternum,*" XI: 25. 26.

283. Quapropter illi, qui intra Ecclesiam non agnoscunt Dominum ac Ipsius Divinum, non possunt conjungi Deo, & sic non aliquam sortem habere cum Angelis in Cœlo: nemo enim conjungi potest Deo nisi a Domino & in Domino. Quod nemo possit conjungi Deo nisi a Domino, docet Dominus apud Johannem, "*Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ille exposuit,*" I: 20. Apud Eundem, "*Non vocem Patris audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis,*" V: 37. Apud Eundem, "*Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare,*" XI: 27. Et apud Eundem, "*Ego sum Via, Veritas, & Vita, nemo venit ad Patrem nisi per Me,*" XIV: 6. Quod nemo possit conjungi Deo nisi in Domino, est quia Pater est in Ipso, & unum sunt, sicut etiam docet apud Johannem, "*Si Me cognoscitis etiam Patrem meum cognoscitis: is qui Me videt, videt Patrem; Philippe, nonne credis, quod Ego in Patre, & Pater in Me; credite Mihi, quod Ego in Patre, & Pater in Me,*" XIV: 7 ad 11. Et apud Eundem, "*Pater & Ego unum sumus; cognoscatis & credatis quod Ego in Patre & Pater in Me,*" X: 30. 38.

284. Quia Pater in Domino est, ac Pater & Dominus unum sunt,

&

& quia credendum est in Ipsum, & qui credit in Ipsum vitam æternam habet, patet quod Dominus sit Deus: quod Dominus sit Deus, docet Verbum, ut apud Johannem, "*In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &* DEUS ERAT VERBUM: *omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil quod factum est: &* VERBUM CARO FACTUM EST, *& habitavit inter nos, & vidimus gloriam Ipsius, gloriam ut Unigeniti a Patre,*" I: 1. 3. 14. Apud Esaiam, "*Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super cujus humero Principatus, & vocabitur Nomen Ipsius,* DEUS, *Heros,* PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis,*" IX: 5. Apud Eundem, "*Virgo concipiet & pariet, & vocabitur Nomen Ipsius* DEUS NOBISCUM," VII: 14. Matth: I: 23. Et apud Jeremiam, "*Ecce dies venient, cum suscitabo Davidi germen justum, qui regnabit Rex, & prosperabitur; & hoc Nomen Ipsius quod vocabunt Ipsum,* JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA," XXIII: 5. 6. Cap: XXXIII: 15. 16.

285. Omnes qui ab Ecclesia sunt, & in luce e Cœlo, vident Divinum in Domino; at qui non in luce e Cœlo sunt, non vident nisi quam Humanum in Domino; cum tamen Divinum & Humanum in Ipso ita unita sunt, ut sint unum; sicut docuit Dominus etiam alibi apud Johannem, "*Pater, omnia mea Tua sunt, & omnia Tua Mea,*" XVII: 10.

286. Quod Dominus conceptus sit a Jehovah Patre, & sic a conceptione Deus, notum est in Ecclesia; & quoque quod resurrexerit cum toto Corpore, nam nihil reliquit in Sepulchro; de quo etiam postea confirmavit discipulos, dicendo, "*Videte manus meas & pedes meos, quod Ipse Ego sim; palpate Me & videte; nam Spiritus carnem & ossa non habet, sicut Me videtis habere,*" Luc: XXIV: 39: & tametsi fuit homo quoad carnem & ossa, usque intravit per fores clausas, ac postquam se manifestavit, invisibilis factus est, Joh: XX: 19. 26. Luc: XXIV: 3. Secus fit omni homini, homo enim modo quoad spiritum, & non quoad corpus resurgit; quare cum dixit, *quod non sit sicut spiritus*, dixit quod non sit sicut alius homo. Inde patet, quod etiam Humanum in Domino Divinum sit.

287. Omnis homo ex Patre habet suum Esse vitæ, quod vocatur Anima ejus, Existere vitæ inde est quod vocatur Corpus; inde Corpus est Effigies suæ Animæ, nam Anima per illud agit vitam suam ex nutu: inde est, quod homines nascantur in similitudinem suorum parentum, & quod familiæ internoscantur: exinde patet, quale Corpus seu quale Humanum Domino fuit, quod nempe sicut Ipsum Divinum,

quod fuit Esse vitæ Ipsius seu Anima ex Patre; quare dixit, "*Qui videt Me videt Patrem,*" Joh: XIV: 9.

288. Quod Divinum & Humanum Domini sit una Persona, est ex fide recepta in toto Christiano Orbe, quæ talis est, "*Quamvis Christus est Deus & Homo, usque tamen non est duo, sed unus Christus; imo est prorsus unus & unica Persona; quia sicut Corpus & Anima sunt unus homo, ita quoque Deus & Homo est unus Christus.*" Hæc e Symbolo Athanasii.

289. Qui de Divinitate ideam trium Personarum habent, non possunt ideam unius Dei habere; si ore dicunt unum, usque cogitant tres: at qui de Divinitate, ideam Trium in una Persona habent, illi possunt ideam unius Dei habere, ac dicere unum Deum, & quoque cogitare unum Deum.

290. Idea Trium in una Persona habetur, cum cogitatur quod Pater in Domino sit, & Spiritus Sanctus procedat ab Ipso; Trinum tunc in Domino est, Ipsum Divinum quod Pater vocatur, Divinum Humanum quod Filius, & Divinum Procedens quod Spiritus Sanctus.

291. Quia in Domino omne Divinum est, ideo Ipsi omnis Potestas in cœlis & in terris est; quod etiam Ipse dicit, apud Johannem, "*Pater dedit omnia in manum Filii,*" III: 35. Apud Eundem, "*Pater dedit Filio potestatem omnis carnis,*" XVII: 2. Apud Matthæum, "*Omnia Mihi tradita sunt a Patre,*" XI: 27. Apud Eundem, "*Data est Mihi omnis potestas in cælo & in terra,*" XXVIII: 16. Talis potestas Divinum est.

292. Qui faciunt Humanum Domini simile humano alius hominis, non cogitant de Conceptione Ipsius ex Ipso Divino: nec expendunt, quod Corpus cujusvis sit effigies suæ Animæ. Nec cogitant de Resurrectione Ipsius cum toto Corpore: neque de Ipso viso cum transformatus, quod splenduerit facies Ipsius sicut Sol. Nec cogitant de illis, quæ Dominus dixerat de fide in Ipsum, de uno cum Patre, de Glorificatione, deque Potestate super Cœlum & Terram, quod hæc Divina sint & dicta de Humano Ipsius. Nec recordantur, quod Dominus omnipræsens sit etiam quoad Humanum, Matth: XXVIII: 20, inde tamen fides Omnipræsentiæ Ipsius in Sacra Cœna; Omnipræsentia est Divina. Imo forte non cogitant, quod Divinum, quod vocatur Spiritus Sanctus, procedat ex Humano Ipsius; cum tamen procedit ex Ipsius Humano glorificato, nam dicitur, "*Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum glorificatus erat,*" Joh: VII: 39.

293. Dominus in mundum venit, ut salvaret Genus humanum, quod alioquin periisset morte æterna; & per id salvavit, quod subjugaverit Inferna, quæ infestabant omnem hominem venientem in mundum, & exeuntem e mundo; & simul per id quod glorificaverit Humanum suum; sic enim Inferna potest tenere subjugata in æternum. Subjugatio Infernorum, & simul Glorificatio Humani Ipsius, facta est per Tentationes in Humanum, quod ei fuit ex matre, admissas, & per continuas tunc Victorias: Passio Ipsius in cruce fuit ultima Tentatio & plena Victoria.

294. Quod Dominus subjugaverit Inferna docet Ipse apud Johannem, cum instabat Passio Crucis, tunc dixit Jesus, "*Nunc Judicium est Mundi hujus*, NUNC PRINCEPS MUNDI HUJUS EJICIETUR FORAS," XII: 27. 28. 31. Apud Eundem, "*Confidite* EGO VICI MUNDUM," XVI: 33. Et apud Esaiam, "*Quis hic venit ex Edom, incedens in multitudine roboris sui, Magnus ad salvandum; salutem præstitit Mihi brachium meum; ideo factus est illis in Salvatorem*," LXIII: 1 ad 20. Cap: LIX: 16 ad 21. Quod glorificaverit Humanum suum; & quod Passio crucis fuerit ultima Tentatio & plena Victoria, per quam glorificatus est, docet etiam apud Johannem, "*Postquam Judas exivit, dixit Jesus, nunc glorificatus est Filius hominis, & Deus glorificabit Ipsum in Se Ipso, & statim glorificabit Ipsum*," XIII: 31. 32. Apud Eundem, "*Pater, venit hora, glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet Te*," XVII: 1. 5. Apud Eundem, "*Nunc anima mea turbata est, Pater glorifica tuum Nomen; & exiit vox e Cælo, & glorificavi & rursus glorificabo*," XII: 27. 28. Et apud Lucam, "*Nonne hoc oportebat pati Christum, & ingredi in gloriam*." XXIV: 30. Hæc dicta sunt de Passione Ipsius: Glorificare est Divinum facere. Inde nunc constat, quod nisi Dominus in mundum venerit, & Homo factus sit, & eo modo liberaverit ab Inferno omnes illos qui credunt in Ipsum, & amant Ipsum, nullus mortalium salvari potuerit: ita intelligitur, quod absque Domino nulla salus.

295. Quum Dominus plene glorificavit Humanum suum, tunc exuit Humanum ex matre, & induit Humanum ex Patre, quod est Divinum Humanum: quare tunc non amplius Mariæ filius fuit.

296. Primum & Primarium Ecclesiæ est, cognoscere & agnoscere suum Deum; nam absque cognitione & agnitione illa non est conjunctio; ita in Ecclesia absque agnitione Domini; hoc docet Dominus apud Johannem, "*Qui credit in Filium, vitam æternam habet; qui vero non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet apud*

 illum,"

illum," III : 36. Et alibi, "*Nisi credideritis quod Ego sim, moriemini in peccatis vestris*," VIII : 24.

297. Quod Trinum in Domino sit, nempe Ipsum Divinum, Divinum Humanum, & Divinum procedens, est arcanum e Cœlo, & pro illis qui in Sancta Hierosolyma erunt.

Ex Arcanis Cœlestibus.

298. *QUOD Divinum Domino fuerit ex ipsa conceptione.* Quod Domino Divinum ex Patre fuerit, n: 4641. 4963. 8041. 5157. 6716. 10125. Quod Domino Soli fuerit semen Divinum, n: 1438. Quod Anima Ipsius fuerit Jehovah, n: 1999. 2004. 2005. 2018. 2025. Quod sic intimum Domini fuerit Ipsum Divinum, inductio a matre, n: 5041. Quod Ipsum Divinum fuerit Esse vitæ Domini, a Quo Humanum dein exivit, & factum est Existere ex illo Esse, n: 3194. 3210. 10270. 10372.

299. *Quod Divinum Domini agnoscendum sit.* Quod intra Ecclesiam, ubi est Verbum, & per id notus est Dominus, non negandum sit Divinum Domini, nec Sanctum procedens ab Ipso, n: 2359. Qui non agnoscunt Dominum intra Ecclesiam, quod eis non conjunctio sit cum Divino; aliter qui extra Ecclesiam sunt, n: 10205. Quod Essentiale Ecclesiæ sit agnoscere Divinum Domini, ac unitionem Ipsius cum Patre, n: 10083. 10112. 10370. 10728. 10730. 10816. 10817. 10818. 10820.

300. *Quod Dominus glorificaverit Humanum suum in mundo.* Quod in Verbo multis agatur de Glorificatione Domini, n: 10828. Et quod ubivis in sensu Verbi interno, n: 2249. 2523. 3245. Quod Dominus Humanum suum glorificaverit, non Divinum, quia Hoc in se glorificatum fuit, n: 10057. Quod Dominus in mundum venerit, ut glorificaret Humanum suum, n: 3637. 4286. 9315. Quod Dominus glorificaverit Humanum suum per Divinum, quod fuit in Ipso ex conceptione, n: 4727. Quod idea de Glorificatione Humani Domini haberi possit ex idea Regenerationis hominis, quoniam Dominus ita regenerat hominem sicut glorificavit Humanum suum, n: 3043. 3138. 3212. 3296. 3490. 4402. 5688. Aliqua de Arcanis circa glorificationem Humani Domini, n: 10057. Quod Dominus salvaverit Genus humanum per id quod glorificaverit Humanum suum, n: 1676. 4180. De statu Glorificationis & Humiliationis Domini, n: 1785. 1999. 2159. 6866. Glorificatio ubi de Domino, quod sit unitio Ipsius Humani cum Divino, & Glorificare quod sit Divinum facere, n: 1603. 10053. 10828.

301. *Quod Dominus ex Humano subjugaverit Inferna cum fuit in mundo.* Quod Dominus subjugaverit omnia Inferna, cum fuit in mundo, & quod redegerit tunc omnia in ordinem in Cœlis & Infernis, n: 4075. 4286. 9937. Quod Dominus liberaverit tunc Mundum spiritualem ab Antediluvianis, n: 1266. Quales illi fuerunt, n: 310. 311. 560. 562. 563. 570. 581. 607. 660. 805. 808. 1034. 1120. 1265 ad 1272. Quod Dominus per subjugationem Infernorum, & simul Glorificationem Humani sui salvaverit homines, n: 4180. 10019. 10152. 10655. 10659. 10828.

302. *Quod Glorificatio Humani Domini, & subjugatio Infernorum facta sit per Tentationes.* Quod Dominus præ omnibus gravissimas Tentationes subiverit, n: 1663. 1668. 1787. 2776. 2786. 2795. 2816. 4295. 9528. Quod Dominus ex Divino Amore erga Genus humanum, pugnaverit, n: 1690. 1691. 1812. 1813, 1820. Quod Domini Amor fuerit Salus Generis humani, n: 1820. Quod Inferna contra Amorem Domini pugnaverint, n: 1820. Quod Dominus Solus & ex propria potentia contra Inferna pugnaverit, & illa vicerit, n: 1692. 1813. 2816. 4295. 8273. 9937. Quod inde Dominus Justitia & Meritum factus sit Solus, n: 1813. 2025. 2026. 2027. 9715. 9809. 10019. Quod Tentatio Domini ultima fuerit in Gethsemane & in Cruce, & tunc quoque plenaria Victoria, per quam subjugavit Inferna, & simul glorificavit Humanum suum, n: 2276. 2803. 2813. 2814. 10655. 10659. 10829. Quod Dominus non potuerit quoad Ipsum Divinum tentari, n: 2795. 2803. 2813. 2814. Quod ideo assumserit humanum ex matre infirmum, in quod admisit tentationes, n: 1414. 1444. 1573. 5041. 5157. 7193. 9315. Quod per Tentationes & Victorias expulerit omne hæreditarium ex matre, & exuerit humanum ex illa, usque tandem ut amplius non filius ejus esset, n: 2159. 2574. 2649. 3036. 10829. Quod Jehovah, Qui in Ipso, in Tentationibus apparuerit sicut absens, & hoc quantum fuit in Humano ex matre, n: 1815. Quod is status fuerit status humiliationis Domini, n: 1785. 1999. 2159. 6866. Quod Dominus per Tentationes & Victorias etiam disposuerit omnia in ordinem in cœlis, n: 4287. 9397. 9528. 9937. Quod etiam per easdem univerit Humanum suum Divino, hoc est, Humanum suum glorificaverit, n: 1725. 1729. 1733. 1737. 3318. 3381. 3382. 4286. 4287. 9397. 9528. 9937.

303. *Quod Humanum Domini fuerit Divinum Verum cum in Mundo.* Quod Dominus Humanum suum fecerit Divinum Verum, ex Divino Bono quod in Ipso, cum fuit in Mundo, n: 2803. 3194. 3195. 3210. 6716. 6864. 7014. 7499. 8127. 8724. 9199. Quod Dominus tunc disposuerit apud se omnia in formam cœlestem, quæ est secundum Divinum Verum, n: 1928. 3633. Consequenter quod Cœlum tunc fuerit in Domino, ac Dominus ut Cœlum, n: 911. 1900. 1982. 3624 ad 3631. 3634. 3884. 4041. 4279. 4523. 4524. 4525. 6013. 6057. 6690. 9279. 9632. 9931. 10303. Quod Dominus loquutus sit ex ipso Divino Vero,

 n.: 8127.

n: 8127. Quod ideo Dominus in Verbo loquutus sit per correspondentias, n: 3131. 3472 ad 3485. 8615. 10687. Quod inde Dominus sit Verbum, & dicatur Verbum, quod est Divinum Verum, n: 2533. 2818. 2859. 2894. 3393. 3712. Quod in Verbo Filius hominis significet Divinum Verum, ac Pater Divinum Bonum, n: 2803. 3704. 7499. 8724. 9194. Quia Dominus fuit Divinum Verum, quod fuerit Divina Sapientia, n: 2500. 2527. Quod Perceptio & Cogitatio Domino Soli fuerit ex Se Ipso, & supra omnem perceptionem & cogitationem Angelicam, n: 1904. 1914. 1915. Quod Verum Divinum potuerit tentari, non autem Divinum Bonum, n: 2814.

304. *Quod Dominus univerit Divinum Verum Divino Bono, ita Humanum suum Ipsi Divino.* Quod Dominus sicut alius homo instructus sit, n: 1457. 1461. 2523. 3030. Quod Dominus successive progressus sit ad unionem cum Patre, n: 1864. 2033. 2632. 3141. 4585. 7014. 10076. Quod quantum Dominus unitus est Patri, tantum loquutus sit ut cum Se Ipso, & quod alioquin sicut cum alio, n: 1745. 1999. 7058. Quod Dominus ex propria potentia univerit Humanum Divino, n: 1616. 1749. 1753. 1813. 1921. 2025. 2026. 2523. 3141. 5005. 5045. 6716. Quod Dominus univerit Divinum Verum, quod Ipse, cum Divino Bono quod in Ipso, n: 10047. 10052. 10076. Quod unitio reciproca fuerit, n: 2004. 10067. Quod Dominus cum e mundo abivit, Humanum suum fecerit Divinum Bonum, n: 3194. 3210. 6864. 7499. 8724. 9199. 10076. Ita quod exiverit ex Patre, & quod redierit ad Patrem, n: 3194. 3210. Quod sic unus factus sit cum Patre, n: 2751. 3704. 4766. Quod Dominus in unitione cum Ipso Divino, quod erat in Ipso, spectaverit sui conjunctionem cum Genere humano, n: 2034. Quod post unitionem, Divinum Verum procedat a Domino, n: 3704. 3712. 3969. 4577. 5704. 7499. 8127. 8241. 9199. 9398. Quomodo Divinum Verum procedit, illustratum, n: 7270. 9407.

Nisi Divinum fuisset in Humano Domini ex conceptione, quod Humanum non potuisset uniri Ipsi Divino, ob ardorem Infiniti Amoris, in quo est Ipsum Divinum, n: 6849. Quod ideo nusquam aliquis Angelus uniri possit Ipsi Divino, nisi ad distantiam & per obvelationem, quod alioquin consumeretur, n: 6849. Quod Divinus Amor talis sit, n: 8644. Inde constare potest, quod Humanum Domini non fuerit sicut humanum alius hominis, n: 10125. 10826. Quod unio Ipsius cum Patre, ex Quo Anima Ipsius, non fuerit sicut inter duos, sed sicut inter Animam & Corpus, n: 3737. 10824. Quod Unio dicatur de Humano Domini cum Divino, at conjunctio de homine cum Divino, n: 2021.

305. *Quod sic Dominus Humanum suum Divinum fecerit.* Quod Humanum Domini sit Divinum, quia ex Esse Patris quod Ipsi Anima, illustratum per similitudinem patris in liberis, n: 10270. 10372. 10823. Et quia ex Divino Amore, qui in Ipso, n: 6872. Quod unusquisque

quisque homo sit talis qualis ejus amor, & quod sit suus amor, n: 6872. 10177. 10284. Quod Dominus fuerit Divinus Amor, n: 2077. 2253. Quod Dominus omne Humanum tam Internum quam Externum, fecerit Divinum, n: 1603. 1815. 1902. 1926. 2093. 2803. Quod ideo quoad totum Corpus resurrexerit, secus ac ullus homo, n: 1729. 2083. 5078. 10825. Quod Humanum Domini sit Divinum, agnoscitur ex Omnipræsentia Humani Ipsius in Sacra Cœna, n: 2343. 2359. Et quod pateat ex transformatione Ipsius coram tribus discipulis, n: 3212. Et quoque ex Verbo, n: 10154. Et quod dicatur ibi Jehovah, n: 1603. 1736. 1815. 1902. 2921. 3035. 5110. 6303. 6281. 8864. 9194. 9315. Quod in sensu literæ distinguatur inter Patrem & Filium, seu Jehovam & Dominum, sed non in sensu Verbi interno, in quo sunt Angeli Cœli, n: 3035. Quod Christianus Orbis Humanum Domini non Divinum agnoscat, quod factum sit in Concilio propter Papam, ut pro Vicario Ipsius agnosceretur, ex loquela cum illis in altera vita, n: 4738.

Quod Divinum Humanum ab æterno fuerit Divinum Verum in Cœlo, ita Divinum Existere, quod postea in Domino factum est Divinum Esse, a Quo Divinum Existere in Cœlo, n: 3061. 6280. 6880. 10579. Status Cœli prius, qualis, n: 6371. 6372. 6373. Quod Divinum non perceptibile ita nec receptibile fuerit, nisi cum transivit Cœlum, n: 6982. 6996. 7004. Quod Dominus ab æterno, fuerit Divinum Verum in Cœlo, n: 2803. 3195. 3704. Quod id sit Filius Dei natus ab æterno, n: 2628. 2798.

Quod in Cœlo non aliud Divinum percipiatur quam Divinum Humanum, n: 6475. 9303. 9267. 10067. Quod Antiquissimi non adorare potuerint Infinitum Esse, sed Infinitum Existere, quod est Divinum Humanum, n: 4687. 5321. Quod Antiqui agnoverint Divinum, quia apparuit in Humana forma, & quod hoc fuerit Divinum Humanum, n: 5110. 5663. 6846. 10737. Quod Incolæ omnium Tellurum adorent Divinum sub Humana forma; & quod gaudeant cum audiunt, quod Deus actualiter Homo factus sit, n: 6700. 8541 ad 8547. 9361. 10736. 10737. 10738; *videatur in Opusculo de Telluribus in Mundo nostro Solari, & in Cœlo astrifero.* Quod de Deo nisi in Humana forma non cogitari possit, & quod incomprehensibile est, in nullam ideam cadat, n: 9359. 9972. Quod homo colere possit, de quo aliquam ideam habet, & non de quo nullam, n: 4733. 5110. 5633. 7211. 9267. 10667. Quod ideo a plerisque in universo terrarum Orbe Divinum colatur sub Humana forma, & quod id sit per influxum e Cœlo, n: 10159. Quod omnes qui in bono sunt quoad vitam, cum cogitant de Domino, de Divino Humano cogitent, & non de Humano separato a Divino, n: 2326. 4724. 4731. 4766. 8878. 9193. 9198. Quod cogitent de Humano Domini absque Divino hodie in Ecclesia illi qui in malo quoad vitam sunt, tum qui in fide separata a charitate, & quoque quod non capiant quid Divinum Humanum, causæ, n: 3212. 3241. 4689. 4692. 4724. 4731. 5321. 6372. 8878. 9193. 9198.

306. *Quod Trinum sit in Domino.* Quod Christiani in altera vita explorati sint, qualem ideam de Deo uno haberent, & compertum, quod haberent ideam trium deorum, n: 2329. 5256. 10736. 10737. 10738. 10821. Quod Trinum Divinum in una Persona concipi possit, & sic unus Deus, non autem in tribus Personis, n: 10738. 10821. 10824. Quod Trinum in una Persona, ita in Domino, sit Ipsum Divinum quod Pater vocatur, Divinum Humanum quod Filius, ac Divinum Procedens quod Spiritus Sanctus, & quod sic Trinum sit Unum, n: 2149. 2156. 2288. 2321. 2329. 2447. 3704. 6993. 7182. 10738. 10822. 10823. Quod Divinum Trinum in Domino agnoscatur in Cœlo, n: 14. 15. 1729. 2005. 5256. 9303. Quod Dominus unus sit cum Patre, ita Ipsum Divinum & Divinum Humanum, n: 1729. 2004. 2005. 2018. 2025. 2751. 3704. 3736. 4706. Quod Divinum Ipsius procedens sit etiam Divinum Ipsius in Cœlo, quod Spiritus Sanctus vocatur, n: 3969. 4673. 6788. 6993. 7499. 8127. 8302. 9199. 9228. 9229. 9270. 9407. 9818. 9820. 10330. Ita quod Dominus sit Solus & unicus Deus, n: 1607. 2149. 2156. 2329. 2447. 2751. 3194. 3704. 3712. 3939. 4577. 4687. 5321. 6280. 6371. 6849. 6993. 7014. 7091. 7182. 7209. 8241. 8724. 8763. 8864. 8865. 9194. 9303.

307. *De Domino in Cœlo.* Quod Dominus appareat in Cœlo ut Sol & ut Luna, ut Sol illis qui in Regno Cœlesti, ac ut Luna illis qui in Regno spirituali, n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 3636. 3643. 4321. 5097. 7078. 7083. 7173. 7270. 8812. 10809. Quod Lux, quæ procedit ex Domino ut Sole, sit Divinum Verum, ex quo omnis sapientia & intelligentia Angelis, n: 1053. 1521 ad 1533. 2776. 3138. 3195. 3222. 3223. 3225. 3399. 3341. 3636. 3643. 3993. 4180. 4302. 4415. 5400. 9399. 9407. 9548. 9571. 9684. Et quod Calor, qui procedit ex Domino ut Sole, sit Divinum Bonum ex quo Amor Angelis, n: 3338. 3636. 3643. 5215. Quod Ipsum Divinum Domini sit longe supra Divinum Ipsius in Cœlo, n: 7270. 8760. Quod Divinum Verum non sit in Domino, sed quod procedat ex Domino, sicut Lux non est in Sole sed ex sole, n: 3969. Quod in Domino sit Esse, & a Domino Existere, n: 3938. Quod Dominus sit Centrum commune, ad quod omnes Angeli in Cœlo se vertunt, n: 3633. 9828. 10130. 10189. Quod tamen Angeli se non vertant ad Dominum, sed quod Dominus illos vertat ad Se, n: 10189: quia non est præsentia Angelorum apud Dominum, sed Domini apud Angelos, n: 9415. Quod præsentia Domini apud Angelos se habeat secundum receptionem boni amoris & charitatis ab Ipso, n: 904. 4198. 4206. 4211. 4320. 6280. 6832. 7042. 8819. 9680. 9682. 9683. 10106. 10811. Quod Dominus præsens sit apud omnes in Cœlo, & quoque in Inferno, n: 2766. Quod Dominus ex Divino Amore velit adducere omnes homines ad Se in Cœlum, n: 6645. Quod Dominus sit in continuo conatu conjunctionis cum homine, sed quod influxus & conjunctio impediatur per proprios hominis amores, n: 2041. 2053. 2411. 5696.

Quod

Quod Divinum Humanum Domini influat in Cœlum & faciat Cœlum, quodque nulla conjunctio cum Ipso Divino sit in Cœlo, sed cum Divino Humano, n: 3038. 4211. 4724. 5633. Et quod Divinum illud influat e Cœlo & per Cœlum apud homines, n: 1925. Quod Dominus sit omne Cœli, & quod sit vita Cœli, n: 7211. 9128. Quod Dominus in Suo habitet apud Angelos, n: 9338. 10125. 10151. 10157. Inde, quod qui in Cœlo sunt, in Domino sint, n: 3637. 3638. Quod Cœlum correspondeat Divino Humano Domini, & quod Homo quoad omnia & singula Cœlo, & quod inde Cœlum in communi sit sicut unus Homo, qui ideo Maximus Homo vocatur, n: 2948. 2996. 3624 ad 3649. 3636 ad 3643. 3741 ad 3745. 4625. Quod Dominus sit Solus Homo, & quod illi modo homines sint qui recipiunt Divinum ab Ipso, n: 1894. Quod quantum recipiunt, tantum imagines Domini sint, n: 8547. Quod Angeli sint formæ amoris & charitatis in humana forma, & quod hoc a Domino, n: 3804. 4735. 4797. 4985. 5199. 5530. 9879. 10177.

308. *Quod a Domino omne Bonum & Verum.* Quod Dominus sit Ipsum Bonum & Ipsum Verum, n: 2011. 5110. 10336. 10619. Quod a Domino omne Bonum & Verum, proinde omnis Pax, Innocentia, Amor, Charitas, Fides, n: 1614. 2016. 2751. 2882. 2883. 2891. 2892. 2904. Et quod omnis Sapientia & Intelligentia, n: 109. 112. 121. 124. Quod a Domino nihil nisi quam bonum veniat, at quod mali vertant bonum quod a Domino in malum, n: 7643. 7679. 7710. 8632. Quod Angeli sciant, quod omne bonum & verum sit a Domino, sed quod mali hoc non scire velint, n: 6193. 9128. Quod Angeli ex præsentia Domini plus in bono sint, at infernales ex præsentia Domini plus in malo, n: 7989. Quod mali conjiciant se in Infernum ex sola præsentia Domini, n: 8137. 8266. Quod Dominus judicet omnes ex bono, n: 2335. Quod Dominus omnes aspiciat ex Misericordia, n: 223. Quod Dominus nusquam alicui irascatur, non alicui malum faciat, & non aliquem in Infernum mittat, n: 245. 1683. 2335. 8632. Quomodo intelligendum est, quod in Verbo dicatur, quod Jehovah seu Dominus irascatur, occidat, conjiciat in infernum, & plura similia, n: 592. 696. 1093. 1874. 1875. 2395. 2447. 3605. 3607. 3614. 6073. 6997.

309. *Quod Domino sit omnis Potestas in Cœlis & in Terris.* Quod universum Cœlum Domini sit, n: 2751. 7086. Et quod Ipsi potestas in cœlis & in terris sit, n: 1607. 10089. 10827. Quia Dominus regit universum Cœlum, quod etiam regat omnia quæ inde pendent, ita omnia in Mundo, n: 2026. 2027. 4523. 4524. Quod etiam regat Inferna, n: 3643. Quod Dominus omnia ex Divino per Divinum Humanum regat, n: 8864. 8865. Quod Dominus regat omnia secundum Divinum Ordinem, & quod Divinus Ordo se referat ad illa quæ sunt Voluntatis Ipsius, ad illa quæ fiunt ex Venia, & ad illa quæ fiunt ex Permissione, n: 1755. 2447. 3074. 9948; de Ordine vide supra n: 238. Quod Dominus

regat ultima ex primis, & prima ex ultimis, & quod inde sit quod dicatur Primus & Ultimus, n: 3702. 6040. 6056. Quod Domino Soli sit potentia removendi Inferna, detinendi a malis, ac tenendi in bono, ita salvandi, n: 10019. Quod Domino sit Judicium, n: 2319. 2320. 2321. 10810. 10811. Quid Sacerdotale Domini, & quid Regium Ipsius, n: 1728. 2015.

310. *Quædam de Domino in Verbo, quomodo intelligenda.* Quid Semen mulieris, in Prophetico de Domino, n: 256. Quid significat Filius hominis & Filius Dei in Verbo, n: 2159. 2813. Quid significant bina Nomina Jesus Christus, n: 3004 ad 3011. Quid significat, quod de Domino dicatur Missus a Patre, n: 2397. 6831. 10561. Quomodo intelligendum est, quod Dominus portaverit omnium iniquitates, n: 9937. Quomodo intelligendum est, quod Dominus redemerit hominem per sanguinem suum, n: 10152. Quomodo intelligendum est, quod Dominus impleverit omnia legis, n: 10239. Quomodo intelligendum est, quod Dominus intercedat pro homine, n: 2250. 8573. 8705. Quomodo intelligendum est, quod absque Domino nulla salus, n: 10828. Quod non sit salvatio per intuitionem Patris seu per precationem ad Ipsum, ut misereatur propter Filium; Dominus enim dicit, "*Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem nisi per Me,*" Joh: XIV: 6. n: 2854. Contradictoria quæ involvit recepta fides, quod Dominus per Passionem crucis reconciliaverit Humanum Genus Patri, n: 10659. Quod Adventus Domini sit præsentia Ipsius in Verbo, n: 3900. 4060. Quod Dominus non velit gloriam ab homine propter Se, sed propter hominis salutem, n: 5957. 10646. Quod Dominus in Verbo, ubi Dominus nominatur, significet Divinum Bonum, n: 4973. 9167. 9194. Quod ubi Christus, significet Divinum Verum, n: 3008. 3004. 3005. 3009.

Quod vera agnitio & verus cultus Domini sit facere præcepta Ipsius, ostensum ex Verbo, n: 10143. 10153. 10578. 10645. 10829.



De

De Regimine Ecclesiastico & Civili.

311. SUNT duo, quæ apud homines in ordine erunt, nempe quæ Cœli sunt, & quæ Mundi: illa quæ Cœli sunt, vocantur Ecclesiastica, quæ Mundi sunt, vocantur Civilia.

312. Ordo non potest teneri in Mundo absque Præfectis, qui observaturi omnia quæ secundum ordinem, & quæ contra ordinem fiunt; & qui remuneraturi illos qui secundum ordinem vivunt, & punituri illos qui contra ordinem; si id non fit, peribit Genus humanum; nam cuivis ex hæreditario connatum est velle imperare aliis, ac possidere bona aliorum, unde inimicitiæ, invidiæ, odia, vindictæ, doli, sævitiæ, & plura alia mala; quapropter nisi in vinculis teneantur per leges, & per remunerationes convenientes amoribus illorum, quæ sunt honores & lucra, pro illis qui bona faciunt, ac per punitiones contrarias amoribus illis, quæ sunt jacturæ honorum, possessionum, & vitæ, pro illis qui mala faciunt, periturum esset Genus humanum.

313. Erunt itaque Præfecti, qui Cætus hominum tenebunt in ordine, qui legisperiti, sapientes, & timentes Deum. Inter Præfectos etiam erit ordo, ne aliquis ex lubitu aut inscitia permittat mala contra ordinem, & sic destruat illum, quod cavetur cum Præfecti superiores & inferiores sunt, inter quos subordinatio.

314. Præfecti super illa apud homines quæ Cœli sunt, seu super Ecclesiastica, vocantur Sacerdotes, ac munus eorum Sacerdotium. Præfecti autem super illa apud homines quæ Mundi sunt, seu super Civilia, vocantur Magistratus, ac Summus eorum, ubi talia Imperia, Rex.

315. Quod concernit Sacerdotes, docebunt illi homines viam ad Cœlum, & quoque ducent illos; docebunt illos secundum Ecclesiæ suæ doctrinam ex Verbo, ac ducent ut vivant secundum illam. Sacerdotes, qui docent vera, & per illa ducunt ad bonum vitæ, & sic ad Dominum, sunt Pastores ovium boni; qui autem docent, & non ducunt ad bonum vitæ, & sic ad Dominum, sunt Pastores mali.

316. Sacerdotes non sibi aliquam potestatem super animas hominum vindicabunt, quia non sciunt in quo statu sunt interiora hominis; minus sibi vindicabunt potestatem aperiendi & claudendi Cœlum, quoniam ea potestas est Solius Domini.

317. Sacerdotibus erit dignitas & honor propter Sancta quæ obeunt; sed qui sapiunt, dant honorem Domino a Quo Sancta, & non sibi; qui autem non sapiunt, tribuunt honorem sibi; hi illum adimunt Domino. Qui honorem tribuunt sibi propter Sancta quæ obeunt, illi

 præferunt

præferunt honorem & lucrum saluti animarum, cui consulent; qui autem honorem dant Domino & non sibi, illi præferunt salutem animarum honori & lucro. Nullus honor alicujus functionis in persona est, sed ei adjungitur secundum dignitatem rei quam administrat; & quod adjungitur, hoc non ipsius personæ est, & quoque separatur cum functione: honor in persona est honor sapientiæ & timoris Domini.

318. Sacerdotes populum docebunt, ac ducent per vera ad bonum vitæ, sed usque nullum cogent, quoniam nullus cogi potest ad credendum contra id quod cogitavit ex corde esse verum; qui aliter credit quam Sacerdos, & non turbas facit, relinquetur in pace; at qui turbas facit, separabitur; nam hoc etiam est ordinis, propter quem Sacerdotium.

319. Sicut Sacerdotes præfecti sunt ad administrandum illa, quæ Legis Divinæ & Cultus sunt, ita Reges & Magistratus ad administrandum illa quæ Legis Civilis & Judicii sunt.

320. Quia Rex non solus potest administrare omnia, ideo sunt Præfecti sub illo, quorum unicuivis data est provincia administrandi quod Rex non potest & valet; hi Præfecti simul sumti constituunt Regium, sed ipso Rex est Summus.

321. Ipsum Regium non est in persona, sed adjunctum est personæ: Rex qui credit quod Regium sit in sua persona, & Præfectus qui credit quod præfecturæ dignitas sit in sua persona, non sapit.

322. Regium consistit in administrando secundum leges Regni, & in judicando secundum illas ex justo: Rex qui spectat Leges supra se, is sapit, qui autem spectat se supra leges, is non sapit. Rex qui spectat Leges supra se, is Regium ponit in Lege, & Lex dominatur super illum, scit enim quod Lex sit Justitia, & omnis Justitia quæ justitia est Divina: qui autem spectat se supra leges, is Regium ponit in se, & credit se vel esse Legem, vel Legem quæ Justitia esse a se; inde, quod Divinum est, sibi arrogat, sub quo tamen erit.

323. Lex quæ Justitia a Legisperitis sapientibus & timentibus Deum in Regno ferenda est, secundum quam dein & Rex & subditi vivent: Rex qui secundum Legem latam vivit, & in eo præcedit subditis exemplo, is vere Rex est.

324. Rex, cui absoluta potestas, qui credit quod subditi ejus tales servi sint, ut jus habeat in eorum possessiones & vitas, & si id exercet, non Rex est sed Tyrannus.

325. Regi erit obedientia secundum leges Regni, nec factis & dictis ullo modo lædendus; inde enim pendet Securitas publica.

FINIS.

DE

ULTIMO JUDICIO,

ET DE

Babylonia Deſtructa:

ITA

Quod omnia, quæ in Apocalypſi prædicta ſunt, hodie impleta ſint.

EX

Auditis & Viſis.

Andr. Knös.



LONDINI:

MDCCLVIII.



DE ULTIMO JUDICIO, ET Babylonia Deſtructa:

Quod Interitus Mundi non intellectus ſit per diem Ultimi Judicii.

1. QUI non noverunt ſenſum ſpiritualem Verbi, non aliud intellexerunt, quam quod die Ultimi Judicii interitura ſint omnia quæ in Mundo coram oculis apparent, nam dicitur, quod tunc periturum Cœlum cum terra, & quod Deus novum Cœlum & novam Terram creaturus: in hac opinione etiam ſe confirmaverunt per id quod dicatur quod omnes tunc e ſepulchris aſcenſuri ſint, & quod tunc ſeparandi ſint boni a malis, & ſic porro: ſed ita dicitur in ſenſu literæ Verbi, quia ſenſus literæ Verbi eſt naturalis & in ultimo Ordinis Divini, ubi omnia & ſingula ſenſum ſpiritualem in ſe continent; quapropter qui Verbum ſolum ſecundum ſenſum literæ comprehendit, is ferri poteſt in varias opiniones, ut quoque factum eſt in Orbe Chriſtiano, ubi inde tot Hæreſes ſunt, & unaquævis confirmatur ex Verbo. Sed quia nemo adhuc noverat, quod omnibus & ſingulis Verbi inſit ſenſus ſpiritualis, ne quidem quid ſenſus ſpiritualis, ideo ignoſcendi ſunt, qui hanc opinionem de Ultimo Judicio captaverunt; at uſque nunc ſciant, quod non Cœlum coram oculis aſpectabile periturum ſit, neque

Terra habitabilis, ſed quod utrumque permanſurum ſit; & quod per Novum Cœlum & Novam Terram intellecta ſit Nova Eccleſia, tam in Cœlis quam in Terris: Nova Eccleſia in Cœlis dicitur, quia ibi æque Eccleſia eſt prout in Terris; ibi namque æque eſt Verbum, & æque ſunt Prædicationes, & ſimilis Cultus Divinus ſicut in terris; ſed cum differentia, quod ibi omnia ſint in perfectiori ſtatu, quia ibi non ſunt in Mundo naturali ſed in ſpirituali; inde omnes ibi ſunt ſpirituales homines, & non naturales ſicut fuerunt in Mundo. Quod ita ſit, videatur in Opere de Cœlo; & in ſpecie ibi de Conjunctione Cœli cum homine per Verbum, n: 303 ad 310: & de Cultu Divino in Cœlo, n: 221 ad 227, actum eſt.

2. Loca in Verbo, ubi dicitur de Interitu Cœli & Terræ, ſunt ſequentia, "*Attellite in Cœlum oculos veſtros, & intuemini in terram deorſum; Cœli velut fumus interituri ſunt, & Terra ut pannus veteratura,*" Eſai: LI: 6. "*Ecce Ego creaturus ſum Cœlos novos, & Terram novam; nec commemorabuntur priora,*" Eſai: LXV: 17. "*Cœlos novos & Terram novam facturus ſum,*" Eſai: LXVI: 22. "*Stellæ Cœli ceciderunt in terram, & Cœlum abſceſſit ſicut liber qui convolvitur,*" Apoc: VI: 13. 14. "*Vidi Thronum magnum, & Quendam inſidentem, a cujus aſpectu fugit Terra & Cœlum, quorum locus non inventus eſt,*" Apoc: XX: 11. "*Vidi Cœlum novum & Terram novam, primum Cœlum & prima Terra abierat,*" Apoc: XXI: 1. In his locis per novum Cœlum non intelligitur Cœlum coram oculis noſtris aſpectabile, ſed ipſum Cœlum, ubi Humanum genus collectum eſt; ex omni enim Genere humano, uſque ab inchoatione Eccleſiæ Chriſtianæ, collectum eſt Cœlum, ſed qui ibi fuerunt non fuerunt Angeli, verum Spiritus ex varia religione; hoc Cœlum intelligitur per Primum Cœlum quod periturum: ſed quomodo cum his ſe habet, in ſequentibus in ſpecie dicetur; hic ſolum id memoratur, ut ſciatur quid per Primum Cœlum quod periturum, intelligitur. Quiſque etiam qui ex ratione aliqua illuſtrata cogitat, percipere poteſt, quod non Cœlum ſidereum, tam immenſum Firmamentum Creationis, intellectum ſit, ſed quod Cœlum in ſpirituali ſenſu ubi Angeli & Spiritus.

3. Quod per Novam Terram intelligatur Nova Eccleſia in terris, hactenus ignotum fuit, quoniam unuſquiſque per Terram in Verbo intellexerat terram, cum tamen per illam intelligitur Eccleſia; in ſenſu naturali terra eſt terra, ſed in ſenſu ſpirituali eſt Eccleſia, cauſa eſt, qui illi, qui in ſpirituali ſenſu ſunt, hoc eſt, qui ſpirituales ſunt prout ſunt Angeli, cum nominatur terra in Verbo, non intelligunt ipſam terram, ſed gentem quæ ibi, & ejus Divinum cultum, inde eſt quod per Terram ſignificetur Eccleſia; quod ita ſit videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS infra *(a)*. Unum alterumve locum ex Verbo velim adducere, ex quibus comprehendi aliquatenus poteſt, quod per Terram ſignificetur Eccleſia. "*Cataractæ ab alto apertæ ſunt, & concuſſa ſunt fundamenta terræ; confringendo confracta eſt terra; commovendo commota eſt terra; nutando nutat terra ſicut ebrius; vacillat ſicut tugurium; & gravis ſuper illam prævaricatio ejus,*" Eſai: XXIV: 18. 19. 20. "*Rarum reddam hominem præ auro puro; propterea commovebo Cœlum, & commovebitur terra e loco ſuo,*

in

in die excandescentiæ iræ Jehovæ," Esai : XIII : 12. 13. "*Coram Ipso commota est terra; contremuerunt cœli, sol & luna atrati sunt, & stellæ contraxerunt splendorem suum,"* Joel : II : 10. "*Concussa & commota est terra, & fundamenta montium trepidarunt, & concussa sunt,"* Psalm : XVIII : 7. 8 : & in perpluribus aliis locis.

4. Per Creare etiam in sensu spirituali Verbi significatur formare, instaurare, & regenerare, ita per creare Novum Cœlum & Novam Terram significatur instaurare Novam Ecclesiam in Cœlo & in Terra; ut constare potest ex his locis, "*Populus, qui creabitur, laudabit Jah,"* Psalm : CII : 19. "*Emittis spiritum, creantur, & renovas facies terræ,"* Psalm : CIV : 30. "*Sic dixit Jehovah, Creator tuus Jacob, Formator tuus Israel, nam redemi te, & vocavi nomine tuo, Mihi tu; omnem vocatum a Nomine Tuo, & in gloriam meam creavi, formavi eum, etiamque feci eum,"* Esai : XLIII : 1. 7 : præter alibi; inde est, quod nova Creatio hominis sit reformatio ejus, quoniam novus fit, nempe ex naturali spiritualis; & inde est quod nova creatura sit homo reformatus *(b)*.

5. De Sensu spirituali Verbi, videatur in Opusculo de Equo Albo, de quo in Apocalypsi.

Ex Arcanis Cœlestibus *(a)* Quod per Terram in Verbo significetur Regnum Domini & Ecclesia, n : 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 1607. 2928. 3355. 4447. 4535. 5577. 8011. 9325. 9643. Ex causa imprimis, quia per terram intelligitur terra Canaan, & ibi fuerat Ecclesia ab Antiquissimis temporibus; inde quoque est quod Cœlum dicatur cœlestis Canaan, n : 567. 3686. 4447. 4454. 4516. 4517. 5136. 6516. 9325. 9327. Et quia in spirituali sensu per terram intelligitur Gens quæ ibi, & ejus Cultus, n : 1262. Quod inde terra significet varia, quæ sunt Ecclesiæ, n : 620. 636. 1067. 2571. 3368. 3379. 3404. 8732. Populus terræ quod sint qui ab Ecclesia spirituali, n : 2928. Terræ motus quod sit mutatio status Ecclesiæ, n : 3355. Quod Novum cœlum & nova terra significet Ecclesiam, n : 1733. 1850. 2117. 2118. 3355. 4535. 10373.

Quod Antiquissima Ecclesia, quæ fuit ante diluvium, & Antiqua Ecclesia quæ fuit post diluvium, fuerint in terra Canaane, n : 567. 3686. 4447. 4454. 4516. 4517. 5136. 6516. 9327. Quod tunc omnia loca ibi facta sint repræsentativa talium quæ in Regno Domini & Ecclesia, n : 1505. 3686. 4447. 5136. Quod ideo Abraham illuc ire jussus sit, quoniam apud posteros ejus ex Jacobo Ecclesia repræsentativa institueretur, ac Verbum conscriberetur, cujus sensus ultimus constaret ex repræsentativis & significativis quæ ibi, n : 3686. 4447. 5136. 6516. Inde est quod per terram & per terram Canaanem significetur Ecclesia, n : 3038. 3481. 3705. 4447. 4517. 5757. 10658.

(b) Quod creare sit e novo creare seu reformare & regenerare, n : 16. 88. 10373. 10634. Quod creare novum Cœlum & novam Terram sit instaurare novam Ecclesiam, n : 10373. Quod per creationem Cœli & Terræ in primis Capitibus Geneseos in sensu interno describatur instauratio Ecclesiæ cœlestis, quæ fuit Ecclesia Antiquissima, n : 8891. 9942. 10545.

Quod Procreationes Generis Humani in terris nusquam cessaturæ sint.

6. QUI de Ultimo Judicio eam fidem ceperunt, quod tunc interitura sint omnia quæ in Cœlis & in Terris sunt, & quod loco eorum novum Cœlum & nova Terra exstitura sint, credunt, quia id ex nexu rerum sequitur, quod Generationes & Procreationes Generis Humani postea cessaturæ sint, cogitant enim quod omnia nunc peracta sint, & quod homines in alio statu futuri quam prius: sed quia interitus mundi non intellectus est per diem Ultimi Judicii, ut in præcedente Articulo ostensum est, sequitur etiam quod Genus Humanum permansurum sit, & quod procreationes non cessaturæ sint.

7. Quod procreationes Generis Humani in æternum permansuræ sint, constare potest ex pluribus, quorum aliqua in Opere de Cœlo ostensa sunt, imprimis ex his, I. Quod Genus Humanum sit basis, super quo fundatur cœlum. II. Quod Genus Humanum sit Seminarium Cœli. III. Quod extensio cœli, quod pro Angelis, tam immensa sit, ut in æternum non impleri possit. IV. Quod pauci sint respective, ex quibus adhuc Cœlum. V. Quod perfectio Cœli crescat secundum pluralitatem. VI. Et quod omne opus Divinum spectet infinitum & æternum.

9. *Quod Genus Humanum sit basis, super quo fundatur Cœlum*, est quia Homo ultimo creatus est, & quod ultimo creatum est, hoc est basis omnium quæ præcedunt: Creatio inchoavit a supremis seu intimis, quia ex Divino, & processit ad ultima seu extrema, & tunc primum substitit: ultimum creationis est Mundus naturalis, & in eo terraqueus Orbis cum omnibus quæ super illo. Quando hæc peracta sunt, tunc creatus est Homo, & in illum collata sunt omnia Ordinis Divini a primis ad ultima; in intima ejus collata sunt illa quæ in primis illius Ordinis sunt, in ultima ejus quæ in ultimis; sic ut Homo factus sit Divinus Ordo in forma: inde est, quod omnia quæ in homine & apud hominem sunt, tam ex Cœlo quam ex mundo sint, ex Cœlo illa quæ ejus Mentis sunt, & ex Mundo illa quæ ejus Corporis; influunt enim illa quæ Cœli sunt in ejus cogitationes & affectiones, ac sistunt illas secundum receptionem ab ejus spiritu, & ea quæ Mundi sunt influunt in ejus sensationes & voluptates, & sistunt illas secundum receptionem in ejus corpore, sed accommodate secundum convenientias cogitationum & affectionum ejus spiritus. Quod ita sit, videatur in pluribus Articulis, ubi actum est de Cœlo & Inferno, imprimis in his, Quod Universum Cœlum in uno complexu referat unum Hominem, n: 59 ad 67: Quod unaquævis Societas in Cœlis similiter, n: 68 ad 72: Quod inde unusquisque Angelus sit in perfecta forma humana, n: 73 ad 77. Et quod hoc sit ex Divino Humano Domini, n: 78 ad 86. Ac præterea in Articulo de Correspondentia omnium Cœli cum omnibus

 hominis,

hominis, n: 87 ad 112: De Correſpondentia Cœli cum omnibus Telluris n: 103 ad 115: Et de forma Cœli, n: 200 ad 212. Ex hoc Creationis ordine conſtare poteſt, quod talis continens nexus ſit a primis ad ultima, ut ſimul ſpectata conſtituant unum, in quo non ſeparari poteſt prius a poſteriori, prorſus ſicut non cauſa a ſuo effectu, ita non Mundus ſpiritualis a Mundo naturali, nec hic ab illo, proinde non Cœlum Angelicum a Genere Humano, nec Humanum Genus a Cœlo Angelico: quapropter ita proviſum eſt a Domino, ut unum mutuas operas præſtat alteri, nempe Cœlum Angelicum Humano Generi, & Humanum Genus Cœlo Angelico. Inde eſt, quod Manſiones Angelicæ quidem ſint in Cœlo, ad viſum ſeparatæ a manſionibus ubi ſunt homines, ſed uſque ſunt apud hominem in ejus affectionibus boni & veri: quod ad viſum ſeparatæ ſiſtantur eſt ex apparentia, ut conſtare poteſt ex Articulo, ubi in Opere de Cœlo & Inferno actum eſt de Spatio in Cœlo, n: 191 ad 199. Quod Angelorum manſiones ſint apud homines in eorum affectionibus boni & veri, intelligitur per hæc Domini verba, "*Ille qui amat Me, ſermonem meum ſervat, & Pater meus amabit illum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus,*" Joh: xiv: 23, per Patrem & Dominum ibi etiam intelligitur Cœlum, nam ubi Dominus ibi Cœlum, Divinum enim procedens a Domino facit Cœlum, videatur in Opere de Cœlo n: 7 ad 12: & n: 116 ad 125. Et quoque per hæc Domini verba, "*Paracletus ſpiritus veritatis apud vos manet, & in vobis eſt,*" Joh: xiv: 17; Paracletus eſt Divinum Verum procedens a Domino, unde etiam vocatur Spiritus veritatis, ac Divinum Verum facit Cœlum, & quoque Angelos, quia ſunt recipientes; quod Divinum procedens a Domino ſit Divinum Verum, & inde Cœlum Angelicum, videatur in Opere de Cœlo, n: 126 ad 140. Simile etiam intelligitur per hæc Domini verba, "*Regnum Dei intus in vobis eſt,*" Luc: xvii: 21. Regnum Dei eſt Divinum Bonum & Verum, in quibus ſunt Angeli. Quod Angeli & Spiritus apud hominem ſint, & in ejus affectionibus, datum eſt millies videre ex illorum præſentia & manſione apud me; ſed Angeli & ſpiritus non ſciunt apud quos homines ſunt, ſicut nec homines cum quibus Angelis & ſpiritibus cohabitant, hoc enim novit & diſponit ſolus Dominus: verbo eſt omnium affectionum boni & veri extenſio in Cœlum, & communicatio & conjunctio cum illis ibi qui in ſimilibus affectionibus ſunt, & eſt extenſio omnium affectionum mali & falſi in infernum, ac communicatio & conjunctio cum illis ibi qui in ſimilibus affectionibus ſunt; eſt affectionum extenſio in mundum ſpiritualem, pæne ſicut eſt viſus in mundum naturalem; communicationes utrobivis ſunt pæne ſimiles, cum differentia tamen, quod in mundo naturali ſint objecta, at in mundo ſpirituali ſint ſocietates angelicæ. Ex his patet, quod talis ſit nexus cœli Angelici & Humani Generis, ut unum ſubſiſtat ab altero, & quod Cœlum Angelicum abſque Humano Genere ſit ſicut Domus abſque fundamento, nam in illud deſinit Cœlum, & ſuper eo requieſcit. Hæc ſe habent ſicut apud ipſum hominem in particulari, ejus ſpiritualia quæ ſunt ejus cogitationis & voluntatis, influunt in ejus naturalia, quæ ſunt ejus ſenſationum & actionum, &

ibi

ibi deſinunt & ſubſiſtunt, homo niſi his quoque gauderet, ſeu abſque illis terminis ſeu ultimis eſſet, ejus ſpiritualia, quæ ſunt cogitationum & affectionum ejus ſpiritus, diffluerent, ſicut interminata ſeu quæ ſunt abſque fundo: ſimiliter fit cum homo tranſit e naturali mundo in ſpiritualem, quod fit cum moritur, tunc, quia ſpiritus eſt, non ſubſiſtit ſuper propria baſi, ſed ſuper communi baſi, quæ eſt Genus humanum. Qui non ſcit arcana Cœli, credere poteſt quod Angeli ſubſiſtant abſque hominibus, & quod homines abſque Angelis, ſed aſſeverare poſſum ex omni experientia de Cœlo, & ex omni ſermone cum Angelis, quod nullus Angelus ſeu ſpiritus ſubſiſtat abſque homine, & nullus homo abſque ſpiritu & angelo, & quod mutua & reciproca conjunctio ſit. Ex his primum conſtare poteſt, quod Genus Humanum & Cœlum Angelicum unum faciunt, & ſubſiſtant a ſe mutuo & viciſſim, & quod ſic auferri unum alteri nequeat.

10. *Quod Genus Humanum ſit Seminarium Cœli*, conſtabit ex Articulo ſequente, ubi oſtendendum, quod Cœlum & Infernum ſint ex Humano Genere, ita quod Genus Humanum ſit Seminarium Cœli. In anteceſſum memorabitur, quod ſicut huc uſque, hoc eſt, a prima Creatione, formatum eſt Cœlum ex Humano Genere, ita poſthac formandum & locupletandum ſit. Dari quidem poteſt, quod Humanum Genus ſuper una Tellure pereat, quod fit cum id ſe prorſus ſeparat a Divino, nam tunc homini non amplius eſt vita ſpiritualis, ſed modo naturalis, qualis eſt beſtiis, & cum homo talis eſt, non ſocietas formari poteſt, & in vinculis teneri per leges, quoniam homo abſque influxu cœli, ita abſque regimine Divino, foret inſanus, ac rueret effræne in omnia nefaria, unus contra alterum. Sed tametſi Humanum Genus per ſeparationem a Divino ſuper una tellure periret, quod tamen ne fiat providetur a Domino, uſque tamen permanet ſuper aliis; ſunt enim Tellures in Univerſo ad aliquot centena millia, videatur in Opuſculo de Telluribus in Mundo noſtro Solari, quæ Planetæ vocantur, & de Telluribus in Cœlo Aſtrifero. Dictum mihi eſt e Cœlo, quod Genus Humanum ſuper hac Tellure periiſſet, uſque ut hodie non exſtitiſſet unus, niſi Dominus in Mundum veniſſet, ac in hac Tellure induiſſet Humanum, ac id Divinum feciſſet; & quoque niſi Dominus dediſſet hic tale Verbum, quod eſſet Cœlo Angelico pro baſi & pro conjunctione; quod per Verbum ſit conjunctio Cœli cum homine, videatur in Opere de Cœlo & Inferno n: 303 ad 310. Sed quod ita ſit, non comprehendi poteſt quam ab illis qui ſpiritualiter cogitant, hoc eſt, ab illis qui per agnitionem Divini in Domino conjuncti ſunt Cœlo, nam hi ſolum ſpiritualiter poſſunt cogitare.

11. *Quod Extenſio Cœli, quod pro Angelis, tam immenſa ſit, ut in æternum non impleri poſſit*, conſtat ex illis quæ in Opere de Cœlo & Inferno, & ibi in Articulo, de Immenſitate Cœli n: 415 ad 420 dicta ſunt eſt; & *quod pauci ſint reſpective a quibus adhuc Cœlum*, in Opuſculo de Telluribus in Univerſo, n: 126.

12. *Quod perfectio Cœli creſcat ſecundum pluralitatem*, conſtat ex ejus forma, ſecundum quam conſociationes ibi ordinatæ ſunt, & communicationes fluunt, quod

quod ſit omnium perfectiſſima, & in forma perfectiſſima quo plures ſunt eo plurium directio & conſenſus ad unum datur, & eo arctior & unanimior conjunctio; conſenſus & inde conjunctio creſcit ex pluralitate, nam unumquodvis ibi inſeritur ut affine intermedians duos aut plures, & quod inſeritur, hoc confirmat & conjungit. Forma Cœli eſt ſimilis formæ mentis humanæ, cujus perfectio creſcit ſecundum incrementa veri & boni, unde intelligentia & ſapientia; quod forma mentis humanæ, quæ eſt in ſapientia & intelligentia cœleſti, ſit ſimilis formæ cœli, eſt quia mens eſt minima imago ejus formæ; inde eſt quod communicatio omnimoda ſit cogitationum & affectionum boni & veri apud homines tales & apud angelos cum ſocietatibus cœli circumcirca, & extenſio ſecundum incrementa ſapientiæ, ita ſecundum pluralitatem cognitionum veri quæ implantatæ ſunt intellectui, & ſecundum copiam affectionum boni quæ implantatæ ſunt voluntati, ita quæ menti, nam mens conſiſtit ex intellectu & voluntate: Mens humana & angelica talis eſt, ut locupletari queat in æternum, & ſicut locupletatur, ita perficitur; quod fit imprimis, cum homo ducitur a Domino, nam tunc introducitur in genuina vera quæ implantantur intellectui, & in genuina bona quæ implantantur voluntati, nam Dominus tunc diſponit omnia Mentis talis in formam Cœli, uſque tandem ut ſit cœlum in minima forma. Ex hac comparatione patet, quia ſimilis res eſt, quod pluralitas angelorum perficiat cœlum. Omnis etiam forma ex variis conſiſtit, forma quæ non ex variis conſiſtit, non eſt forma, quia non habet quale, nec aliquas mutationes ſtatus; quale cujuſvis formæ eſt ex ordinatione variorum inibi inter ſe, & ex reſpectu eorum mutuo, exque conſenſu ad unum, ex quo omnis forma conſideratur ut unum; talis forma, quo plura ſunt taliter inibi ordinata, eo perfectior eſt, nam unumquodvis, ut ſupra dictum eſt, confirmat, corroborat, conjungit, & ſic perficit. Sed hæc melius conſtare poſſunt ex illis quæ in Opere de Cœlo & Inferno oſtenſa ſunt, imprimis ubi actum eſt de eo, quod unaquævis Societas cœli ſit cœlum in minore forma, & unuſquiſque Angelus in minima, n: 51 ad 58; tum ubi actum eſt de Forma Cœli, ſecundum quam conſociationes & communicationes ibi, n: 200 ad 212, & de ſapientia Angelorum Cœli, n: 265 ad 275.

13. *Quod omne opus Divinum ſpectet Infinitum & Æternum*, conſtare poteſt ex multis tam quæ in Cœlo exiſtunt quam quæ in mundo; utrobivis nuſquam datur unum prorſus ſimile ſeu idem cum altero, non datur una facies prorſus ſimilis ſeu eadem cum alterius, nec dabitur in æternum; pariter non datur unius animus prorſus ſimilis alterius; quare quot homines, tum quot Angeli, tot facies & tot animi; nuſquam datur in uno homine, in quo tamen innumerabiles partes ſunt quæ conſtituunt corpus, & innumerabiles affectiones quæ conſtituunt animum, aliquod prorſus ſimile aut idem quod in altero; inde eſt, quod unuſquiſque vitam diſtinctam ab alterius vita agat: ſimilis res eſt in omnibus & ſingulis naturæ: quod talis infinita varietas ſit in omnibus & ſingulis, ducit cauſam ex omnium origine ex Divino, quod Infinitum eſt; inde eſt quædam imago Infiniti ubivis, ob finem ut omnia ſpectentur a Divino ut ſuum opus, & ſimul ut omnia ſpectent Divinum ut Ejus opus.

Quomodo unumquodvis in natura ſpectat Infinitum & Æternum, inſerviat illuſtrationi leve quoddam argumentum; quodlibet ſemen, ſive ſit fructus arboris, ſive meſſis, ſive floris, ita creatum eſt, ut multiplicari poſſit in infinitum, & durare in æternum; ex uno enim ſemine naſcuntur plura, uſque ad 5. 10. 20. 100; ex ſingulis his etiam totidem, talis fructificatio ex uno ſemine continue perſtans modo intra centum annos poſſet implere non ſolum unius telluris ſuperficiem, ſed etiam ſuperficies tellurum uſque ad myriades: eadem etiam ita creata ſunt, ut durationes eorum ſint æternæ: inde patet, quomodo in his eſt idea infiniti & æterni: ſimiliter in reliquis. Cœlum Angelicum eſt, propter quod omnia in Univerſo creata ſunt, nam Cœlum Angelicum eſt finis propter quod Genus humanum, & Genus humanum eſt finis propter quod cœlum aſpectabile, & inibi tellures; quapropter id Opus Divinum, nempe Cœlum Angelicum, primario ſpectat Infinitum & Æternum, proinde multiplicationem ejus abſque fine, nam ibi Ipſum Divinum habitat: inde quoque conſtare poteſt, quod Genus Humanum nuſquam deſiturum ſit; nam ſi deſineret, finiretur Opus Divinum per certum numerum, & ſic periret reſpectus infiniti.

Quod Cœlum & Infernum ſint ex Humano Genere.

14. IN Chriſtiano Orbe prorſus neſcitur, quod Cœlum & Infernum ſint ex Humano Genere; creditur enim, quod Angeli fuerint a principio creati, & quod inde Cœlum; ac quod Diabolus ſeu Satanas fuerit lucis Angelus, ſed quia rebellis factus eſt, cum turba ſua dejectus ſit, & quod inde Infernum. Quod talis fides in Chriſtiano Orbe ſit, mirantur Angeli quam maxime, & adhuc magis, quod prorſus nihil ſciant de Cœlo, cum tamen id eſt primarium doctrinæ in Eccleſia; & quia talis ignorantia regnat, corde gaviſi ſunt, quod placuerit Domino nunc revelare illis plura de Cœlo & quoque de Inferno; & per id, quantum poſſibile eſt, diſcutere tenebras, quæ indies increſcunt, quia Eccleſia ad ſuum finem pervenit: quare volunt, ut ex ore illorum aſſeverem, quod in Univerſo Cœlo non ſit unus Angelus qui a principio creatus eſt, nec in Inferno aliquis Diabolus qui creatus lucis Angelus & dejectus, ſed quod omnes tam in Cœlo quam in Inferno ſint ex Humano Genere; in Cœlo illi qui in Mundo in Cœleſti amore & fide vixerunt, in Inferno qui in Infernali amore & fide, & quod Infernum in toto complexu ſit quod vocatur Diabolus & Satanas, illud Infernum quod a tergo eſt, ubi ſunt qui vocantur mali Genii, Diabolus, & illud Infernum quod anterius eſt, ubi ſunt qui vocantur mali Spiritus, Satanas *(c)*. Quale unum Infernum, & quale alterum, videatur in Opere de Cœlo & Inferno circa finem. Quod Orbis Chriſtianus talem fidem de illis in Cœlo & de illis in Inferno ceperit, dicebant Angeli, quod ſit ex aliquibus locis in Verbo non

intellectis

intellectis aliter quam secundum sensum literæ, & non illustratis & explicatis per genuinam Doctrinam ex Verbo; cum tamen sensus literæ Verbi, nisi genuina Doctrina Ecclesiæ præluceat, distrahit mentes in varia, unde ignorantiæ, hæreses, & errores *(d)*.

15. Quod homo Ecclesiæ ita credat, etiam est causa, quia credit quod nullus homo in Cœlum aut in Infernum prius veniat quam tempore Ultimi Judicii, de quo illam opinionem cepit, quod interitura tunc sint omnia quæ coram oculis, & quod nova exstitura, & quod anima tunc reditura sit in suum corpus, ex qua conjunctione homo iterum vivet homo: hæc fides involvit alteram de Angelis quod sint a principio creati, nam non credi potest, quod Cœlum & Infernum sint ex Humano Genere, quum creditur quod nullus homo illuc veniat quam in fine Mundi. Sed ut evincatur homo quod non ita sit, datum est mihi consortium habere cum Angelis, & quoque loqui cum illis qui in Inferno sunt, & hoc nunc per plures annos, quandoque continue a mane usque ad vesperam, & sic informari de Cœlo & Inferno, & hoc ob causam, ne homo Ecclesiæ ulterius permaneat in sua erronea fide de Resurrectione tempore Judicii, ac de Animæ statu interea, tum de Angelis & de Diabolo; quæ fides, quia est fides falsi, involvit tenebras, & apud eos, qui ex propria intelligentia de illis cogitant, infert dubitationem, & tandem negationem; dicunt enim corde, quomodo potest tantum Cœlum cum tot Sideribus, & cum Sole & Luna, destrui & dissipari; & quomodo possunt Stellæ e Cœlo tunc cadere in terram, quæ tamen majores terra sunt; & quomodo possunt corpora a vermibus exesa, putredine consumta, & in omnes ventos dissipata, recolligi ad animam suam; ubinam interea anima, & qualis illa cum absque sensu qui ei fuit in corpore; præter plura similia, quæ quia incomprehensibilia, non cadunt in fidem, & apud plures destruunt fidem de hominis vita æterna, deque Cœlo & Inferno, & cum illis reliqua quæ fidei Ecclesiæ sunt: quod etiam destruxerint, patet ex illis qui dicunt, quis ex Cœlo ad nos venit & narravit quod sit; quid Infernum, num sit; quid hoc quod homo cruciabitur igne in æternum; quid dies Judicii, annon is per sæcula frustra exspectatus est, præter plura, quæ negationis omnium sunt. Ne itaque illi qui talia cogitant, ut solent plures qui ex mundanis, quæ sapiunt, Eruditi & Docti audiunt, amplius perturbent & seducant simplices fide & corde, ac inducant infernales tenebras de Deo, de Cœlo, de Vita æterna, ac de cæteris quæ ex illis pendent, aperta sunt interiora, quæ spiritus mei sunt, a Domino, & sic loqui datum est cum omnibus, quos usquam notos habui in vita corporis, postquam defuncti sunt, cum quibusdam per dies, cum quibusdam per menses, & cum quibusdam per annum, & quoque cum aliis tam multis ut parum dicerem si centum millia, ex quibus plures fuerunt in cœlis, & plures in Infernis: loquutus etiam sum cum quibusdam post biduum ab obitu, & narravi quod nunc funeralia & exequiæ eorum parentur ut sepeliantur, ad quæ dixerunt, quod bene faciant ut rejiciant id quod illis pro corpore & ejus functionibus inserviverat in mundo, ac voluerunt ut dicerem quod non mortui sint, sed quod vivant æque homines nunc

ſicut prius, & quod tranſmigraverint ſolum ab uno mundo in alterum, & quod non ſciant quod aliquid perdiderint, quoniam in corpore & hujus ſenſualibus ſunt ut prius, & quoque in intellectu & in voluntate ut prius, & quod ſimiles illis cogitationes & affectiones, ſimiles ſenſationes, tum ſimiles voluptates, & ſimilia deſideria, qualia in mundo. Plerique ex recens mortuis, cum ſe viderunt vivere homines ſicut prius, ac in ſimili ſtatu, (nam poſt mortem primum cuivis ſimilis ſtatus vitæ eſt, qualis ei fuerat in mundo, ſed ille ſucceſſive apud eum mutatur vel in Cœlum vel in Infernum) novo gaudio affecti ſunt quod vivant, & dixerunt quod hoc non crediderint; ſed valde mirati, quod in tali ignorantia & cæcitate de ſtatu ſuæ vitæ poſt mortem fuerint: & magis quod in tali ſit homo Eccleſiæ, qui tamen præ omnibus in univerſo terrarum Orbe in luce de illis poteſt eſſe *(e)*. Cauſam illius cæcitatis & ignorantiæ tunc primum videbant, quæ eſt quod externa, quæ ſunt mundana & corporea, occupaverint & impleverint mentes eorum, in tantum ut non elevari poſſent in lucem cœli, ac intueri res Eccleſiæ ultra doctrinalia; ex corporeis enim & mundanis, cum tantum amantur quantum hodie, influunt meræ tenebræ, cum homo de rebus Cœli ultra dictamen doctrinæ fidei quæ ſuæ Eccleſiæ eſt, cogitare vult.

16. Permulti ex Eruditis e Chriſtiano Orbe obſtupeſcunt, cum ſe poſt obitum vident in corpore, in veſtibus, inque domibus, ſicut in mundo; & cum revocantur in memoriam quæ cogitaverunt de vita poſt mortem, de anima, de ſpiritibus, ac de cœlo & inferno, pudore afficiuntur, & dicunt ſe fatue cogitaviſſe, ac ſimplices fide multo ſapientius quam illi: explorati ſunt Eruditi, qui confirmaverunt ſe in talibus, & qui omnia naturæ addixerunt, & compertum eſt, quod interiora mentis eorum clauſa ſint, & exteriora aperta, ſic ut non ſpectaverint ad Cœlum ſed ad Mundum, proinde etiam ad Infernum; nam quantum interiora mentis aperta ſunt, tantum ſpectat homo ad Cœlum, quantum autem interiora clauſa ſunt & exteriora aperta, tantum ſpectat ad Infernum; interiora enim hominis ad receptionem omnium Cœli formata ſunt, & exteriora ad receptionem omnium Mundi, & qui recipiunt mundum & non ſimul cœlum, recipiunt infernum *(f)*.

17. Quod ſpiritus hominis poſt ſolutionem a corpore ſit homo & in ſimili forma, hoc mihi per quotidianam plurium annorum experientiam in teſtato eſt, nam illos millies vidi, audivi, & cum illis loquutus ſum; etiam de eo, quod homines in mundo non tales eſſecredant, & quod illi qui credunt, ab Eruditis reputentur ut ſimplices: Spiritus doluerunt corde, quod talis ignorantia adhuc perſtet in Orbe, & maxime intra Eccleſiam: ſed hanc fidem dicebant emanaviſſe imprimis ab Eruditis, qui ex ſenſuali corporeo cogitaverunt de Anima, ex quo de illa non aliam ideam ceperunt, quam ſicut de Cogitatione ſola, quæ cum abſque aliquo ſubjecto in quo & ex quo ſpectatur, eſt ſicut quoddam volatile puri ætheris, quod moriente corpore non poteſt non diſſipari: ſed quia Eccleſia ex Verbo Animæ immortalitatem credit, non potuerunt aliter quam aliquod vitale, quale eſt cogitationis, ei addicere, ſed uſque non ſenſitivum quale homini, priuſquam iterum conjuncta eſſet corpori:

ſuper

ſuper hac opinione fundatur Doctrina de Reſurrectione, ac fides quod conjunctio futura ſit, quando Ultimum Judicium venit; nam ex data illa hypotheſi de Anima, non aliud concludi poteſt, cum illa conjungitur fidei Eccleſiæ de vita hominis æterna: inde eſt, cum aliquis de Anima ex doctrina & ſimul ex hypotheſi cogitat, quod prorſus non capiat quod illa ſit ſpiritus, & hic in forma humana; accedit, quod vix aliquis hodie ſciat, quid ſpirituale eſt, & minus quod aliqua forma humana ſit illis qui ſpirituales ſunt, quales ſunt omnes Spiritus & Angeli. Inde eſt, quod fere omnes qui e mundo veniunt, mirentur quam maxime quod vivant, & quod ſint homines æque ac prius, & quod prorſus nihil differat: ſed cum ceſſant ſe mirari, dein mirantur quod Eccleſia nihil ſciat de tali ſtatu hominum poſt mortem, cum tamen omnes quotcunque in mundo vixerunt, in altera vita ſunt, ac vivunt homines: & quia etiam mirabantur, cur hoc non manifeſtatum fuit homini per viſiones, dictum eſt illis e cœlo, quod hoc potuiſſet fieri, nam nihil facilius eſt quum Domino beneplacet, ſed quod uſque non credituri eſſent, qui ſe in falſis contra illa confirmaverunt, etiamſi ipſi viſuri; tum quod periculoſum ſit aliquid e cœlo manifeſtare apud illos qui in mundanis & corporeis ſunt, quia ſic primum credituri eſſent, & poſtea negaturi, ac ita ipſum illud verum prophanaturi; nam prophanare eſt credere & poſtea negare, & qui prophanant, illi in omnium infernorum infimum & graviſſimum detruduntur. Hoc periculum eſt quod intelligitur per Domini verba, "*Excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum, ne videant oculis & intelligant corde, & ſeſe convertant, & ſanem illos,*" Joh: XII: 40: & quod qui in mundanis & corporeis amoribus ſunt, uſque non credituri ſint, per hæc, "*Dixit Abraham Diviti in Inferno, habent Moſen & Prophetas, audiant illos; ille vero dixit, non pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis veniat ad eos, convertentur; Abraham autem dixit ei, ſi Moſen & Prophetas non audiunt, nec etiam ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent,*" Luc: XVI: 29. 30. 31.

18. Quod Cœlum ſit ex Humano Genere, conſtare etiam poteſt ex eo, quod Mentes Angelicæ & Mentes Humanæ ſimiles ſint, utræque gaudent facultate intelligendi, percipiendi, & volendi; utræque ad recipiendum Cœlum formatæ ſunt; nam Mens humana æque ſapit ac Mens angelica; ſed quod non tantum ſapiat in mundo, eſt cauſa quia in corpore terreſtri eſt, & in eo Mens ejus ſpiritualis cogitat naturaliter, nam ſpiritualis ejus cogitatio, quæ etiam illi eſt æque ac Angelo, tunc defluit in naturales ideas ſpiritualibus correſpondentes, & ſic ibi percipitur; aliter vero cum Mens hominis ſoluta eſt a vinculo cum illo corpore, tunc non amplius naturaliter ſed ſpiritualiter cogitat, & cum ſpiritualiter, tunc incomprehenſibilia & ineffabilia naturali homini cogitat, ita ſicut Angelus: exinde conſtare poteſt, quod Internum hominis, quod vocatur ejus Spiritus, ſit in eſſentia ſua Angelus *(g)*. Quod Angelus ſit in perfecta forma humana, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 73 ad 77: cum autem Internum hominis non apertum eſt ſupra, ſed modo infra, tunc uſque illud poſt ſolutionem a corpore eſt in forma

 humana,

humana, sed dira & diabolica, nam non spectare potest sursum ad Cœlum, sed modo deorsum ad Infernum.

19. Quod Cœlum & Infernum sint ex Humano Genere, potuisset etiam Ecclesia ex Verbo scire, ac id suæ Doctrinæ facere, si admisisset illustrationem e Cœlo, & attendisset ad Domini verba ad latronem, "*Quod hodie cum Ipso esset in Paradiso*," Luc: XXIII: 43; & ad illa quæ Dominus dixit de Divite & Lazaro, "*Quod Ille in infernum venerit, & inde loquutus cum Abrahamo, & quod Hic in Cœlum*," Luc: XVI: 19 ad 31: tum quæ Dominus loquutus est ad Sadducæos de Resurrectione, "*Quod Deus non sit Deus mortuorum, sed viventium*," Matth: XXII: 32: ac præterea ex fide communi omnium, qui bene vivunt, imprimis ex fide eorum circa tempus mortis, quando non amplius in mundanis & corporeis sunt, quod credant se venturos in Cœlum, ut primum abit vita corporis eorum; hæc fides regnat apud omnes, dum non ex doctrina Ecclesiæ de Resurrectione tempore Ultimi Judicii cogitant: inquire numne ita sit, & confirmaberis.

20. Qui de Ordine Divino instructus est, etiam intelligere potest, quod homo creatus sit ut fiat Angelus, quia in eo est ultimum Ordinis, videatur supra n: 9, in quo formari potest id quod cœlestis & angelicæ sapientiæ est, & quod potest redintegrari & multiplicari: Divinus Ordo nusquam subsistit in medio, & ibi absque ultimo format aliquid, non enim est in suo pleno & perfecto, sed vadit ad ultimum: at cum est in suo ultimo, tunc format, & quoque per media ibi collata se redintegrat & producit ulterius, quod fit per procreationes: quapropter ibi est seminarium cœli. Hoc quoque intelligitur per illa quæ de Homine & ejus creatione dicuntur in Primo Capite Geneseos, Vers: 26. 27. 28. "*Dixit Deus, faciemus hominem in imaginem nostram, secundum similitudinem nostram: & creavit Deus Hominem in imaginem Ipsius, in imaginem Dei creavit illum; masculum & fæminam creavit illos: & benedixit illis Deus, & dixit illis Deus, fructificate & multiplicate vos*;" creare in imaginem Dei, & in similitudinem Dei, est conferre in illum omnia Ordinis Divini a primis ad ultima, & sic facere illum quoad interiora mentis ejus Angelum.

21. Quod Dominus non modo quoad Spiritum, sed etiam quoad Corpus resurrexerit, est quia Dominus totum Humanum suum, cum fuit in mundo, glorificavit, hoc est, Divinum fecit: Anima enim, quæ Ipsi a Patre, ex se Ipsum Divinum fuit, & Corpus factum est similitudo Animæ, hoc est, Patris, ita quoque Divinum: inde est, quod Ipse secus ac ullus homo, quoad utrumque resurrexerit *(h)*; quod etiam manifestavit Discipulis, qui credebant videre Spiritum cum Ipsum, dicendo, "*Videte manus meas & pedes meos, quod Ipse Ego sim: palpate Me & videte; nam Spiritus non carnem & ossa habet, sicut Me videtis habere*," Luc: XXIV: 36. 37. 38; per quæ indicavit, quod non modo sit Homo quoad Spiritum, sed etiam quoad Corpus.

22. Præterea quod Cœlum & Infernum sint ex Humano Genere, in pluribus Articulis in Opere de Cœlo & Inferno ostensum est; ut in his sequentibus, De Gentibus & Populis extra Ecclesiam in Cœlo, n: 318 ad 328.

De Infantibus in Cœlo, n: 329 ad 345. De Sapientibus & Simplicibus in Cœlo, n: 346 ad 356. De Divitibus & Pauperibus in Cœlo, n: 357 ad 365. Quod unusquisque homo sit spiritus quoad interiora sua, n: 432 ad 444. Quod homo post mortem sit in perfecta forma humana, n: 453 ad 460. Quod homo post mortem sit in omni sensu, memoria, cogitatione, affectione, in quibus in mundo, & quod nihil relinquat præter terrestre suum corpus, n: 461 ad 469. De Primo statu hominis post mortem, n: 491 ad 498. De Secundo statu hominis post mortem, n: 499 ad 511. De Tertio ejus statu, n: 512 ad 517. Et porro quæ de Infernis, n: 536 ad 588. Ex quibus omnibus in specie constare potest, quod Cœlum non consistat ex aliquibus Angelis in principio creatis, nec Infernum ex aliquo Diabolo & ejus turba, sed solum ex illis qui nati sunt homines.

Ex ARCANIS CŒLESTIBUS *(c)* Quod Inferna simul sumta, seu Infernales simul sumti, dicantur Diabolus & Satanas, n: 694. Quod qui diaboli fuerunt in mundo, diaboli fiant post mortem, n: 968.

(d) Quod Doctrina Ecclesiæ erit ex Verbo, n: 3464. 5402. 6832. 10763. 10765. Quod Verbum absque Doctrina non intelligatur, n: 9021. 9409. 9424. 9430. 10324. 10431. 10582. Quod vera Doctrina sit lucerna illis qui legunt Verbum, n: 10401. Quod genuina Doctrina erit ab illis qui in illustratione sunt a Domino, n: 2510. 2516. 2519. 9424. 10105. Quod, qui in sensu literæ Verbi absque doctrina sunt, in nullum intellectum veniant de Veris Divinis, n: 9409. 9410. 10582. Et quod in plures errores ferantur, n: 10431. Differentia inter illos qui docent & discunt ex Doctrina Ecclesiæ quæ ex Verbo, & inter illos qui ex solo sensu literæ Verbi, qualis, n: 9025.

(e) Quod hodie in Christianismo pauci credant, quod homo post mortem statim resurgat, Præfat: ad Cap: XVI Genes: & n: 4622. 10758. Sed quod tempore Ultimi Judicii, cum Orbis aspectabilis periturus est, n: 10594. Causa, quod ita credatur, n: 10594. 10758. Quod usque homo statim post mortem resurgat, & quod tunc sit homo quoad omnia & singula, n: 4527. 5006. 5078. 8939. 8991. 10594. 10758. Quod Anima quæ vivit post mortem, sit spiritus hominis, qui in homine est ipse homo, & quoque in altera vita in perfecta forma humana, n: 322. 1880. 1881. 3633. 4622. 4735. 5883. 6054. 6605. 6626. 7021. 10594. Ab experientia, n: 4527. 5006. 8939. Ex Verbo, n: 10597. Explicatur quid intelligitur per quod mortui visi in Sancta Urbe, Matth: XXVII: 53, n: 9229. Quomodo homo resuscitatur a mortuis, ab experientia, n: 168 ad 189. De statu ejus post resuscitationem, n: 317. 318. 319. 2119. 5070. 10596. Falsæ opiniones de Anima, & de Resurrectione, n: 444. 445. 4527. 4622. 4658.

(f) Quod in homine conjunctus sit Mundus spiritualis & Mundus naturalis, n: 6057. Quod Internum hominis sit ad imaginem Cœli formatum, Externum autem ad imaginem Mundi, n: 3628. 4523. 4524. 6057. 6314. 9706. 10156. 10472.

(g) Quod totidem gradus vitæ in homine sint, quot Cœli, & quod aperiantur post mortem secundum ejus vitam, n: 3747. 9594. Quod Cœlum sit in homine, n: 3884. Quod homines, qui amoris & charitatis vitam vivunt, in se habeant sapientiam angelicam, sed tunc absconditam, & quod in illam veniant post mortem, n: 2494. Quod homo in Verbo dicatur Angelus, qui recipit bonum amoris & fidei a Domino, n: 10528.

(h) Quod homo resurgat tantum quoad spiritum, n: 10593. 10594. Quod Solus Dominus etiam quoad Corpus resurrexerit, n: 1729. 2083. 5078. 10825.

Quod

Quod omnes quotcunque nati ſunt homines a principio creationis, & defuncti, ſint in Cœlo vel in Inferno.

23. HOC PRIMO conſequitur ex illis quæ dicta & oſtenſa ſunt in Articulo præcedente, quod nempe Cœlum & Infernum ſint ex Humano Genere. SECUNDO ex eo, quod omnis homo poſt vitam in mundo vivat in æternum. TERTIO, quod ſic omnes qui uſque nati ſunt homines a creatione Mundi, & defuncti, ſint vel in Cœlo vel in Inferno. QUARTO, quia omnes qui naſcentur poſthac, etiam venturi ſunt in Mundum ſpiritualem, quod is Mundus tantus ſit & talis, ut ei Mundus naturalis, in quo ſunt homines in terris, non æquiparari poſſit. Sed ut hæc omnia diſtinctius percipiantur, & evidentius pateant, velim ea ſingillatim exponere & deſcribere.

24. Quod omnes quotcunque nati ſunt homines a principio creationis, & defuncti, ſint in Cœlo vel in Inferno, *conſequatur ex illis quæ dicta & oſtenſa ſunt in Articulo præcedente, quod nempe Cœlum & Infernum ſint ex Humano Genere*, patet abſque explicatione. Communis fides hactenus fuit, quod homines non prius venturi ſint in Cœlum aut in Infernum, quam die Ultimi Judicii, quando Animæ rediture ſunt in ſua corpora, & ſic fruituræ talibus quæ propria corporis eſſe creduntur: in hanc fidem adducti ſunt ſimplices ex illis qui profeſſi ſunt ſapientiam, & inquiſiverunt de interiori ſtatu hominis; hi quia nihil cogitaverunt de ſpirituali mundo, ſed ſolum de naturali, ita nec de ſpirituali homine, inde neſciverunt quod ſpiritualis homo, qui cuivis homini eſt in naturali, ſit æque in forma humana, ſicut naturalis homo; inde nec in mentem eorum venit, quod naturalis homo ſuam formam humanam trahat ex ſuo ſpirituali homine; tametſi videre potuerunt, quod ſpiritualis homo agat in omnia & ſingula naturalis hominis ad nutum, & quod naturalis homo prorſus nihil agat a ſe: Spiritualis homo eſt qui cogitat & vult, nam hoc naturalis homo ex ſe nequit, & cogitatio & voluntas eſt omne in omnibus naturalis hominis, agitur enim naturalis homo ſicut vult ſpiritualis, & quoque loquitur ſicut is cogitat, tam prorſus, ut actio non ſit niſi quam voluntas, & loquela non ſit niſi quam cogitatio, nam ſi aufers hanc & illam, ceſſat momento & loquela & actio. Ex his patet, quod ſpiritualis homo ſit vere homo, & quod ſit in omnibus & ſingulis naturalis hominis, ita quod ejus effigies ſit ſimilis, nam pars ſeu particula naturalis hominis, in qua non agit ſpiritualis, non vivit. Sed ſpiritualis homo non poteſt apparere coram naturali homine, nam naturale non videre poteſt ſpirituale, ſed ſpirituale poteſt videre naturale, hoc enim juxta ordinem eſt, illud autem contra ordinem, datur enim influxus ſpiritualis in naturale, ita quoque viſus,

visus, nam visus etiam est influxus, non autem vicissim. Spiritualis homo est qui vocatur Spiritus hominis, & qui apparet in Mundo spirituali in perfecta forma humana, & qui vivit post mortem. Quia Intelligentes non sciverunt aliquid de Spirituali Mundo, proinde nec aliquid de Spiritu hominis, ut supra dictum est, ideo ceperunt ideam, quod homo non vivere possit homo, priusquam ejus anima rediret in corpus, & reindueret ejus sensus: inde ortæ sunt tam vanæ ideæ de Resurrectione hominis, quod nempe corpora, etiamsi a vermibus & piscibus exesa, & in pulverem prorsus dilapsa, ex Divina Omnipotentia recolligenda essent, & animabus reunienda; & quod hoc non exstiturum sit, quam in fine mundi, quando universum aspectabile interiturum est; præter plura similia, quæ omnia excedunt captum, & quæ ad primum intuitum mentis obveniunt impossibilia, & contra Divinum Ordinem; & inde quoque fidem plurium infirmant; nam qui ex sapientia cogitant, non credere possunt nisi quod aliquo modo comprehendunt, & fides impossibilium non datur, hoc est, fides talium quæ homo cogitat esse impossibilia: inde quoque argumentum negationis desumunt illi, qui non credunt vitam post mortem: sed quod homo statim post obitum resurgat, & quod sit tunc in perfecta forma humana, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, & ibi in pluribus Articulis. Hæc dicta sunt, ut adhuc confirmetur, quod Cœlum & Infernum sint ex Humano Genere; ex quo consequitur, quod omnes quotcunque nati sunt homines a principio creationis, & defuncti, sint in Cœlo vel in Inferno.

25. *Quod omnis homo post vitam in mundo vivat in æternum*, constat ex eo, quod tunc homo spiritualis sit, & non amplius naturalis, & quod spiritualis homo separatus a naturali maneat qualis est in æternum, nam status hominis non mutari potest post mortem. Præterea spirituale cujusvis hominis in conjunctione est cum Divino, quoniam id potest cogitare de Divino & quoque potest amare Divinum, & affici omnibus quæ a Divino sunt, qualia sunt quæ Ecclesia docet, proinde conjungi Divino cogitatione & voluntate, quæ binæ facultates sunt spiritualis hominis & faciunt ejus vitam; quod ita conjungi potest Divino, hoc in æternum non potest mori, Divinum enim apud eum est, & eum sibi conjungit. Est quoque homo creatus ad formam cœli quoad Mentem suam, & forma cœli est ex Ipso Divino, ut constare potest in Opere de Cœlo & Inferno, ubi ostensum est, Quod Divinum Domini faciat & formet Cœlum, n: 7 ad 12, & n: 78 ad 86. Quod homo creatus sit ut sit Cœlum in minima effigie, n: 57. Quod Cœlum in toto complexu referat unum Hominem, n: 59 ad 66. Quod inde Angelus sit in perfecta forma humana, n: 73 ad 77; Angelus est homo quoad spirituale suum. De hac re aliquoties etiam loquutus sum cum Angelis, qui valde mirati sunt, quod ex illis qui in Christiano Orbe Intelligentes dicuntur, & quoque ab aliis intelligentes esse creduntur, permulti sint, qui a fide sua prorsus rejiciunt vitæ suæ immortalitatem, credentes animam hominis æque dissipari post mortem sicut anima bestiæ, non percipientes vitæ discrimen inter hominem & bestiam, quod homo possit cogitare supra se, de Deo, de Cœlo, de Amore, de Fide,

de Bono ſpirituali & morali, de Veris, & ſimilibus, & ſic quod elevari poſſit ad Ipſum Divinum, & Ipſi per omnia illa conjungi; at quod beſtiæ non elevari ſupra naturale ſuum ad cogitandum talia poſſint, conſequenter quod ſpirituale earum non poſſit ſeparari a naturali earum poſt mortem *(i)*, ac vivere per ſe, ſicut ſpirituale hominis; quæ etiam eſt cauſa, quod vita beſtiæ cum vita naturali ejus diſſipetur. Quod plures Intelligentes, ita dicti, in Chriſtiano Orbe non credant immortalitatem ſuæ vitæ, dicebant Angeli cauſam, quia corde negant Divinum, & pro Divino agnoſcunt Naturam, & illi qui ex talibus principiis cogitant, non poſſunt cogitare de aliqua æternitate per conjunctionem cum Divino, conſequenter nec de diſſimili ſtatu hominis a ſtatu beſtiarum, nam cum Divinum a cogitatione rejiciunt, etiam rejiciunt æternum. Porro dicebant, quod apud unumquemvis hominem ſit gradus vitæ intimus ſeu ſupremus, ſeu intimum aut ſupremum quoddam, in quod Divinum Domini primum aut proxime influit, & ex quo diſponit reliqua interiora, quæ ſpiritualis & naturalis hominis ſunt, & ſecundum gradus Ordinis apud illos ſuccedunt: hoc intimum ſeu ſupremum vocabant introitum Domini ad hominem, ac ipſiſſimum Illius domicilium apud illum; & quod per hoc intimum ſeu ſupremum homo ſit homo, & diſtinguatur a brutis animalibus, quæ illud non habent; & quod inde ſit, quod homines ſecus ac animalia poſſint quoad interiora, quæ ſunt mentis & animi eorum, elevari a Domino ad Se, poſſint credere in Ipſum, affici amore in Ipſum, & quod poſſint recipere intelligentiam & ſapientiam, & loqui ex ratione. Ad interrogationem de illis qui negant Divinum, ac Divina Vera per quæ conjunctio vitæ hominis cum Ipſo Divino, quod uſque illi vivant in æternum, dicebant quod illis æque facultas ſit cogitandi & volendi, proinde credendi & amandi talia quæ ex Divino ſunt, ſicut eſt illis qui agnoſcunt Divinum, & quod illa facultas ſit quæ facit quod æque in æternum vivant; addebant quod ea facultas illis ſit ex intimo ſeu ſupremo illo, quod cuivis homini ineſt, de quo ſupra dictum eſt; quod etiam illis qui in Inferno ſunt, ſit illa facultas, & quod inde illis facultas ratiocinandi & loquendi contra Divina vera, multis oſtenſum eſt: inde eſt, quod omnis homo, qualiſcunque eſt, vivat in æternum. Quia omnis homo poſt mortem vivit in æternum, ideo nuſquam aliquis Angelus, nec aliquis Spiritus, cogitat de morte, imo prorſus neſciunt, quid ſit mori: quapropter cum memoratur in Verbo mors, intelligitur ab Angelis vel damnatio, quæ eſt mors in ſpirituali ſenſu, vel continuatio vitæ & reſurrectio *(k.)* Hæc dicta ſunt, ut confirmetur, quod omnes homines, quotcunque nati ſunt a principio creationis, & defuncti, vivant, quidam in cœlo, & quidam in inferno.

26. Ut ſcirem *quod omnes quotcunque nati ſunt homines a principio creationis, & defuncti, in Cœlo vel in Inferno ſint*, datum eſt mihi loqui cum aliquibus qui vixerunt ante diluvium; & quoque cum aliquibus qui vixerunt poſt diluvium; ut & cum quibuſdam ex Gente Judaica notis ex Verbo Veteris Teſtamenti; cum quibuſdam qui vixerunt tempore Domini; cum pluribus, qui in ſequentibus ſæculis uſque ad hodiernum; ac inſuper cum omnibus, poſtquam

quam mortui sunt, quos in vita corporis eorum notos habui; & præterea cum Infantibus; & cum pluribus ex Gentibus. Ex qua experientia plene evictus sum, quod ne unus sit, qui usquam natus homo, a prima hujus Telluris creatione, qui non in cœlo vel in inferno est.

27. *Quia omnes, qui nascentur posthac, etiam venturi sint in Mundum spiritualem, quod is Mundus tantus sit & talis, ut ei Mundus naturalis, in quo sunt homines in terris, non æquiparari possit*, constat ab immensa multitudine hominum, qui a prima creatione transiverunt in Mundum spiritualem, & ibi simul sunt; tum ex incrementis continuis posthac ex Humano Genere, quod illis accessurum est, & hoc absque fine, secundum illa quæ supra in suo Articulo n: 6 ad 13, ostensa sunt, quod nempe procreationes Generis Humani in terris nusquam cessaturæ sint. Quam immensa multitudo hominum jamdum ibi sit, aliquoties videre datum est, quum aperti mihi sunt oculi, erat tanta ut numerari vix posset, fuerunt aliquot myriades, & hoc solum in uno loco ad unam plagam; quid non in reliquis. Sunt enim ibi omnes collecti in Societates, & Societates sunt multo numero, & unaquævis Societas in suo loco format tres Cœlos, & sub illis tria Inferna; quare sunt qui in editis ibi, sunt qui in mediis, sunt qui infra illos, & sunt qui in infimis seu infernis sub illis; & superiores inter se habitant sicut habitant homines in Civitatibus, in quibus simul sunt ad centena millia; inde patet, quod Mundus naturalis, in quo sunt homines in terris, illi Mundo quoad copiam Generis Humani æquiparari nequeat; quapropter cum homo e mundo naturali transit in spiritualem, est sicut e villa in magnam Civitatem. Quod Mundus naturalis nec æquiparari queat Mundo spirituali quoad quale, constare etiam potest ex eo, quod non modo omnia existant ibi quæ in Mundo naturali, sed insuper innumerabilia plura, quæ nusquam visa sunt in hoc Mundo, nec possunt ad visum sisti; nam ibi spiritualia effigiantur ad omnem suum typum in apparentia quasi naturali, & singula cum infinita varietate; nam spirituale excellentia excedit naturale in tantum, ut pauca sint quæ ad sensum naturalem possint produci; nam sensus naturalis non capit unum ex millibus quæ capit mens spiritualis; & omnia quæ sunt mentis spiritualis sistuntur etiam in formis coram visu eorum; inde est, quod Mundus spiritualis non describi possit qualis est quoad sua magnifica, & quoad sua stupenda: hæc quoque increscunt secundum multiplicationem Generis Humani in Cœlis, nam omnia sistuntur ibi in formis correspondentibus cujusvis statui quoad amorem & fidem, & inde intelligentiam & sapientiam; ita cum varietate continue increscente secundum crescentem multitudinem: inde est, quod ab illis qui in Cœlum elevati sunt, dictum sit, quod ibi viderint & ibi audiverint quæ nusquam aliquis oculus vidit, nec aliqua auris audivit. Ex his constare potest, quod Mundus spiritualis talis sit, ut ei Mundus naturalis æquiparari nequeat; Porro, qualis est, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, ubi actum est, de duobus Regnis Cœli, n: 20 ad 28: De Societatibus Cœli, n: 41 ad 50. De Repræsentativis & Apparentiis in Cœlo, n: 170

ad 176; Et de Sapientia Angelorum Cœli, n: 265 ad 275: sed ibi perpauca sunt, quæ descripta.

Ex Arcanis cœlestibus, *(i)* Quod Influxus e Mundo spirituali etiam sit in vitas bestiarum, sed communis, non autem specialis, sicut apud hominem, n: 1633. 3646. Quod discrimen inter homines & bestias sit, quod homines possint elevari supra se ad Dominum, cogitare de Divino, amare Illud, sic conjungi Domino, unde ei vita æterna, aliter bestiæ, quæ elevari ad talia nequeunt, n: 4525. 6323. 9231.

(k) Cum Mors nominatur in Verbo, ubi de malis, quod in Cœlo intelligatur damnatio, quæ est mors spiritualis, tum infernum, n: 5407. 6119. 9008. Quod qui in bonis & veris sunt, dicantur vivi, qui autem in malis & falsis, mortui, n: 81. 290. 7494. Quod per Mortem, ubi agitur de bonis qui moriuntur, in Cœlo intelligatur resurrectio & continuatio vitæ, quoniam tunc homo resurgit, continuat vitam suam, ac ingreditur æternam, n: 3498. 3505. 4618. 4621. 6036. 6222.

Quod Ultimum Judicium futurum sit, ubi omnes simul sunt, ita in Mundo spirituali, & non in terris.

28. DE Ultimo Judicio creditur, quod Dominus tunc apparíturus sit in nubibus Cœli cum Angelis in gloria, & exsuscitaturus omnes, quotcunque vixerunt a principio creationis, e sepulchris, ac induiturus animas eorum corpore, & sic in unum convocatos judicaturus, qui bene egerunt, ad vitam æternam seu cœlum, & qui male egerunt, ad mortem æternam seu infernum. Hæc fides est in Ecclesiis ex sensu literæ Verbi, nec potuit auferri, quamdiu ignotum fuit, quod sensus spiritualis insit unicuivis rei quæ dicitur in Verbo, & quod ille sensus sit ipsum Verbum, cui sensus literæ inservit pro fundamento seu basi, & quod absque tali litera non potuisset Verbum Divinum esse, ac inservire tam Cœlo quam mundo pro doctrina vitæ & fidei, & pro conjunctione: qui itaque novit spiritualia correspondentia naturalibus in Verbo, is scire potest, quod per adventum Domini in nubibus Cœli non intelligatur Ipsius apparitio talis, sed apparitio in Verbo; Dominus enim est Verbum, quia est Divinum Verum; Nubes cœli, in quibus venturus, est sensus literæ Verbi; & Gloria est sensus ejus spiritualis; Angeli sunt Cœlum ex quo apparitio, & quoque sunt Dominus quoad Divina Vera *(l)*: inde patet quid per illa verba intelligitur, quod nempe Dominus, quando finis Ecclesiæ est, aperiturus sit sensum spiritualem Verbi, & sic Divinum Verum, quale in se est: ita quod hoc sit signum, quod ultimum Judicium instet. Quod unicuivis rei quæ dicitur in Verbo, & unicuivis voci insit sensus spiritualis, & qualis ille est, videatur in Arcanis Cœlestibus, in quibus secundum illum sensum explicata sunt omnia & singula quæ in Genesi

Genesi & Exodo continentur, ex quibus Collecta de Verbo & ejus sensu spirituali, videantur in Opusculo de Equo Albo, de quo in Apocalypsi.

29. Quod Ultimum Judicium exstiturum sit in Mundo spirituali, & non in Mundo naturali seu in terris, constat ex binis Articulis qui præcedunt, & quoque ex illis qui sequuntur; in binis Articulis qui præcedunt, ostensum est, quod Cœlum & Infernum sint ex Humano Genere; & quod omnes, quotcunque a principio creationis nati sunt homines, & defuncti, sint vel in Cœlo vel in Inferno, ita quod omnes ibi simul sint: in Articulis autem qui sequuntur, ostendendum venit, quod Ultimum Judicium jamdum peractum sit.

30. Præterea nullus judicatur ex naturali homine, ita non quamdiu in naturali mundo vivit, nam tunc homo in naturali corpore est, sed judicatur in spirituali homine, ita dum in spiritualem Mundum venit, nam tunc homo in spirituali corpore est: spirituale apud hominem est, quod judicatur, non autem naturale, hoc enim non reum alicujus culpæ aut criminis est, quia non vivit ex se, sed est modo administrum & instrumentale, per quod spiritualis homo agit, videatur supra n: 24: inde etiam est, quod judicium fiat super homines, quando exuerunt naturale suum corpus, ac induerunt spirituale: in hoc corpore homo etiam apparet qualis est quoad amorem & fidem, nam unusquisque in spirituali Mundo est effigies sui amoris, non modo quoad faciem & corpus, sed etiam quoad loquelam & actiones; videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 481. inde est, quod noscantur omnes quales sunt, ac illico separantur, quando Domino beneplacet. Ex his quoque patet, quod judicium fiat in Mundo spirituali, & non in naturali seu in terris.

31. Quod vita naturalis apud hominem nihil faciat, sed vita ejus spiritualis in naturali, quoniam naturale ex se est expers vitæ, & quod vita apparens in illo sit ex vita spiritualis hominis, ita quod hic sit qui judicatur, & quod etiam spirituale hominis intelligatur per judicari secundum facta, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, & ibi in Articulo inscripto, quod homo sit post mortem qualis ejus vita fuit in Mundo, n: 470 ad 484.

32. His adjicere velim aliquod Arcanum cœleste, quod quidem in Opere de Cœlo & Inferno memoratum est, sed nondum descriptum: unusquisque post mortem est alligatus cuidam Societati, & alligatur ut primum in Mundum spiritualem venit, videatur in illo Opere n: 427 & 497; sed spiritus in primo suo statu id nescit, nam tunc in externis suis est, & nondum in internis; quando talis est, tunc vadit huc illuc, quo desideria animi eum ferunt; at usque actualiter est ubi suus amor, hoc est, in Societate, ubi sunt qui in simili amore. Cum spiritus in tali statu est, tunc apparet in multis aliis locis, ubivis etiam sicut corpore præsens, sed hoc est modo apparentia; quapropter ut primum perducitur a Domino in suum amorem regnantem, illico ab oculis aliorum evanescit, & est apud suos in Societate cui alligatus est: hoc peculiare est in Mundo spirituali, & mirabile illis qui causam ignorant. Inde nunc est, quod, ut primum Spiritus congregati sunt, & separati, etiam judicati sint, & quisque actutum in suo loco, boni in Cœlo & in Socie-

tate ibi apud ſuos, ac mali in Inferno & in Societate ibi apud ſuos. Ex his etiam conſtare poteſt, quod Ultimum Judicium non alibi quam in Mundo ſpirituali exiſtere poſſit, tam quia unuſquiſque ibi eſt in effigie ſuæ vitæ, quam quia eſt cum illis qui in ſimili vita ſunt, ita quiſque cum ſuis: aliter in naturali Mundo, ibi boni & mali ſimul poſſunt eſſe, nec unus ſcit qualis alter, nec ſeparantur ex ſe ſecundum amorem vitæ ſuæ; imo nec poteſt aliquis homo cum naturali corpore eſſe in Cœlo, nec in Inferno, quare ut homo in unum aut alterum veniat, oportet eum exuere naturale ſuum corpus, & poſtquam exuit, in ſpirituali corpore judicari. Inde eſt, quod, ut ſupra dictum eſt, ſpiritualis homo judicetur, & non naturalis.

Ex Arcanis cœlestibus. *(l)* Quod Dominus ſit Verbum, quia eſt Divinum Verum in Cœlo, n: 2533. 2818. 2859. 2894. 3393. 3712. Quod Dominus ſit Verbum, etiam quia Verbum eſt ab Ipſo, & de Ipſo, n: 2859; ac de Solo Domino, imprimis de Glorificatione Humani Ipſius, in intimo ſenſu Verbi, ita Ipſe Dominus ibi, n: 1873. 9357. Quod adventus Domini ſit præſentia Ipſius in Verbo, ac revelatio, n: 3900. 4060. Quod Nubes in Verbo ſignificet Verbum in litera, ſeu ſenſum literæ ejus, n: 4060. 4391. 5922. 6343. 6752. 8106. 8781. 9430. 10551. 10574. Quod Gloria in Verbo ſignificet Divinum Verum, quale eſt in Cœlo, & quale eſt in ſenſu ſpirituali, n: 4809. 5292. 8267. 8427. 9429. 10574. Quod per Angelos in Verbo ſignificentur Divina Vera quæ a Domino, quoniam Angeli ſunt receptiones eorum, & non illa loquuntur ex ſe ſed ex Domino, n: 1925. 2821. 3039. 4085. 4295. 4402. 6280. 8192. 8301. Quod tubæ ſeu buccinæ, quæ tunc Angelis, ſignificent Divina Vera in Cœlo, & e Cœlo revelata, n: 8815. 8823. 8915.

Quod Ultimum Judicium exiſtat, quando finis Eccleſiæ eſt: & quod finis Eccleſiæ ſit, quando non fides quia non charitas.

33. QUOD Ultimum Judicium exiſtat quando finis Eccleſiæ eſt, ſunt plures cauſæ; primaria eſt, quod tunc perire incipiat æquilibrium inter Cœlum & Infernum, & cum Æquilibrio ipſum Liberum hominis; & cum Liberum hominis perit, tunc non amplius ſalvari poteſt; ex Libero enim tunc fertur ad infernum, & non in libero duci poteſt ad Cœlum; nam abſque libero nemo reformari poteſt, & omne Liberum hominis eſt ex Æquilibrio inter Cœlum & Infernum: quod ita ſit conſtare poteſt ex binis Articulis in Opere de Cœlo & Inferno, ubi actum eſt de Æquilibrio inter Cœlum & Infernum, n: 589 ad 596: & quod homo in Libero ſit per æquilibrium inter Cœlum & Infernum, n: 597 ad 603; & quoque ibi, quod nemo reformari queat quam in Libero.

34. Quod Æquilibrium inter Cœlum & Infernum perire incipiat in fine Eccleſiæ, conſtare poteſt ex eo, quod Cœlum & Infernum ſint ex Humano Genere,

Genere, de qua re videatur ſupra in ſuo Articulo; & cum homines rari in Cœlum veniunt, & multi in Infernum, quod malum ab una parte creſcat ſuper bonum ab altera; nam quantum Infernum creſcit, tantum creſcit malum; & omne malum homini eſt ex inferno, & omne bonum ei eſt e Cœlo: quia malum creſcit ſuper bonum in fine Eccleſiæ, quapropter a Domino tunc judicantur omnes, & ſeparantur mali a bonis, ac rediguntur omnia in ordinem, ac inſtauratur novum Cœlum, & quoque nova Eccleſia in terris, & ſic reſtauratur æquilibrium. Hoc nunc eſt, quod vocatur Ultimum Judicium, de quo plura in ſequentibus.

35. Quod finis Eccleſiæ ſit, quando non amplius intra Eccleſiam eſt Fides, notum eſt ex Verbo, ſed nondum notum eſt, quod non aliqua Fides ſit ſi non Charitas; quapropter de hac re aliqua in nunc ſequentibus dicentur. Quod in fine Eccleſiæ nulla ſit fides, prædicitur a Domino, "*Filius hominis cum venerit, num inveniet fidem in terra,*" Luc: XVIII: 8: & quoque quod tunc nulla charitas, "*In Conſummatione ſæculi multiplicabitur iniquitas, refrigeſcet Charitas multorum: & prædicabitur id Evangelium in toto terrarum orbe; & tunc veniet finis,*" Matth: XXIV: 12. 14. Conſummatio ſæculi eſt Ultimum tempus Eccleſiæ; deſcribitur in eo Capite a Domino ſtatus ſucceſſive decreſcens Eccleſiæ quoad amorem & fidem, ſed deſcribitur ibi per meras correſpondentias; quare illa quæ ibi prædicta ſunt a Domino non poſſunt intelligi, niſi ſenſus ſpiritualis correſpondens ſingulis ibi ſciatur, quapropter datum mihi eſt a Domino explicare omnia quæ in illo Capite, & aliqua quæ in ſequente dicta ſunt, de Conſummatione ſæculi, de Adventu Ipſius, deque ſucceſſiva vaſtatione Eccleſiæ, & de Ultimo Judicio, in ARCANIS CŒLESTIBUS, quæ ibi videantur n: 3353 ad 3356. 3486 ad 3489. 3650 ad 3655. 3751 ad 3759. 3897 ad 3901. 4056 ad 4060. 4229 ad 4231. 4332 ad 4335. 4422 ad 4424. 4635 ad 4638. 4661 ad 4664. 4807 ad 4810. 4954 ad 4959. 5063 ad 5071.

36. Aliqua nunc dicentur de eo, quod nulla fides ſit ſi non charitas: autumatur quod ſit fides quamdiu creduntur doctrinalia Eccleſiæ, ita quod ſit apud illos qui credunt; ſed ſolum credere non eſt fides, at velle & facere id quod creditur eſt fides: doctrinalia Eccleſiæ quando ſolum creduntur, non ſunt in vita hominis, ſed ſolum in ejus memoria & inde in Externi hominis cogitatione, nec intrant in ejus vitam priuſquam in ejus voluntatem & inde in actiones; tunc primum eſt in hominis ſpiritu, nam ſpiritus hominis, cujus vita eſt ipſa vita hominis, formatur ex voluntate ejus, ac tantum ex cogitatione, quantum hæc procedit ex voluntate: memoria hominis & inde cogitatio eſt modo atrium, per quod fit introductio. Sive dicas Voluntatem ſive Amorem, idem eſt, quoniam unuſquiſque quod vult id amat, & quod amat id vult; ac Voluntas eſt receptaculum amoris, & intellectus, cujus eſt cogitare, eſt receptaculum fidei. Homo multa poteſt ſcire, cogitare & intelligere, ſed illa quæ non concordant cum voluntate ſeu cum amore ejus, rejicit a ſe, cum ſibi ſoli relictus ex ſua voluntate ſeu ex ſuo amore meditatur, & ideo quoque illa rejicit poſt vitam corporis, cum in ſpi-

ritu vivit; nam id solum manet in spiritu hominis, quod intravit in ejus voluntatem seu amorem, ut mox supra dictum est, cætera post mortem spectantur sicut aliena, quæ quia non amoris ejus sunt, ejicit domo, & quoque aversatur. Alia res est, si homo doctrinalia Ecclesiæ, quæ ex Verbo sunt, non modo credit, sed etiam vult illa & facit illa, tunc fit fides; fides enim est affectio veri ex velle verum quia est verum, nam velle verum quia est verum est ipsum spirituale hominis, est enim abstractum a naturali, quod est velle verum non propter verum, sed propter sui gloriam, famam, & lucrum; verum enim abstracte a talibus spectatum est spirituale, quia in sua essentia est Divinum; quare velle verum quia est verum, est quoque agnoscere & amare Divinum; duo illa prorsus conjuncta sunt, & quoque spectantur ut unum in Cœlo, Divinum enim quod procedit a Domino in Cœlo est Divinum Verum, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 128. 129. 130. 131. 132, & illi sunt Angeli in Cœlis, qui recipiunt illud, & faciunt suæ vitæ. Hæc dicta sunt, ut sciatur quod fides non sit solum credere, sed velle & facere, proinde quod nulla fides sit si non charitas; charitas seu amor est velle & facere.

37. Quod hodie intra Ecclesiam tam rara fides sit, ut vix dici queat aliqua, patuit a multis tam doctis quam simplicibus, qui, post mortem spiritus explorati qua fide fuerunt in mundo, & compertum est quod unusquisque autumaverit fidem esse solum credere & sibi persuadere quod ita sit; & doctiores esse solum ex fiducia seu confidentia credere quod salventur per Passionem Domini & Intercessionem Ipsius; & quod vix aliquis noverit, quod nulla fides sit nisi sit charitas seu amor; imo nec sciverunt quid charitas erga proximum; nec quæ differentia est inter cogitare & velle; plerique ex illis a tergo rejecerunt charitatem, dicentes quod charitas nihil faciat, sed solum fides: cum dictum est illis, quod charitas & fides unum sint, sicut voluntas & intellectus, & quod charitas resideat in voluntate & fides in intellectu, & quod separare unam ab altera, sit sicut separare voluntatem & intellectum, hoc non intellexerunt; inde patuit, quod hodie vix aliqua fides sit. Hoc quoque illis ad vivum ostensum est, adducti sunt illi, qui in persuasione fuerunt quod fidem habuerint, ad Societatem angelicam, ubi genuina fides erat, & tunc data communicatione clare perceperunt, quod illis nulla fides; quod dein quoque coram pluribus fassi sunt: idem etiam ostensum est aliis modis penes illos qui professi sunt fidem, & putaverunt se credidisse, & non vixerunt vitam fidei quæ est charitas, & quisque ex illis fassus est, quod nulla eis fides fuerit, quia nihil ejus fuit in vita spiritus eorum, sed solum extra illam in aliqua cogitatione cum vixerunt in naturali mundo.

38. Talis status est Ecclesiæ hodie, quod nempe ibi non fides sit quia non charitas, & ubi non est charitas ibi nec est aliquod bonum spirituale, nam id bonum unice est ex charitate: dictum est e Cœlo, quod apud aliquos adhuc sit bonum, at quod id non dici queat bonum spirituale, sed bonum naturale, ex causa quia ipsa Divina Vera in obscuro sunt, & Divina Vera introducunt ad charitatem, docent enim illam, & spectant illam ut finem ad quem, inde charitas non alia existere potest, quam prout sunt vera ex quibus: Divina

Vera,

Vera, ex quibus Doctrinæ Ecclesiarum, spectant solam fidem, quapropter vocantur Doctrinæ fidei, & non spectant vitam, & Vera quæ modo spectant fidem & non vitam, non possunt facere hominem spiritualem; & quamdiu extra vitam sunt, modo naturalia sunt, sciuntur enim & cogitantur modo sicut res aliæ; inde est, quod hodie non detur bonum spirituale, sed apud quosdam modo bonum naturale. Præterea omnis Ecclesia in principio est spiritualis, inchoat enim a charitate, sed temporis successu deflectit a charitate ad fidem, & tunc ab Interna Ecclesia fit Externa, & quando fit Externa, tunc finis ejus est, quoniam tunc in scientia ponitur omne, ac parum si quicquam in vita; & quantum homo ab Interno fit Externus, tantum caligatur apud illum Lux spiritualis, usque ut non videat Divinum Verum ex ipso Vero, hoc est, ex Luce cœli, Lux cœli enim est Divinum Verum, sed solum ex luce naturali, quæ talis est, cum sola & non illustrata a Luce spirituali, ut videat Divinum Verum sicut in nocte, nec cognoscit aliunde num verum sit, quam quia ita dictum est ab Antistite, ac receptum a communi Cætu; inde est, quod intellectuale eorum non illustrari a Domino potuerit, nam quantum splendet lux naturalis in intellectuali, tantum obtenebratur lux spiritualis: lux naturalis in intellectuali splendet, quando mundana, corporea, & terrestria amantur præ spiritualibus, cœlestibus, & Divinis; tantum etiam homo Externus est.

39. Sed quia in Orbe Christiano non scitur, quod nulla fides sit si non charitas, nec quid Charitas erga proximum, ne quidem quod Voluntas faciat ipsum hominem, ac tantum ejus Cogitatio, quantum trahit a voluntate, quare ut illæ res in lucem intellectus perveniant, velim adjungere Collecta de illis ex ARCANIS COELESTIBUS, quæ inservire illustrationi possunt.

EX ARCANIS COELESTIBUS.

DE FIDE. Qui non sciunt quod omnia in Universo se referant ad VERUM & ad BONUM, & ad conjunctionem utriusque ut producatur aliquid, quod non sciant quod omnia Ecclesiæ se referant ad FIDEM & AMOREM, & ad conjunctionem utriusque, n: 7752 ad 7762. 9186. 9224. Quod omnia in universo se referant ad Verum & Bonum, & ad conjunctionem utriusque, n: 2451. 3166. 4390. 4409. 5232. 7256. 10122. 10555. Quod Vera sint Fidei, & quod Bona sint amoris, n: 4353. 4997. 7178. 10367.

Qui non sciunt quod omnia & singula apud hominem se referant ad INTELLECTUM & ad VOLUNTATEM, & ad conjunctionem utriusque, ut homo sit homo, quod nec sciant quod omnia Ecclesiæ se referant ad FIDEM & AMOREM, & ad conjunctionem utriusque, ut in homine sit Ecclesia, n: 2231. 7752. 7753. 7754. 9224. 9995, 10122. Quod binæ facultates homini sint, una quæ vocatur Intellectus, & altera quæ Voluntas, n: 641. 803. 3623. 3939. Quod Intellectus dicatus sit recipiendis Veris, ita quæ Fidei sunt, &

Voluntas dicata recipiendis Bonis, ita quæ amoris sunt, n: 9300. 9930. 10064. Quod inde sequatur, quod Amor seu Charitas faciat Ecclesiam, & non sola fides, seu fides separata ab illis, n: 809. 916. 1798. 1799. 1734. 1844. 4766. 5826.

Quod Fides separata a Charitate sit nulla Fides, n: 654. 724. 1162. 1176. 2049. 2116. 2340. 2349. 2419. 3849. 3868. 6348. 7039. 7842. 9782. Quod talis Fides in altera vita pereat, n: 2228. 5820. Quod doctrinalia de sola Fide destruant Charitatem, n: 6353. 8094. Quod qui Fidem separant a Charitate in Verbo repræsentati sint per Cainum, per Chamum, per Rubenem, per Ægyptiorum primogenitos, & per Philisthæos, n: 3325. 7097. 7317. 8093. Quod quantum Charitas recedit, tantum invaleat Religio de sola Fide, n: 2231. Quod Ecclesia successu temporis deflectat a Charitate ad Fidem, & tandem ad solam Fidem, n: 4683. 8094. Quod ultimo tempore Ecclesiæ sit nulla Fides quia nulla Charitas, n: 1843. 3489. 4649. Qui solam Fidem salvificam faciunt, quod vitam mali excusent, & quod illis qui in vita mali sunt, nulla fides sit, quia nulla Charitas, n: 3865. 7766. 7778. 7790. 7950. 8094. Quod illi intus in falsis sui mali sint, tametsi hoc non sciunt, n: 7790. 7950. Quod ideo illis non possit conjungi Bonum, n: 8981. 8983. Quod etiam in altera vita sint contra Bonum, & contra illos qui in Bono sunt, n: 7097. 7127. 7317. 7502. 7945. 8096. 8313. Quod simplices corde præ sapientibus sciant quid bonum vitæ, ita quid Charitas, at non quid Fides separata, n: 4741. 4754.

Quod Bonum sit Esse, & Verum Existere inde, & sic quod Verum fidei suum Esse vitæ habeat ex Bono charitatis, n: 3049. 3180. 4574. 5002. 9144. Inde quod Verum fidei vivat ex Bono charitatis, ita quod vita fidei sit charitas, n: 1589. 1947. 1997. 2579. 4070. 4096. 4097. 4736. 4757. 4884. 5147. 5928. 9154. 9667. 9841. 10729. Quod Fides non vivat apud hominem, cum modo scit & cogitat illa quæ fidei sunt, sed cum vult illa & ex velle facit illa, n: 9224. Quod conjunctio Domini cum homine non sit per fidem, sed per vitam fidei quæ est charitas, n: 9380. 10143. 10153. 10578. 10645. 10648. Quod Cultus ex bono charitatis sit verus cultus, at ex vero fidei absque bono charitatis sit actus externus, n: 7724.

Quod sola Fides seu Fides separata a Charitate sit sicut lux hyemis, in qua omnia Telluris torpent, & nihil producitur, at quod Fides cum Charitate sit sicut lux veris & æstatis, in qua omnia florent & producuntur, n: 2231. 3146. 3412. 3413. Quod lux hyemalis, quæ est Fidei separatæ, in altera vita vertatur in densas tenebras cum influit lux e Cœlo; & quod illi, qui in illa fide sunt, tunc in cæcitatem & stupiditatem veniant, n: 3412. 3413. Quod qui fidem a charitate separant, in tenebris sint, ita in ignorantia veri, & inde in falsis, nam hæc sunt tenebræ, n: 9186. Quod se conjiciant in falsa & inde mala, n: 3325. 8094. Errores & falsa in quæ se conjiciunt, n: 4721. 4730. 4776. 4783. 4925. 7779. 8313. 8765. 9224. Quod Verbum illis sit occlusum, n: 3773. 4783. 8780. Quod non videant & attendant ad omnia illa quæ Dominus toties loquutus est de amore & charitate, de

quibus, n: 1017. 3416. Quod nec sciant quid Bonum, nec quid cœlestis Amor, nec quid Charitas, n: 2507. 3603. 4136. 9995.

Quod Charitas faciat Ecclesiam, & non Fides separata a Charitate, n: 809. 916. 1798. 1799. 1834. 1844. Quantum boni in Ecclesia, si Charitas spectaretur primo loco, n: 6269. 6272. Quod una Ecclesia foret, & non divisa in plures, si Charitas esset essentiale ejus; & quod tunc nihil faceret, si differrent doctrinalia fidei, & cultus externi, n: 1285. 1316. 2385. 2853. 2982. 3267. 3445. 3451. 3452. Quod spectentur omnes ex Charitate in Cœlo, & nullus ex fide absque illa, n: 1258. 1394. 2364. 4802.

Quod duodecim Discipuli Domini repræsentaverint Ecclesiam quoad omnia fidei & charitatis in uno complexu, similiter ac duodecim Tribus Israelis, n: 2129. 3354. 3488. 3858. 6397. Quod Petrus, Jacobus, & Johannes repræsentaverint fidem, charitatem, & bona charitatis, in suo ordine, n: 3750. Quod Petrus Fidem, n: 4738. 6000. 6073. 6344. 10087. 10580. Et quod Johannes bona charitatis, Præfat: ad Cap: XVIII & XXII Genes: Quod ultimis temporibus nulla esset fides in Dominum quia non charitas, repræsentatum est per quod Petrus ter abnegaverit Dominum antequam gallus tertio cecinit, Petrus enim in sensu repræsentativo ibi est Fides, n: 6000. 6073. Quod gallinaceum æque ac diluculum in Verbo significet ultimum tempus Ecclesiæ, n: 10134. Et quod tria vel ter significent completum ad finem, n: 2788. 4495. 5159. 5198. 10127. Simile significatur per quod Dominus dixit ad Petrum, cum videret Johannem sequi Dominum, *quid ad te Petre, tu sequere me Johannes*, Petrus enim dixit de Johanne, *hic quid*, Joh. XXI: 21. 22. n: 10087. Quia Johannes repræsentavit bona charitatis, quod accubuerit ad pectus Domini, n: 3934. 10081. Quod omnia nomina personarum & locorum in Verbo significent res abstracte ab illis, n: 768. 1888. 4310. 4442. 10329.

De CHARITATE. Quod Cœlum sit distinctum in duo Regna, quorum unum vocatur Regnum cœleste, alterum Regnum spirituale; Amor in Regno cœlesti est Amor in Dominum, & vocatur Amor cœlestis, & Amor in Regno spirituali est Charitas erga proximum, & vocatur Amor spiritualis, n: 3325. 3653. 7257. 9002. 9833. 9961. Quod Cœlum distinctum sit in Duo illa Regna, videatur in Opere de Cœlo & Inferno n: 20 ad 28. Et quod Divinum Domini in cœlis sit Amor in Ipsum, & Charitas erga proximum, n: 13 ad 19 ibi.

Quod non sciatur quid Bonum & quid Verum, nisi sciatur quid Amor in Dominum & Charitas erga proximum, quoniam omne Bonum est Amoris & Charitatis, & omne Verum est Boni, n: 7255. 7366. Quod scire vera, velle vera, & affici veris propter vera, hoc est, quia vera sunt, sit Charitas, n: 3876. 3877. Quod Charitas consistat in affectione interna faciendi verum, & non in externa absque illa, n: 2430. 2442. 3776. 4899. 4956. 8033. Ita quod Charitas consistat in usibus præstandis propter usus, & quod quale ejus sit secundum usus, n: 7038. 8253. Quod Charitas sit vita spiritualis hominis, n: 7081. Quod totum Verbum sit Doctrina Amoris & Charitatis, n: 6632.

n : 6632. 7262. Quod nesciatur hodie quid Charitas, n : 2417. 3398. 4776. 6632. Quod usque homo ex lumine rationis suæ scire possit, quod Amor & Charitas faciant hominem, n : 3957. 6273. Tum quod Bonum & Verum concordent, ac unum sit alterius, ita Charitas & Fides, n : 7627.

Quod Dominus in supremo sensu sit Proximus, quia Ille super omnia amandus est; inde quod omne id Proximus sit, quod ab Ipso est in quo Ipse, ita Bonum & Verum, n : 2425. 3419. 6706. 6819. 6823. 8124. Quod discrimen Proximi sit secundum quale Boni, ita secundum præsentiam Domini, n : 6707. 6708. 6709. 6710. Quod omnis homo, & omnis Societas, tum Patria & Ecclesia, ac in universali sensu Regnum Domini, sint Proximus, & quod illis benefacere ex amore boni secundum quale status illorum, sit amare proximum, ita proximus est bonum illorum, cui consulendum est, n : 6818 ad 6824. 8123. Quod etiam Bonum Civile quod est justum, & bonum morale quod est Bonum vitæ in societate, sit Proximus, n : 2915. 4730. 8120. 8121. 8122. Quod amare proximum non sit amare personam, sed id quod est apud illum ex quo ille, ita bonum & verum, n : 5025. 10336. Qui amant personam, & non quod est apud illum ex quo ille, quod ament æque malum ac bonum, n : 3820. Et quod benefaciant æque malis ac bonis, cum tamen benefacere malis est malefacere bonis, quod non est amare proximum, n : 3820. 6703. 8120. Judex qui punit malos ut emendentur, & ne contaminentur ab illis boni, is proximum amat, n : 3820. 8120. 8121.

Quod amare proximum sit facere bonum, justum & rectum in omni opere & in omni functione, n : 8120. 8121. 8122. Inde, quod Charitas erga proximum se extendat ad omnia & singula quæ homo cogitat, vult & facit, n : 8124. Quod facere bonum & verum propter bonum & verum, sit amare proximum, n : 10310. 10336. Quod illi qui hoc faciunt, ament Dominum, qui in supremo sensu est Proximus, n : 9212. Quod vita charitatis sit vita secundum præcepta Domini, ita quod vivere secundum Divina Vera, sit amare Dominum, n : 10143. 10153. 10310. 10578. 10648.

Quod genuina Charitas non sit meritoria, n : 2340. 2373. 2400. 3887. 6388 ad 6393. Quia est ex affectione interna, ita ex jucundo faciendi bonum, n : 2373. 2400. 3887. 6388. 6393. Qui fidem separant a charitate, quod in altera vita faciat fidem, & bona opera quæ in externa forma fecerunt, meritoria, n : 2373.

Quod Doctrina Antiquæ Ecclesiæ fuerit Doctrina vitæ, quæ est Doctrina charitatis, n : 2487. 2385. 3419. 3420. 4844. 6628. Quod Antiqui, qui ab Ecclesia, redegerint bona charitatis in ordinem, & distinxerint in classes, & singulis imposuerint nomina, & quod illis inde sapientia, n : 2417. 6629. 7259 ad 7262. Quod sapientia & intelligentia crescant in immensum in altera vita apud illos, qui vitam charitatis in mundo vixerunt, n : 1941. 5859. Quod Dominus cum Divino Vero influat in Charitatem, quia in ipsam vitam hominis, n : 2363. Quod homo sit sicut hortus, cum apud illum charitas & fides conjunctæ sunt, sed sicut desertum cum non conjunctæ, n : 7626.

Quod homo tantum recedat a ſapientia, quantum a charitate, n : 6630. Quod in ignorantia de Veris Divinis ſint, qui non in charitate ſunt, utcunque ſe credunt ſapere, n : 2416. 2435. Quod vita angelica conſiſtat in bonis charitatis, quæ ſunt uſus, præſtandis, n : 454. Quod Angeli ſpirituales ſint formæ charitatis, n : 553. 3804. 4735.

De Voluntate & Intellectu. Quod binæ facultates homini ſint, una quæ vocatur Intellectus, altera quæ Voluntas, n : 35. 641. 3939. 10122. Quod binæ illæ facultates faciant ipſum hominem, n : 10076. 10109. 10110. 10264. 10284. Quod homo talis ſit, quales illæ facultates apud illum ſunt, n : 7342. 8885. 9282. 10264. 10184. Quod per illas homo etiam diſtinguatur a beſtiis, ex cauſa quia Intellectus hominis elevari poteſt a Domino, & videre Vera Divina, pariter Voluntas & percipere Bona Divina, & ſic homo conjungi Domino per binas ſuas facultates, quæ faciunt illum, ſecus autem beſtiæ, n : 4525. 5302. 5114. 6323. 9231. Et quia homo in facultate illa eſt præ beſtiis, quod non mori poſſit quoad interiora ſua quæ ejus ſpiritus ſunt, ſed quod vivat in æternum, n : 5302.

Quod omnia in univerſo ſe referant ad Bonum & Verum, ita apud hominem ad Voluntatem & Intellectum, n : 803. 10122. Quia Intellectus eſt recipiens veri ac Voluntas boni, n : 3332. 3623. 5332. 6065. 6125. 7503. 9300. 9930. Eodem recidit, ſive dicas Verum ſive dicas fidem, nam fides eſt veri ac verum eſt fidei ; & eodem recidit, ſive dicas bonum ſive dicas amorem, nam amor eſt boni & bonum eſt amoris, quod enim homo credit hoc verum dicit, & quod homo amat hoc bonum dicit, n : 4353. 4997. 7178. 10122. 10367. Inde ſequitur quod Intellectus ſit recipiens fidei, & quod Voluntas ſit recipiens amoris, n : 7178. 10122. 10367. Et quia Intellectus hominis recipere poteſt fidem in Deum, ac voluntas amorem in Deum, quod poſſit fide & amore conjungi Deo, & qui conjungi poteſt Deo amore & fide, non poteſt mori in æternum, n : 4525. 6323. 9231.

Quod Voluntas hominis ſit ipſum Eſſe vitæ illius, quia eſt receptaculum amoris ſeu boni, & quod Intellectus ſit Exiſtere vitæ inde, quia eſt receptaculum fidei ſeu veri, n : 3619. 5002. 9282. Ita quod vita Voluntatis ſit vita principalis hominis, & quod vita Intellectus procedat inde, n : 585. 590. 3619. 7342. 8885. 9282. 10076. 10109. 10110. Similiter ut lux ex igne ſeu flamma, n : 6032. 6314. Quod quæ in Intellectum veniunt & ſimul in voluntatem, approprientur homini, non autem quæ ſolum in Intellectum, n : 9009. 9069. 9071. 9129. 9182. 9386. 9393. 10076. 10109. 10110. Quod illa fiant vitæ hominis quæ recipiuntur voluntate, n : 3161. 9386. 9393. Inde ſequitur quod homo ſit homo ex voluntate, & inde intellectu, n : 8911. 9069. 9071. 10076. 10109. 10110. Unuſquiſque etiam homo ab aliis amatur & æſtimatur ſecundum bonum ſuæ voluntatis & inde Intellectus, amatur enim & æſtimatur qui vult bene & intelligit bene, ac rejicitur & vilipenditur qui intelligit bene & non vult bene, n : 8911. 10076. Quod homo poſt mortem etiam maneat, ſicut ejus Voluntas & inde Intellectus eſt, n : 9069. 9071. 9386. 10153. Et quod quæ Intellectus ſunt, &

non

non ſimul voluntatis, tunc evaneſcant, quia non ſunt in homine, n : 9282. Seu quod eodem recidit, quod homo poſt mortem maneat ſicut ejus amor eſt & inde fides, aut ſicut ejus bonum & inde verum, & quod quæ fidei ſunt & non ſimul amoris, ſeu quæ veri ſunt & non ſimul boni, tunc evaneſcant, quia non ſunt in homine, ita non hominis, n : 553. 2364. 10153. Quod homo poſſit intellectu capere, quod non ex voluntate facit, ſeu quod poſſit intelligere quod non poteſt velle, quia contra amorem ejus, n : 3539. Quod homo ægre ſciat diſtinguere inter cogitare & velle, cauſa, n : 9991.

Quam perverſus ſtatus eſt apud quos Intellectus & Voluntas non unum agunt, n : 9075. Quod talis ſtatus ſit apud hypocritas, doloſos, aſſentatores & ſimulatores, n : 4326. 3573. 4799. 8250.

Quod omnis Voluntas boni & inde Intellectus Veri, ſit a Domino, non ita Intellectus Veri ſeparatus a Voluntate boni, n : 1831. 3514. 5483. 5649. 6027. 8685. 8701. 10153. Quod Intellectus ſit qui illuſtratur a Domino, n : 6222. 6608. 10659. Quod Intellectus illuſtretur, quantum homo recipit verum voluntate, hoc eſt, quantum vult facere ſecundum id, n : 3619. Quod Intellectui ſit lux e Cœlo, ſicut viſui lux e mundo, n : 1524. 5114. 6608. 9128. Quod Intellectus talis ſit, qualia ſunt vera ex bono, ex quibus formatus eſt, n : 10064. Quod Intellectus ſit qui eſt ex veris quæ ex bono, non autem qui eſt ex falſis quæ a malo, n : 10675. Quod Intellectus ſit videre ex illis quæ experientiæ & ſcientiæ ſunt, vera, cauſas rerum, nexus & conſequentia in ſerie, n : 6125. Quod Intellectus ſit videre & percipere num verum ſit antequam confirmatur, non autem poſſe confirmare quodcunque, n : 4741. 7012. 7680. 7950. 8521. 8780. Quod videre & percipere num verum ſit antequam confirmatur, ſolum detur apud illos qui afficiuntur vero propter verum, ita qui in luce ſpirituali ſunt, n : 8521. Quod lux confirmationis ſit lux naturalis, dabilis etiam apud malos, n : 8780. Quod omnia dogmata etiam falſa confirmari poſſint, uſque ut appareant ſicut vera, n : 2482. 2490. 5033. 6865. 7950.

Quod omnia, quæ in Apocalypſi prædicta ſunt, hodie impleta ſint.

40. NEMO ſcire poteſt quid ſignificant & involvunt omnia illa quæ in Apocalypſi continentur, niſi ſciat ſenſum internum ſeu ſpiritualem Verbi ; nam quicquid ibi eſt, ſimili ſtylo conſcriptum eſt, quo ſunt Prophetica Veteris Teſtamenti, in quibus unaquævis vox ſignificat ſpirituale, quod non apparet in ſenſu literæ : præterea illa, quæ in Apocalypſi ſunt, nec poſſunt explicari quoad ſenſum ſpiritualem niſi ab illo qui ſcit quomodo cum Eccleſia tranſactum eſt uſque ad finem ejus, & hoc ſciri non poteſt quam in Cœlo, & id eſt quod in Apocalypſi continetur : agitur enim in ſenſu

ſenſu ſpirituali Verbi ubivis de Spirituali Mundo, hoc eſt, de ſtatu Eccleſiæ tam in Cœlis quam in Terris, inde eſt Verbum ſpirituale & Divinum; ille ſtatus eſt qui in ſuo ordine ibi exponitur: inde conſtare poteſt, quod illa, quæ in Apocalypſi continentur, nuſquam ab aliquo explicari queant, niſi cui revelatum eſt de ſucceſſivis ſtatibus Eccleſiæ in Cœlis: eſt enim Eccleſia in Cœlis æque ac in terris, de qua in ſequentibus aliqua dicentur.

41. Qualis Eccleſia Domini in terris eſt, non videri poteſt ab aliquo homine, quamdiu is in mundo vivit, minus quomodo deflexit a bono ad malum progreſſu temporis; cauſa eſt, quia homo, dum in mundo vivit, in externis eſt, & non videt niſi quæ patent coram naturali ejus homine; qualis autem Eccleſia eſt quoad ſpiritualia, quæ ſunt ejus interna, non in mundo apparet, verum apparet in Cœlo ut in clara die, quoniam Angeli in ſpirituali cogitatione & quoque in ſpirituali viſu ſunt, & inde non niſi quam ſpiritualia vident; & præterea omnes homines ibi ſimul ſunt qui in mundo nati a principio creationis, ut ſupra oſtenſum eſt, & quoque omnes ibi diſtincti in Societates ſecundum bona amoris & fidei, videatur in Opere de Cœlo & Inferno n: 41 ad 50, inde eſt, quod ſtatus Eccleſiæ, & quoque progreſſiones ejus in Cœlo coram Angelis pateant. Nunc quia Eccleſiæ ſtatus quoad amorem & fidem in Apocalypſi in ſenſu ejus ſpirituali deſcribitur, ideo non poteſt aliquis ſcire, quid omnia ibi in ſerie involvunt, niſi cui revelatum eſt e Cœlo, & ſimul cui datum eſt ſcire internum ſeu ſpiritualem ſenſum Verbi. Hoc aſſeverare poſſum, quod ſingula ibi, uſque ad unamquamvis vocem, contineant in ſe ſenſum ſpiritualem, & quod in illo ſenſu omnia Eccleſiæ quoad ſpiritualem ejus ſtatum a principio ad finem plene deſcripta ſint: & quia unaquævis vox ibi ſpirituale ſignificat, ideo nulla vox poteſt deeſſe, quin ſeries rerum in ſenſu interno inde mutationem patiatur; idcirco in fine illius Libri dicitur, "*Si quis abſtulerit ex verbis Libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus e libro vitæ, & ex Civitate illa ſancta, & ex iis quæ ſcripta ſunt in Libro illo*," Cap: XXII: 19. Simile eſt cum Libris Verbi Veteris Teſtamenti; in illis etiam unaquævis res, & unaquævis vox continet ſenſum internum ſeu ſpiritualem, quapropter nec ibi aliqua vox auferri poteſt; inde eſt, quod ex Divina Providentia Domini illi Libri integri conſervati ſint uſque ad jotham a tempore quo conſcripti, per curam plurium qui ſingulariſſima ibi numeraverunt; hoc proviſum eſt a Domino ob ſanctitatem, quæ cuivis jothæ, literæ, voci, & rei ibi ineſt.

42. Quia ſenſus internus ſeu ſpiritualis ſimiliter ineſt omni voci in Apocalypſi, & quia ſenſus ille continet arcana ſtatus Eccleſiæ in cœlis & in terris, & quia illa non alicui revelari poſſunt, niſi qui illum ſenſum novit, & ſimul niſi cui datum eſt conſortium habere cum Angelis, & ſpiritualiter cum illis loqui, ideo, ne illa quæ ibi ſcripta ſunt, lateant coram hominibus, & in poſterum deſerantur ob non intellecta, mihi detecta ſunt quæ inibi continentur; quæ quia ſunt multa, non poſſunt in hoc Opuſculo deſcribi; quare velim totum illum Librum a principio ad finem explicare, ac retegere arcana, quæ intus inibi ſunt: quæ Explicatio publico ſiſtetur intra biennium; &

ſimul

ſimul ibi aliqua quæ in Daniele, quæ ob non cognitum ſenſum ſpiritualem, huc uſque recondita latuerunt.

43. Qui non ſenſum internum ſeu ſpiritualem novit, nuſquam divinare poteſt quid in Apocalypſi intelligitur per Draconem, & per Michaelis & Angelorum ejus pugnam cum illo; quid per caudam qua Draco detraxit e Cœlo tertiam partem ſtellarum; quid per Mulierem quæ peperit filium maſculum, qui raptus eſt ad Deum, & quam perſequutus eſt draco; quid per Beſtiam aſcendentem a mari, & per Beſtiam aſcendentem a terra, quibus tot cornua; quid per Meretricem cum qua ſcortati ſunt Reges terræ; quid per Reſurrectionem primam & ſecundam, perque mille annos; quid per Stagnum ſulphuris & ignis, in quod draco, beſtia, & pſeudopropheta conjecti ſunt; quid per Equum Album; tum quid per prius Cœlum & priorem Terram, quæ tranſiverunt: & quid per novum Cœlum & novam Terram, quæ loco priorum; perque Mare quod non amplius; tum quid per Civitatem Hieroſolymam novam deſcendentem e Cœlo, perque ejus menſuras, murum, portas, & fundamentum ex lapidibus pretioſis; quid per varios numeros; præter reliqua, quæ arcaniſſima ſunt illis qui nihil de ſpirituali ſenſu Verbi norunt. Sed ſingula detecta videbuntur in promiſſa Explicatione ſuper illum Librum.

44. In anteceſſum memorandum eſt, quod omnia quæ inibi in cœleſti ſenſu continentur, nunc impleta ſint: communia aliqua velim in hoc Opuſculo tradere, de Ultimo Judicio; de Babylonia deſtructa; de primo Cœlo & prima Terra quæ tranſiverunt: de novo Cœlo, deque nova Terra, & de nova Hieroſolyma, ob cauſam ut ſciatur quod omnia nunc peracta ſint: ſed ſpecifica non tradi queunt, niſi ubi explicantur ſingula ſecundum deſcriptiones in Libro Revelationis de illis.

Quod Ultimum Judicium peractum ſit.

45. SUPRA in ſuo Articulo oſtenſum eſt, quod Ultimum Judicium non exiſtat in terris, ſed in Mundo ſpirituali, ubi omnes a principio creationis ſimul ſunt; & quia ita eſt, non poteſt ad cognitionem ullius hominis venire, quum Ultimum Judicium peractum eſt, quiſque enim exſpectat id in terris, & ſimul tunc omnium mutationem in Cœlo quod coram oculis, & in Terris, cumque Humano Genere ibi: ne itaque homo Eccleſiæ in tali fide, ex ignorantia vivat, & illi, qui de Ultimo Judicio cogitant, præſtolentur illud in perpetuum, unde tandem peritura ſit fides de illis quæ in ſenſu literæ Verbi de illo dicta ſunt, & ne forte ideo plures receſſuri ſint a fide de Verbo, datum eſt mihi oculis meis videre, quod Ultimum Judicium nunc peractum ſit, & quod mali conjecti ſint in Inferna, ac boni elevati in Cœlum, & ſic quod omnia in ordinem redacta ſint, & inde reſtitutum Æquilibrium ſpirituale, quod eſt inter bonum & malum, ſeu inter Cœlum & Infernum. Quomodo

modo Ultimum Judicium peractum est, datum est mihi videre a principio ad finem, tum quoque quomodo Babylonica destructa est, ut & quomodo illi, qui intelliguntur per Draconem, conjecti sunt in abyssum; tum etiam quomodo formatum est novum Cœlum, & instaurata est nova Ecclesia in Cœlis, quæ intelligitur per Novam Hierosolymam. Hæc omnia data mihi sunt oculis meis videre, ob finem ut possim testari. Ultimum hoc Judicium inchoatum est in principio Anni præcedentis 1757, & in fine illius Anni plene peractum est.

46. Sed sciendum est, quod Ultimum Judicium factum sit super illos qui vixerunt a tempore Domini ad hunc diem, non autem super illos qui antea vixerunt: in hac Tellure enim Ultimum Judicium prius bis exstiterat, unum quod in Verbo describitur per Diluvium; alterum ab Ipso Domino cum fuit in mundo, quod etiam intelligitur per Domini verba, "*Nunc Judicium est Mundi hujus, nunc princeps mundi hujus ejicitur foras,*" Joh: XII: 31; & alibi, "*Hæc loquutus sum vobis, ut in Me pacem habeatis; confidite, Ego vici mundum,*" Joh: XVI: 33. Et quoque per hæc apud Esaiam, "*Quis hic qui venit ex Edom, incedens in multitudine roboris sui, magnus ad salvandum; torcular calcavi Solus, propterea calcavi eos in ira mea, unde sparsa est victoria eorum super vestes meas, nam dies vindictæ in corde meo, & annus redemtorum meorum venit; ideo factus est in Salvatorem,*" LXIII: 1 ad 8: & alibi pluries. Quod bis in hac Tellure prius exstiterit Ultimum Judicium est causa, quia omne Judicium existit in fine Ecclesiæ, ut supra in suo Articulo ostensum est; & in hac Tellure fuerunt binæ Ecclesiæ, Prima ante Diluvium, & Altera post Diluvium; Ecclesia ante Diluvium describitur in Primis Capitibus Geneseos per novam Creationem Cœli & Terræ, & per Paradisum; & ejus finis per esum ex Arbore scientiæ, ac postea in specie; & ejus Ultimum Judicium describitur per Diluvium, & omnia illa secundum stylum Verbi per meras correspondentias; in cujus sensu interno seu spirituali per Creationem Cœli & Terræ intelligitur instauratio novæ Ecclesiæ, videatur supra in primo Articulo; per Paradisum in Edene cœlestis illius Ecclesiæ sapientia; per Arborem scientiæ scientificum quod illam Ecclesiam destruxit, simile per serpentem ibi; & per Diluvium intelligitur Ultimum Judicium super illos qui fuerunt ab illa Ecclesia. Altera autem Ecclesia, quæ fuit post Diluvium, describitur etiam aliquibus in locis in Verbo, ut Deut: XXXII: 7 ad 14, & alibi; hæc per multum Orbis Asiatici extensa fuit, & continuata apud posteros ex Jacobo; finis ejus fuit cum Dominus in mundum venit, ab Ipso tunc Ultimum Judicium factum est super omnes a prima illius Ecclesiæ instauratione, & simul tunc super residuos a prima Ecclesia: Dominus ob illum finem in Mundum venit, ut omnia in ordinem redigeret in Cœlis, & per Cœlos in Terris, & simul ut Humanum suum Divinum faceret, quod nisi factum fuisset, nemo potuisset salvari. Quod binæ Ecclesiæ ante Domini adventum in hac Tellure fuerint, ostensum est variis in locis in ARCANIS COELESTIBUS, ex quibus Collecta videantur ad finem hujus Articuli *(l)*: & quod Dominus in mundum venerit, ut redigeret omnia in ordinem in cœlis & per illos in terris, utque

Humanum suum Divinum faceret *(m)*. Tertia Ecclesia in hac Tellure est Christiana; super hanc, & simul super omnes qui a tempore Domini in Primo Cœlo fuerunt, factum est Ultimum Judicium, de quo nunc agitur.

47. Quomodo hoc Ultimum Judicium factum est, non potest in hoc Opusculo in specie describi, quia plura sunt, sed describentur in Explicatione super Apocalypsin: Judicium enim non solum peractum est super omnes qui ab Ecclesia Christiana fuerunt, sed etiam super omnes qui vocantur Mahumedani, & quoque super omnes Gentes in hoc terrarum Orbe; & factum est hoc ordine; primum super illos qui a Pontificia religione fuerunt; dein super Mahumedanos, postea super Gentes, & ultimo super Reformatos. De Judicio super illos qui a Pontificia religione fuerunt, videbitur in sequente Articulo de Babylonia destructa; de Judicio super Reformatos in Articulo de priori Cœlo quod transivit; de Judicio autem super Mahumedanos & super Gentes aliqua in hoc Articulo dicentur.

48. Ordinationes omnium Gentium & Populorum, super quos Judicium, in Mundo spirituali, visæ sunt ut sequitur. In medio collecti apparuerunt illi, qui Reformati vocantur, & ibi quoque distincti secundum Patrias eorum; Germani ibi versus Septentrionem; Sueci ibi versus Occidentem; Dani in Occidente; Hollandi versus Orientem & Meridiem; Angli in medio. Circum totum hoc Medium, ubi omnes Reformati erant, collecti apparuerunt illi qui a Pontificia Religione erant, maxima pars in Plaga occidentali, aliqua in Meridionali. Ultra illos erant Mahumedani, etiam distincti secundum Patrias eorum, omnes tunc apparuerunt in Occidente juxta Meridiem. Ultra illos congregatæ erant Gentes ingenti numero, quæ sic constituebant ipsum ambitum: extra has apparuit sicut Mare, quod terminus. Quod Nationes ita ordinatæ secundum Plagas fuerint, erat secundum cujusvis communem facultatem recipiendi Divina Vera; quapropter in Mundo spirituali quisque cognoscitur a Plaga & loco ibi ubi habitat, & quoque in Societate cum pluribus ex commoratione respective ad plagas, de qua re videatur in Opere de Cœlo & Inferno n: 148. 149. Similiter fit cum vadunt a loco ad locum, tunc omnis progressio fit ad plagas secundum status successivos cogitationum ex affectionibus quæ sunt vitæ propriæ illorum: secundum illas deducti sunt ad loca sua illi, de quibus sequitur. Verbo, in Mundo spirituali viæ, quas quisque ambulat, sunt determinationes actuales cogitationum mentis; inde est, quod Viæ, Ambulationes, & similia, in sensu spirituali in Verbo significent determinationes & progressiones vitæ spiritualis.

49. Quatuor Plagæ in Verbo vocantur quatuor Venti, & congregatio eorum congregatio a quatuor Ventis, ut apud Matthæum, ubi agitur de Ultimo Judicio, "*Mittet Angelos suos, & congregabunt electos a quatuor Ventis, a Cœlorum extremo ad eorum extremum,*" XXIV: 31. Et alibi, "*Congregabuntur ante Filium hominis omnes Gentes, & separabit illos unum ab altero, sicut separat Pastor Oves & Hircis; & statuet oves ad dextrum, & hircos ad sinistram,*" XXV: 31. 32, significat quod Dominus separaturus sit illos qui in veris sunt & simul in bono, ab illis qui in veris sunt & non in bono, nam in

Verbi ſenſu ſpirituali per dextrum ſignificatur bonum, & per ſiniſtrum verum, ſimiliter per oves & per hircos; ſuper alios nec factum eſt judicium; nam mali qui in nullis veris, jam pridem in infernis erant, illuc enim conjiciuntur omnes mali poſt mortem, ita ante judicium, qui corde negant Divinum & a fide rejiciunt Eccleſiæ vera. Ex illis qui in Veris & non in bono fuerunt, exſtitit prius Cœlum quod tranſivit; & ab illis qui in Veris ſunt & ſimul in bono formatum eſt novum Cœlum.

50. Quod Judicium ſuper Mahumedanos & Gentes, de quo in hoc Articulo, attinet, factum eſt ſicut ſequitur. Mahumedani a ſuis locis, ubi congregati ſunt, quæ erant juxta Meridiem in Occidente, deducti ſunt per viam circum Chriſtianos, ab Occidente per Septentrionem ad Orientem uſque ad confinium ubi Meridies; ac in via ſeparati ſunt mali a bonis; mali conjecti ſunt in Paludes & Stagna; multi etiam diſperſi in quoddam deſertum quod ultra erat; boni autem ducebantur per Orientem ad terram magni ſpatii prope Meridiem, ac ibi datæ illis habitationes: illi, qui huc perducti fuerunt, erant qui in mundo agnoverunt Dominum pro Maximo Propheta, & pro Filio Dei, & crediderunt Ipſum miſſum a Patre ut informaret Genus humanum, & ſimul vixerunt vitam moralem ſpiritualem ſecundum religioſum ſuum. Plerique ex illis, cum informati, recipiunt fidem in Dominum, & agnoſcunt Ipſum eſſe unum cum Patre: datur etiam illis communicatio cum Cœlo Chriſtiano per influxum a Domino, ſed non commiſcentur, quia Religio ſeparat. Omnes ex illa Religione, ut primum inter ſuos in alteram vitam veniunt, quærunt primo Mahumedem, ſed ille non apparet, verum loco ejus bini alii, qui ſe vocant Mahumedes; hi ſedem nacti ſunt in Medio ſub Chriſtiano Cœlo, ad ſiniſtrum ibi; cauſa, quod illi bini loco Mahumedis ſint, eſt quia omnes, ex quacunque religione ſunt, poſt mortem primum perducuntur ad illos, quos coluerunt in mundo, religio enim ſua adhæret unicuique, ſed cum percipiunt quod nihil opis ferre poſſint, recedunt ab illis; nullus enim aliter abduci a ſuo religioſo poteſt, quam ut primum in illud immittatur. Ubinam ipſe Mahumedes, & qualis ille, tum undenam ſunt bini illi, qui loco Mahumedis, in Libro, ubi explicabitur Apocalypſis, dicetur.

51. Judicium ſuper Gentes ſimili pæne modo, quo ſuper Mahumedanos, factum eſt, ſed non perductæ ſunt ſimili modo per circuitum, ſolum per aliquantum viæ in Occidente, ubi mali ſeparati ſunt a bonis, mali conjecti ſunt ibi in binos hiatus magnos, qui oblique tendebant in profundum, boni autem deducti ſunt ſupra Medium ubi Chriſtiani, verſus terram in Plaga Orientali ubi erant Mahumedani, & habitationes ſortiti ſunt poſt illos, ac ulterius ad multam extenſionem in Plaga meridionali. Illi autem ex Gentilibus, qui in Mundo coluerunt Deum ſub Humana forma, & charitatis vitam ſecundum Religioſum ſuum egerunt, conjunguntur Chriſtianis in Cœlo, nam Dominum præ reliquis agnoſcunt & adorant: illorum intelligentiſſimi ſunt ex Africa. Tanta multitudo Gentium & Mahumedanorum viſa eſt, ut non niſi quam per myriades numerari poſſet. Judicium ſuper tantam Multitudinem per

 aliquot

aliquot dies factum est; nam unusquisque cum mittitur in suum amorem & in suam fidem, illico designatus est, & ad similes fertur.

52. Ex his constat veritas prædictionis Domini de Ultimo Judicio, quod *tunc venient ab Oriente & Occidente, & a Septentrione & Meridie, & discumbent in Regno Dei,*" Luc: XIII: 29.

Ex Arcanis Cœlestibus. *(l)* Quod Prima & Antiquissima Ecclesia in hac Tellure fuerit, quæ describitur in Primis Capitibus Geneseos, & quod illa fuerit Ecclesia Cœlestis, omnium præcipua, n: 607. 895. 920. 1121. 1122. 1123. 1124. 2896. 4493. 8891. 9942. 10545. Quales illi, qui ab illa Ecclesia fuerunt, in Cœlo sunt, n: 1114 ad 1125. Quod ibi in summa luce sint, n: 1117. Quod variæ Ecclesiæ fuerint post diluvium, quæ una voce Ecclesia Antiqua vocantur, n: 1125. 1126. 1127. 1327. 10355. Ipsa Antiqua Ecclesia per quot Regna Asiæ fuit extensa, n: 1238. 2385. Quales fuerunt homines Antiquæ Ecclesiæ, n: 609. 895. Quod Ecclesia Antiqua fuerit Ecclesia Repræsentativa, n: 519. 521. 2896. Qualis Antiqua Ecclesia fuit, cum cæpit declinare, n: 1128. Discrimen inter Ecclesiam Antiquissimam & Antiquam, n: 597. 607. 640. 641. 765. 784. 895. 4493. De Ecclesia inchoata ab Ebero, quæ Ecclesia Hebræa dicta fuit, n: 1238. 1241. 1343. 4516. 4517. Discrimen inter Ecclesiam Antiquam & Hebræam, n: 1343. 4874. De Ecclesia instituta apud posteros Jacobi seu filios Israelis, n: 4281. 4288. 4310. 4500. 4899. 4912. 6304. 7048. 9320. 10396. 10526. 10531. 10698. Quod statuta, judicia, leges, quæ mandata sunt apud filios Israelis, fuerint quoad partem similia illis quæ in Ecclesia Antiqua, n: 4449. Ritus repræsentativi Ecclesiæ apud filios Israelis institutæ qualiter differebant a ritibus repræsentativis Antiquæ Ecclesiæ, n: 4288. 10149. Quod in Antiquissima Ecclesia fuerit Revelatio immediata e Cœlo; in Antiqua Ecclesia per correspondentias; in Ecclesia apud filios Israelis viva voce, & in Ecclesia Christiana per Verbum, n: 10355. Quod Dominus fuerit Deus Antiquissimæ Ecclesiæ, & quoque Antiquæ, & vocatus Jehovah, n: 1343. 6848.

(m) Quod Dominus redegerit omnia in Cœlis & in Infernis in ordinem, cum fuit in mundo, n: 4075. 4286. 9937. Quod Dominus tunc liberaverit Mundum spiritualem ab Antediluvianis, n: 1266. Quales illi fuerunt, n: 310. 311. 560. 562. 563. 570. 581. 586. 607. 660. 805. 808. 1034. 1120. 1265 ad 1272. Quod Dominus per Tentationes & Victorias subjugaverit Inferna, ac redegerit omnia in ordinem, & simul glorificaverit Humanum suum, n: 4287. 9397. Quod Dominus ex Se seu ex propria potentia id fecerit, n: 1692. 9937. Quod Dominus Solus pugnaverit, n: 8273. Quod Dominus inde Justitia & Meritum factus sit Solus, n: 1813. 2025. 2026. 2027. 9715. 9809. 10019. Quod Dominus sic univerit Humanum suum Divino, n: 1725. 1729. 1733. 1737. 3318. 3381. 3382. 4286. Quod Passio crucis fuerit ultima Tentatio, & plenaria Victoria, per quam se glorificavit, hoc est, Humanum suum Divinum fecit, ac subjugavit inferna, n: 2776. 10655. 10659. 10829. Quod Dominus non potuerit quoad ipsum Divinum tentari, n: 2795. 2803. 2813. 2814. Quod ideo assumserit Humanum a matre, in quod admisit tentationes, n: 1414. 1444. 1573. 5041. 5157. 7193. 9315. Quod expulerit omne hæreditarium ex matre, & exuerit humanum ex illa, usque tandem ut non filius ejus esset, & quod induerit Humanum Divinum, n: 2159. 2574. 2649. 3036. 10829. Quod Dominus per subjugationem Infernorum, & per glorificationem Humani sui, salvaverit homines, n: 4180. 10019. 10152. 10655. 10659. 10828.

De Babylonia, & ejus Destructione.

53. QUOD omnia, quæ in Apocalypsi prædicta sunt, hodie impleta sint, videatur supra n: 40 ad 44; tum quod Ultimum Judicium jamdum peractum sit, in Articulo præcedente, ubi etiam ostensum est, quomodo Judicium factum est super Mahumedanos & Gentiles; hic nunc sequitur, quomodo factum est super Pontificios, qui sunt qui intelliguntur per Babyloniam, de qua in Apocalypsi multis agitur, & de ejus destructione in specie in Capite XVIII, quæ ita describitur, "*Angelus exclamavit vehementer voce magna, cecidit, cecidit Babylon, & facta est domicilium dæmoniorum, & custodia omnis spiritus impuri, & custodia omnis avis immundæ exosæ,*" Vers: 2. Sed antequam narratur, quomodo illa destructio facta est, præmittentur, I. Quid intelligitur per Babyloniam, & qualis illa. II. Quales sunt in altera vita illi qui ex Babylonia sunt; III. Ubinam Habitationes eorum hactenus fuerunt. IV. Cur usque ad diem Ultimi Judicii ibi tolerati sunt. V. Quomodo destructi, & Habitationes eorum Desertum factæ sunt. VI. Quod conservati sint, qui ex illis in affectione veri ex bono fuerunt. VII. De statu eorum posthac, qui inde e terris veniunt.

54. *Quid intelligitur per Babyloniam & qualis illa.* Per Babyloniam intelliguntur omnes, qui per religiosum dominari volunt; per religiosum dominari, est super animas hominum, ita super ipsam vitam spiritualem illorum, ac pro mediis uti Divinis quæ in Religioso: omnes illi, qui pro fine habent Dominium, & pro mediis Religionem, in genere sunt Babylonia. Quod Babylonia dicantur, est quia antiquis temporibus tale dominium inchoatum est, sed in principio ejus destructum; inchoatio ejus describitur per Urbem & per Turrim, cujus caput esset in cœlo; & ejus destructio per confusionem labiorum, unde nomen ejus BABEL, Genes: XI: 1 ad 9; quid per singula illa intelligitur in sensu interno seu spirituali Verbi, videatur explicatum in ARCANIS CŒLESTIBUS, n: 1283 ad 1328. Quod etiam tale Dominium cæptum & institutum sit in Babele, constat apud Danielem, ubi dicitur de Nebuchadnezare, quod erexerit Imaginem, quam omnes adorarent, Cap: III: 1 ad fin: Et quoque intelligitur per quod Belschazzar cum proceribus biberit ex vasis aureis & argenteis, quæ Nebuchadnezar exportaverat ex Templo Hierosolymæ, & simul tunc coluerit deos auri, argenti, cupri, ferri; quare scriptum est in pariete, *numeravit*, *appendit*, *divisit*, & ipse Rex eadem nocte interfectus est, Cap: V: 1 ad fin: per vasa auri & argenti Templi Hierosolymæ significantur Ecclesiæ bona & vera; per bibere ex illis, & simul colere deos auri, argenti, cupri, ferri, significatur prophanatio; ac per scripturam super pariete, & per mortem regis, significatur visitatio & destructio, denuntiatæ illis qui usi sunt Divinis bonis & veris pro mediis. Quales illi sunt, qui Babylonia dicuntur, describitur etiam passim apud Prophetas, ut apud Esaiam, "*Proferas parabolam hanc de Rege* BABYLONIÆ;

fregit

fregit Jehovah baculum impiorum, sceptrum dominantium: decidisti de Cœlo, Lucifer; succisus es usque in terram: tu dixisti animo tuo, in cœlos ascendam, super stellas Dei exaltabo thronum meum, & sedebo in monte conventus, in lateribus septentrionis, similis fiam Altissimo. Verumtamen in Infernum dejicieris, ad latera foveæ; exscindam BABYLONIÆ *nomen & residuum, & disponam eam ut sit hæreditaria possessio anatariæ,*" XIV: 4. 12. 13. 14. 15. 22: & alibi apud Eundem, "*Dixit Leo, cecidit, cecidit Babylon, & omnes sculptiles dei ejus dejecti sunt,*" XXII: 9: & præterea apud Eundem Cap: XLVII: 1 ad fin: Cap: XLVIII: 14 ad 20; & apud Jeremiam Cap: L: 1. 2. 3: Ex his nunc patet, quid Babylonia. Sciendum est, quod Ecclesia fiat Babylonia, cum cessat Charitas & Fides, & loco earum regnare incipit Amor sui; hic enim Amor in tantum ruit in quantum ei laxatur frænum, ita non solum ad dominandum super omnes, quotcunque sibi subjicere potest, in tellure, sed etiam super cœlum; nec tunc quiescit, scandit usque ad thronum Dei, ac Divinam Ipsius potestatem in se transfert. Quod hoc factum sit etiam ante adventum Domini, constat ex locis e Verbo supra allatis. Sed illa Babylonia destructa est a Domino, cum fuit in mundo, tam per id quod prorsus idololatræ facti sint, quam per Ultimum Judicium tunc super illos in Mundo spirituali; id intelligitur per Prophetica illa, quod Lucifer, qui ibi est Babylonia, ad infernum dejectus sit, & quod Babylon ceciderit; & quoque per scripturam super pariete, & per mortem Belschazaris; tum etiam per Lapidem e Petra excisum, qui destruxit statuam, de qua somniavit Nebuchadnezar.

55. Sed Babylonia, de qua agitur in Apocalypsi, est hodierna Babylonia, quæ cæpta est post adventum Domini; quæ quod sit apud Pontificios, notum est: hæc præ illa, quæ fuit ante adventum Domini, magis perniciosa & nefanda est, quia prophanat Ecclesiæ bona & vera interiora, quæ Dominus, cum Semet Ipsum, revelavit mundo. Quam perniciosa ac interius nefaria est, constare potest in summa ex his sequentibus. Dominum agnoscunt & adorant absque ulla potestate salvandi; separant Divinum Ipsius prorsus ab Humano Ipsius, ac Divinam Ipsius potestatem, quæ fuit Humano Ipsius, in se transferunt *(n)*; remittunt enim peccata, immittunt in cœlum, conjiciunt in infernum, salvant quemcunque volunt, vendunt salutem, ita arrogant sibi talia quæ sunt solius Divinæ potestatis; & quia illam exercent, sequitur quod se faciant deos, quisque in suo loco per translationem a Supremo eorum, quem vocant Vicarium Christi, ad postremos; ita se spectant Dominum, ac Ipsum adorant non Ipsius sed sui causa. Verbum non modo adulterant & falsificant, sed etiam auferunt populo, ne in aliquam lucem veri intret; nec hoc satis, etiam illud annihilant, Divinum agnoscentes in statutis e Roma supra Divinum in Verbo; ita præcludunt omnibus viam ad Cœlum, via enim

---

(n) Quod Ecclesia Domino binas naturas attribuat, & sic Divinum Ipsius separet ab Humano Ipsius, factum sit in Concilio propter Papam, ut pro Vicario Ipsius agnosceretur, detectum e Cœlo, in ARCANIS CŒLESTIBUS, n: 3035.

enim ad Cœlum est agnitio Domini, ac fides & amor in Ipsum, ac Verbum est quod docet viam, unde absque Domino, medio Verbo, nulla salus: omni studio connituntur, ut lux cœli, quæ est ex Divino Vero, exstinguatur, ac ut loco ejus sit ignorantia, quæ quo densior eo illis acceptius: lucem cœli exstinguunt per inhibitionem lectionis Verbi, & lectionis librorum in quibus doctrinæ ex Verbo; cultum instituentes per Missas in idiomate a simplicibus non intellecto, & in quibus non verum Divinum; & præterea implent Orbem suum falsis, quæ sunt ipsæ tenebræ, quæ removent & dissipant lucem; persuadent etiam ut vulgus in illorum fide vitam habeat, ita in aliena & non in sua. Insuper omnem cultum ponunt in Sancto externo absque interno, internum faciunt ut vacuum sit, quia absque cognitionibus boni & veri; & tamen cultus Divinus tantum externus est quantum est internus, ex hoc enim ille procedit. Præter illa inducunt quoque idololatrias plurium generum, Sanctos faciunt & multiplicant, quorum adorationes vident & tolerant, & quoque preces ad illos pæne sicut ad deos, idola eorum exponunt undequaque, miracula ab illis multa copia venditant, præficiunt illos civitatibus, templis & monasteriis, ossa eorum sepulchris exemta sancta faciunt, quæ tam abjectissima sunt; avertentes sic omnium animos a cultu Dei ad cultum hominum. Præterea ne aliquis ex caligine illa in lucem veniat, & ne a cultu idololatrico ad cultum Divinum, multa arte præcavent; multiplicant enim Monasteria, ex quibus exploratores ubivis & custodes ponunt; confessiones cordis, quæ etiam sunt cogitationum & intentionum, extorquent, & si non faciant, territant animos igne infernali, & cruciatibus in Purgatorio; & illos, qui contra Papale solium, & contra dominium eorum, audent loqui, horrendo carceri, qui Inquisitionis vocatur, includunt. Hæc omnia ob solum finem, ut possideant mundum, & ejus thesauros, ac vivant genio, & illi maximi sint, ac reliqui servi: sed talis dominatus non est Cœli super Infernum, sed est Inferni super Cœlum; nam quantum amor dominandi apud hominem, imprimis apud hominem Ecclesiæ, invalescit, tantum regnat infernum; quod ille amor regnet in inferno ac faciat infernum, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 551 ad 565. Ex his constare potest, quod ibi non sit Ecclesia sed Babylonia; nam ibi Ecclesia est, ubi Ipse Dominus colitur, & Verbum legitur.

56. *Quales sunt in altera vita illi qui ex Babylonia sunt*, non constare alicui potest, quam cui datum est a Domino una esse cum illis qui in Mundo spirituali sunt; hoc quia mihi concessum est, possum ab experientia loqui, nam vidi illos, audivi illos, & loquutus sum cum illis. Unusquisque homo post mortem in simili vita est, in qua fuit in mundo, hæc non mutari potest, solum quoad jucunda quæ sunt amoris, quæ vertuntur in correspondentia; ut constare potest ex binis Articulis in Opere de Cœlo & Inferno, n: 470 ad 484; & n: 485 ad 490: vita horum, de quibus nunc agitur, similiter, quæ prorsus talis est qualis in mundo, cum differentia, quod tunc retegantur abscondita cordis eorum, sunt enim in spiritu, in quo interiora, quæ sunt cogitationum & intentionum, resident, quæ in mundo celaverunt, & sancto

externo

externo obtexerunt; hæc quia tunc patuerunt, apperceptum eſt, quod ultra dimidiam partem ex illis, qui uſurpaverunt poteſtatem aperiendi & claudendi cœlum, prorſus Athei ſint; ſed quia animo inſidet dominatus qualis in mundo, & ille fundatur ſuper eo principio, quod Domino fuerit omnis poteſtas Ipſi data a Patre, ac illa tranſlata in Petrum, & per ſucceſſionis ordinem in Primores Eccleſiæ, ideo adjuncta atheiſmo eorum permanet confeſſio oralis de Domino; ſed hoc uſque non diutius, quam dum per id in aliquo dominio ſunt: reliqui autem, qui non Athei ſunt, tam vacui ſunt, ut prorſus nihil ſciant de vita ſpirituali hominis, de mediis ſalvationis, de Divinis Veris quæ ducunt ad cœlum, nec aliquid de cœleſti fide & amore, credentes cœlum cuivis, qualiſcunque eſt, donari poſſe ex gratia Pontificis. Quoniam unuſquiſque in ſimili vita eſt in Mundo ſpirituali, in quali fuit in Mundo naturali, cum nulla differentia quamdiu non ſunt vel in Cœlo vel in Inferno, ut oſtenſum videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 453 ad 480; & quia Mundus ſpiritualis quoad externam apparentiam prorſus ſimilis eſt Mundo naturali, n: 170 ad 176, ideo illis ſimilis eſt vita moralis & vita civilis, imprimis ſimilis cultus, quia ille irradicatur & inhæret homini in ejus intimis, nec ab illo aliquis poſt mortem abduci poteſt, ſi non in bono ex veris eſt & in veris ex bono: hæc autem Gens, de qua nunc agitur, ægrius quam reliquæ gentes a ſuo cultu abduci poteſt, quia non in bono ex veris ſunt, minus in veris ex bono; ſunt enim vera illorum non ex Verbo, modo pauca, quæ falſificaverunt per applicationem ad dominatum, inde nec illis bonum, niſi quam ſpurium; nam qualia ſunt vera tale fit bonum. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur, quod cultus hujus Gentis prorſus ſimilis ſit in Mundo ſpirituali, qualis fuit in Mundo naturali. His præmiſſis, nunc aliquid de eorum Cultu ibi, deque eorum Vita, memorare velim: Synedrium quoddam habent, loco Synedrii ſeu Conſiſtorii in Roma, ubi illorum Primores conveniunt, & conſultant de variis quæ Religionis eorum ſunt, imprimis quomodo vulgus tenendum eſt in cæca obedientia, & quomodo dominatus eorum ampliandus; locus hujus Synedrii eſt in Plaga meridionali juxta Orientalem: ſed non audet aliquis, qui in mundo fuerat Pontifex, intrare, nec aliquis qui fuerat Cardinalis, ob cauſam quia inſidet animis eorum inſtar auctoritatis Divinæ, ex eo quod arrogaverint ſibi poteſtatem Domini in mundo, quapropter utprimum ſe ſiſtunt ibi præſentes, auferuntur & ejiciuntur ad ſimiles in deſerto; qui autem ex illis animo probo fuerunt, & non uſurpaverunt ex fide confirmata talem poteſtatem, illi poſt id Synedrium in Camera quadam obſcura ſunt. Alius Conventus eſt in Plaga occidentali prope ſeptentrionem, negotium ibi eſt credulum vulgus intromittere in cœlum; diſponunt ibi circum ſe plures ſocietates, quæ in variis jucundis externis ſunt, in quibuſdam ludunt, in quibuſdam ſaltant, in quibuſdam componunt faciem in varii generis hilaritates & lætitias, in quibuſdam loquuntur amice, alicubi de rebus civilibus, alicubi de religioſis, alicubi de laſciviis, & ſic porro; in aliquam ex his ſocietatibus, ſecundum cujuſvis deſiderium, immittunt clientes, vocantes id cœlum; ſed omnes poſt paucas

 horas,

horas, cum ibi fuerunt, tædio afficiuntur & abscedunt, quia jucunda illa sunt externa, & non interna; ita quoque plures abducuntur a fide doctrinalis illorum de intromissione in Cœlum. Quod Cultum eorum in specie attinet, ille est pæne similis cultui eorum in mundo; consistit ille in Missis ut in mundo, quæ fiunt in lingua non communi spirituum, sed conflata ex vocibus alte sonantibus, quæ Sanctum externum & tremorem incutiunt, quæ prorsus non intelliguntur. Similiter adorant Sanctos; ac Idola exponunt; sed illorum Sancti nullibi apparent; nam omnes ex illis qui ambiverunt coli ut Numina, in Inferno sunt; reliqui qui non ambiverunt coli, inter vulgares spiritus sunt; Antistites eorum id sciunt, nam inquirunt illos & inveniuntur, quare vilipendunt eos; sed hoc occultant populo, ut usque colantur sicut dii tutelares, at ipsi Primates, qui populo præfecti sunt, ut domini cœli. Similiter quoque sicut in mundo multiplicant Templa & Monasteria: similiter corradunt opes, & cumulant pretiosa, ac in cellariis abscondunt; nam in Mundo spirituali, æque ut in Mundo naturali, sunt pretiosa, ac in illo multo plura. Similiter ibi emittunt Monachos ad pelliciendum Gentes ad suum religiosum, & sic ad subjiciendum illos suo imperio. Commune est, quod Turres speculatorias in medio congregationis exstructas habeant, ex quibus visum in omnes vicinias possunt extendere; communicationes etiam sibi faciunt variis modis & artibus cum propinquis & remotis, ac fædera cum illis ligant, & in suas partes trahunt. Talis est status eorum in genere; in specie autem plerique Præsules illius religionis derogant omnem potestatem Domino, & sibi illam vindicant; & quia hoc faciunt, nec agnoscunt aliquod Divinum; mentiuntur usque in externis sanctum, quod sanctum tamen in se est prophanum, quia in internis eorum non est aliqua agnitio Divini: inde est, quod cum aliquibus societatibus Cœli ultimi communicent per sanctum externum, & cum infernis per prophanum internum, sic ut sint utrobivis; quapropter etiam allectant spiritus simplices bonos, & illis dant habitationes juxta se, & congregant malitiosos, quos disponunt circumcirca congregationem; sic etiam per simplices bonos se conjungunt Cœlo, & per malitiosos inferno; inde est quod moliri possint nefanda, quæ patrant ab inferno; simplices enim boni, qui in ultimis cœli sunt, non ultra spectant quam ad sanctum externum, & ad sanctissimam eorum adorationem Domini in externis, & non vident eorum flagitia, quapropter favent illis; inde est illorum maximum tutamen: sed usque omnes illi successu temporis recedunt a sancto externo, & tunc separati a Cœlo conjiciuntur in infernum. Ex his aliquantum sciri potest, quales in altera vita sunt illi qui ex Babylonia. Sed scio, quod miraturi sint, quod talia ibi existant, qui in mundo sunt, & non aliquam ideam de statu hominis post mortem, deque Cœlo & Inferno, quam inanem & vacuam habent; sed quod homo æque homo sit post mortem, vivat in consortiis ut in mundo, habitet in domibus, audiat prædicationes in Templis, functiones obeat, ac similia videat in eo mundo quæ in priori quem reliquerat, constare potest ex illis quæ ex visis & auditis in Opere de Cœlo & Inferno dicta & ostensa sunt.

57. Loquutus sum cum quibusdam ex illa Gente de Clavibus Petro datis, num credant in illum potestatem Domini super Cœlum & Infernum translatam esse, quod quia erat fundamentale religionis eorum, vehementer instabant, dicentes quod de eo nihil dubii sit, quia manifeste dicitur: sed ad interrogationem, num sciant quod singulis Verbi insit sensus spiritualis, qui est sensus Verbi in Cœlo, dicebant primum quod non sciant, sed postea dicebant quod inquisituri sint, & cum inquirebant instructi sunt, quod sensus spiritualis sit in singulis Verbi, qui a sensu literæ differt sicut spirituale a naturali; & insuper instructi sunt, quod non aliqua persona nominata in Verbo nominetur in cœlo, sed quod loco ejus aliquid spirituale ibi intelligatur: informati denique sunt, quod pro Petro in Verbo intelligatur Ecclesiæ Verum fidei quod ex bono charitatis, similiter per Petram, quæ tunc nominatur cum Petro, nam dicitur, "*Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,*" Matth: XVI: 18 seq: per quæ non intelligitur, quod Petro data sit aliqua potestas, sed quod sit Vero quod ex Bono, nam omnis potestas in cœlis est Vero ex Bono, seu Bono per Verum; & quia omne Bonum & Verum sunt a Domino, & nihil ex homine, quod omnis potestas sit Domino. His auditis indignati dixerunt, quod velint scire num is sensus spiritualis sit in illis verbis, quapropter datum est illis Verbum quod in Cœlo, in quo Verbo non est sensus naturalis sed spiritualis, quia pro Angelis qui spirituales; quod tale Verbum in Cœlo sit, videatur in Opere de Cœlo & Inferno n: 259. 261; & cum id legebant, manifeste videbant non ibi Petrum nominari, sed loco ejus Verum ex Bono quod a Domino *(o)*: hoc viso ex ira rejecerunt illud, pæne dilaniassent dentibus, nisi eo momento ablatum fuisset: inde convicti sunt, tametsi non voluerunt convinci, quod Soli Domino illa potestas sit, & eo minus alicui homini, quia est potestas Divina.

58. *Ubinam Habitationes eorum hactenus fuerunt in Mundo spirituali:* dictum est supra n: 48, quod ordinationes omnium Gentium & Populorum in Mundo spirituali ita visæ sint, ut sequitur: in Medio collecti apparuerunt qui

---

Ex Arcanis Cœlestibus. *(o)* Quod duodecim Discipuli Domini repræsentaverint Ecclesiam quoad omnia veri & boni, seu fidei & amoris, similiter ac duodecim Tribus Israelis, n: 2179. 3354. 3488. 3858. 6397. Quod Petrus, Jacobus & Johannes repræsentaverint Fidem, Charitatem, & Bona charitatis, n: 3750. Quod Petrus Fidem, n: 4738. 6000. 6073. 6344. 10087. 10580. Quod Petro dati sint claves Regni cœlorum, significet quod omnis potentia sit Vero ex Bono, seu Fidei ex Charitate quæ ex Domino, ita quod omnis potestas sit Domino, n: 6344. Quod Clavis sit potestas aperiendi & claudendi, n: 9410. Quod omnis potentia sit bono per vera, seu veris ex bono, quæ a Domino, n: 3091. 3563. 6344. 6413. 6948. 8200. 8304. 9327. 9410. 9639. 9643. 10019. 10182. Quod Petra in Verbo significet Dominum quoad Divinum Verum, n: 8581. 10580. Quod omnia Nomina personarum & locorum in Verbo significent res & status, n: 768. 1888. 4310. 4442. 10329. Quod Nomina illorum non intrent cœlum, sed vertantur in res quas significant, & quod nomina illorum nec enuntiari possint in Cœlo, n: 1878. 5225. 6516. 10216. 10282. Quam elegans sensus internus Verbi ubi mera Nomina, illustratum ab exemplis, n: 1224. 1264. 1888.

qui Reformati vocantur; circum hoc Medium illi qui a Pontificia religione; ultra illos Mahumedani, ultimo variæ Gentes; inde constare potest, quod Pontificii peripheriam proximam circum Reformatos, qui in medio, fecerint: quod illi proximam, est causa, quod in Medio sint qui in luce veri ex Verbo sunt; & qui in luce veri ex Verbo sunt, illi etiam in Cœli luce sunt, nam Lux Cœli est ex Divino Vero, ac Verbum est in quo illud; quod Lux Cœli sit ex Divino Vero, videatur in Opere de Cœlo & Inferno n: 126 ad 140; & quod Verbum sit Divinum Verum, n: 303 ad 310; a medio etiam procedit lux versus peripherias, ac illuminat; inde est, quod proxime circum Medium sint qui e Pontificia religione, nam Verbum habent, & quoque legitur ab illis qui e Regimine Ecclesiastico sunt, tametsi non a populo; hæc causa est, quod Pontificia Gens in Spirituali mundo circum illos qui in luce veri ex Verbo sunt, habitationes suas nacta sit. Nunc dicetur, quomodo habitaverunt antequam habitationes eorum prorsus destructæ sunt, ac desertum factæ. Maxima pars habitavit in Meridie & Occidente, aliqua modo in Septentrione & Oriente. In MERIDIE habitaverunt, qui præ cæteris in mundo polluerunt ingenio, & se confirmaverunt in suo religioso; & simul ibi habitaverunt Nobiles & Divites multo numero, habitaverunt non supra terram ibi, sed sub terra ob timorem pro latronibus, custodias ponentes ad introitus: in illa Plaga etiam erat magna Urbs, cujus extensio erat pæne ab Oriente ibi ad Occidentem, & quoque paulo in Occidentem, sita proxime ad Medium ubi Reformati; in illa Urbe myriades hominum seu spirituum commorabantur; plena erat Templis & Monasteriis; Ecclesiastici etiam omnia pretiosa, quæ per varias artes potuerunt corradere, in illam Urbem contulerunt, & in cellis suis & cryptis subterraneis recondiderunt; quæ cryptæ ita elaboratæ erant, ut nemo præter illos intrare posset; erant in labyrinthi formas circumductæ; in thesauris ibi congestis cor eorum erat, ac fiducia ne usquam in æternum destruerentur, visæ mihi sunt, & miratus artem condendi illas, & ampliandi absque fine: plerique ex illis qui se vocant e Societate Jesu ibi erant, & cum divitibus, qui circum circa erant, amica consortia fovebant. Versus Orientem in illa Plaga erat Synedrium, ubi consultabant de amplificatione dominii sui, ac de modis continendi populum in cæca obedientia, de quo supra n: 56: hæc de Habitationibus illorum in Plaga meridionali. In SEPTENTRIONE habitabant illi qui minus polluerunt ingenio, & minus se confirmaverunt in suo religioso, ex eo quod in obscura facultate perspiciendi fuerint, & inde in cæca fide: ibi non tanta erat multitudo, ut in Meridie; plerique ex illis erant in magna Urbe, in longum extensa ab angulo orientis ad occidentem, & quoque paulum in occidentem; illa etiam plena erat Templis & Monasteriis; in extremo ejus latere, quod prope orientem, erant plures ex varia religione, & quoque aliqui ex Reformatis: pauca etiam loca a Papali Gente occupata erant in illa Plaga ultra Urbem. In ORIENTE habitaverunt, qui in maximo jucundo imperandi in mundo ex illa Gente fuerunt, & quoque in aliquo naturali lumine; apparuerunt

runt ibi in montibus, sed modo in Plaga illa quæ spectat ad septentrionem; non autem aliqui in altera parte quæ spectat ad meridiem. In angulo ad septentrionem erat Mons, in cujus capite quendam mentis non compotem posuerunt, quem ad jubendum quodcunque vellent, per communicationes cogitationum, in mundo spirituali notas sed in mundo naturali ignotas, inspirare potuerunt, vulgantes quod ille esset ipse deus cœli apparens sub forma humana, & sic illi Divinum cultum addixerunt; & hoc ex causa, quia populus recedere volebat a cultu eorum idololatrico, quare excogitabant id medium ut contineretur in obedientia; ille mons est qui intelligitur apud Esaiam Cap: XIV: Vers: 13, per *Montem conventus in lateribus septentrionis*; & illi qui in montibus ibi per *Luciferum*, Vers: 12, nam qui ex Babylonica turba in Oriente fuerunt, in lumine fuerunt præ reliquis, quod lumen etiam sibi arte pararunt: visi etiam sunt qui Turrim ædificabant, quæ pertingeret usque in cœlum, ubi Angeli; sed hoc modo repræsentativum eorum machinationum erat; machinationes enim sistuntur in Mundo spirituali per plura coram oculis eorum qui e longinquo stant, quæ tamen non actualiter existunt apud illos qui in machinationibus sunt, hoc commune est ibi; per illam apparentiam usque datum mihi est scire, quid significatur per *Turrim cujus caput esset in cœlo, unde locus Babel dictus est*, Genes: XI: 1 ad 10: hæc de Habitationibus eorum in Oriente. In OCCIDENTE habitaverunt anterius illi qui ex ea religione in Sæculis obscuris vixerunt, plerique sub terris ibi, una propago sub altera; totus Tractus anterior, qua spectat septentrionem, erat quasi excavatus, & impletus Monasteriis; introitus ad illos patebant per antra supra operta tegmine, per illa exibant & intrabant, sed raro loquuti sunt cum illis qui in sequentibus sæculis vixerunt, alio enim genio erant, & non tam malitiosi, quia illis temporibus nulla contentio fuit cum Reformatis, inde nec tanta astutia & malitia ex odio & vindicta. In occidentali Plaga ultra illum Tractum erant plures montes, super quibus erant malitiosissimi ex illa Gente, qui corde negabant Divinum, & tamen id ore sanctius reliquis profitebantur & gestu adorabant; illi qui ibi erant, nefandas artes excogitaverunt, ut sub jugo imperii sui tenerent vulgus, & quoque alios cogerent ad se submittendum illi jugo; artes illas describere non licet, quia nefandæ sunt, erant quales in genere memorantur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 580: Montes super quibus erant, sunt qui in Apocalypsi intelliguntur per septem montes; & illi qui ibi describuntur per Mulierem insidentem bestiæ coccineæ, his verbis, "*Vidi Mulierem insidentem Bestiæ coccineæ, plenæ nominibus blasphemiæ, habenti capita septem, & cornua decem; habebat in fronte nomen scriptum, mysterium, Babylon magna, mater scortationum & abominationum terræ: septem capita sunt septem montes, super quibus mulier sedet,*" Cap: XVII: 3. 5. 9: per mulierem in sensu interno intelligitur Ecclesia, ibi in opposito sensu Religiosum prophanum; per bestiam coccineam prophanatio amoris cœlestis; & per septem montes prophanus amor imperandi: hæc de Habitationibus eorum in Occidente. Causa, quod secundum plagas distincti habitent, est quia

omnes

omnes in Mundo ſpirituali feruntur in Plagam & in locum plagæ, qui correſpondet eorum affectionibus & amoribus, & nullus alio, de quibus videatur in Opere de Cœlo & Inferno, ubi actum eſt de quatuor Plagis cœli, n: 141 ad 153. In genere, omnes conſultationes Babylonicæ hujus Gentis eo tendunt, ut dominentur non modo ſuper cœlum, ſed etiam ſuper omnem terram, ſic ut poſſideant & cœlum & terram, per illud hanc, & per hanc illud; ut id obtineant, continue nova ſtatuta & nova doctrinalia excogitant & excludunt: ſimile quod in mundo etiam moliuntur in altera vita, nam unuſquiſque poſt mortem talis eſt qualis fuit in mundo, imprimis quoad religioſum: datum eſt mihi audire quoſdam ex Primoribus conſultantes de Doctrina, quæ populis eſſet pro norma; Articuli plures erant, ſed omnes tendebant eo, ut imperium ſuper Cœlos & ſuper Terras aucuparent; & quod illis omnis poteſtas eſſet, & nulla Domino: illa doctrinalia poſtea legebantur coram adſtantibus, & cum lecta ſunt, audiverunt vocem e Cœlo, quod illa dictata fuerint ex profundiſſimo Inferno, tametſi id neſciebant; quod etiam confirmabatur per id, quod turba diabolica ex illo Inferno, quæ aſpectu nigerrima & diriſſima erat, aſcenderet, ac doctrinalia illa non manibus ſed dentibus ab illis evelleret, ac deferret in ſuum infernum: populus, qui videbat, obſtupeſcebat.

59. *Cur uſque ad diem Ultimi Judicii ibi tolerati ſunt*, cauſa erat, quia ex Ordine Divino, eſt quod omnes, quotcunque conſervari poſſunt, conſerventur, & hoc uſque dum non amplius inter bonos eſſe poſſunt; quapropter omnes illi conſervantur, qui æmulari poſſunt vitam ſpiritualem in externis, ac illam ſiſtere in vita morali ſicut inibi foret, qualeſcunque ſint quoad fidem & amorem in internis; tam quoque conſervantur illi qui in ſancto externo ſunt, tametſi in nullo interno: tales multi ex illa Gente fuerunt, potuerunt enim pie cum vulgo loqui, ſancte adorare Dominum, religioſum animis implantare, ac ducere ad cogitandum de Cœlo & Inferno, ac tenere in bonis faciendis per prædicationem operum; inde potuerunt plures ducere ad vitam boni, ita in viam ad Cœlum; quapropter etiam multi ex illa religione ſalvati ſunt, tametſi pauci ex ductoribus; ſunt enim hi, quales a Domino intelliguntur per *Pſeudoprophetas, qui veniunt in indumentis ovium, ac intus ſunt lupi rapaces*," Matth: VII: 15; per Prophetas in ſenſu Verbi interno intelliguntur qui docent verum, & per id ducunt ad bonum, ac per Pſeudoprophetas, qui docent falſum, & per id ſeducunt: ſunt etiam ſicut Scribæ & Phariſæi, qui a Domino deſcribuntur his verbis, "*In Cathedra Moſis ſedent; omnia quæ dicunt vobis ut ſervetis, ſervate & facite, ſed ſecundum opera eorum ne facite; dicunt enim & non faciunt; omnia opera ſua faciunt ut ab hominibus ſpectentur; præcludunt Regnum cœlorum hominibus, illi autem non intreeunt: exedunt domos viduarum, in ſpeciem fundentes longas preces. Væ vobis hypocritæ, mundatis exteriorem partem poculi & patinæ, intus autem ſunt plena rapina & iniquitate; mundate primum interius poculi & patinæ, ut ſit etiam exterius mundum: ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus*

mor-

mortuorum: sic vos extra apparetis hominibus justi, intus vero pleni estis hypocrisi & iniquitate," Matth: xxiii: 1 ad 34. Quod tolerati sint, etiam est causa, quia unusquisque post mortem retinet suum religiosum, quod in mundo imbuit, quapropter etiam immittitur in illud utprimum in alteram vitam venit; & religiosum apud hanc Gentem implantatum est a talibus, qui prætulerunt ore & finxerunt gestu sanctum, & quoque impresserunt fidem, quod salvari possint per eos; inde quoque erat, quod tales non illis ablati sint, sed quod inter suos conservati. Primaria causa est, quod ab uno Judicio ad alterum conserventur omnes, qui vitam similem spirituali in externis agunt, ac pium & sanctum sicut internum æmulantur, a quibus simplices possunt erudiri & duci, non enim ulterius spectant simplices fide & corde, quam ad externum & coram oculis apparens; inde est, quod tolerati sint omnes qui tales fuerunt a tempore inchoatæ Ecclesiæ Christianæ usque ad diem Judicii; quod ultimum Judicium bis prius exstiterit, & nunc tertio ostensum est supra; illi omnes sunt qui prius cœlum constituerunt, & qui in Apocalypsi, Cap: xx: 5. 6, intelliguntur per illos qui non ex prima Resurrectione; sed quia illi tales fuerunt, ut supra descriptum est, ideo id cœlum destructum est, & illi qui a secunda Resurrectione ejecti. At sciendum est, quod solum illi conservati fuerint, qui se in vinculis teneri passi sunt per leges tam civiles quam spirituales, quoniam hi in Societate simul esse potuerunt, verumtamen non conservati sunt illi, qui non per illas leges in vinculis teneri potuerunt, hi in infernum conjecti sunt longe ante diem ultimi Judicii, nam societates continue purificatæ & repugnatæ sunt a talibus; inde est, quod illi qui scelestam vitam egerunt, & ad mala facienda pellexerunt vulgus, & intraverunt in nefandas artes, quales sunt apud illos qui in infernis, de quibus in Opere de Cœlo & Inferno, n: 580, ejecti sint e societatibus, & hoc per vices: pariter etiam auferuntur e societatibus illi qui interius boni sunt, ne contaminentur ab illis qui interius mali; nam illi qui boni sunt, percipiunt interiora, & ideo non spectant ad exteriora, nisi quantum cum interioribus concordant, hi per vices ante judicium mittuntur ad loca instructionis, de quibus videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 512 ad 520, & inde auferuntur in Cœlum; hi enim sunt ex quibus novum Cœlum, & qui intelliguntur per illos qui a prima Resurrectione sunt. Hæc dicta sunt, ut sciatur cur tot ab illis, qui ex Pontificia religione fuerunt, usque ad diem ultimi Judicii tolerati & conservati sunt; sed plura de eadem re dicentur in sequente Articulo, ubi de priori Cœlo quod transivit, agendum est.

60. *Quomodo destructi, & habitationes eorum desertum factæ sunt*, velim hic paucis describere, pluribus in Explicatione super Apocalypsin. Quod Babylonia, de qua ibi agitur, destructa sit, nemo alius potest scire, quam qui vidit, & mihi datum est videre quomodo Ultimum Judicium super omnes, & in specie super illos qui e Babylonia fuerunt, factum & peractum est, quare descriptionem faciam; hoc mihi concessum est, imprimis ob causam,

ut reveletur mundo, quod omnia, quæ in Apocalypsi prædicta sunt, Divinitus inspirata sint, & quod sit Liber propheticus Verbi; nam nisi id revelaretur mundo, & simul sensus internus, qui est in singulis ibi, sicut in singulis Prophetarum Veteris Testamenti, potuisset ille Liber ob non intellectum rejici; quod secum id incredulum ferret, quod illa, quæ ibi dicuntur, non mereantur fidem, imo quod non Ultimum aliquod Judicium venturum sit, in qua fide se confirmarent illi qui e Babylonia, præ aliis: hoc ne fiat, placuit Domino, me facere testem ocularem. Sed omnia, quæ visa sunt de Ultimo Judicio super illos qui e Babylonia, seu de destructione Babyloniæ, non possunt hic afferri, quia tam multa sunt, ut Librum facerent, quapropter hic solum aliquot communia tradam, reservando particularia ad Explicationem super Apocalypsin. Quoniam Babylonica Gens consedit & extensa fuit super plures tractus in Orbe spirituali, & societates sibi formavit in omni plaga ibi, ut ostensum est supra n: 58, velim singillatim describere quomodo destructi sunt in qualibet Plaga.

61. Post Visitationem facta est destructio; nam Visitatio semper præcedit; Visitatio est exploratio quales sunt, & quoque separatio bonorum a malis, ac boni inde auferuntur & mali relinquuntur. Illa peracta facti sunt ingentes motus terræ; ex quibus animadverterunt, quod Ultimum Judicium instaret, tremor etiam tunc occupavit omnes; visi tunc illi qui in MERIDIONALI PLAGA habitabant, imprimis qui in magna Urbe ibi, de qua supra n: 58, quod discurrerent huc illuc, quidam ut proriperent se in fugam, quidam ut absconderent se in cryptis, quidam in cellis & foveis ubi thesauri eorum, quidam inde exportabant quicquid manibus obvenit: sed post terræ motus erupit ebullitio ab inferiori, quæ evertit omnia quæ in Urbe & in circumjacente tractu: post ebullitionem venit vehemens ventus ab oriente, qui denudavit, concussit & evertit funditus omnia; & tunc omnes qui ibi erant ex omni loco & ex omni latebra educti sunt, & conjecti in Mare, cujus aqua erat nigra; illi qui in id conjecti sunt erant ad plures myriades. Postea ex toto illo tractu abscendebat fumus, qualis post incendium, ac ultimo densus pulvis, qui per ventum orientalem delatus est ad Mare, & superinstratus; in pulverem enim versa sunt thesauraria eorum, & omnia quæ quia possidebant dixerunt sancta: quod pulvis ille superinstratus esset Mari, erat quia talis pulvis significat damnatum. Ultimo visum est sicut nigrum volans super totum tractum illum, quod inspectum apparebat sicut Draco, signum quod ex tota illa Urbe magna & ex toto illo Tractu, Desertum factum sit; quod id visum sit, erat quia per Dracones significantur falsa talis religionis, & per domicilium eorum significatur desertum post eversionem, ut Jerem: IX: 11. Cap: X: 22. Cap: XLIX: 33. Malach: I: 3. Visum etiam est, quod quidam haberent sicut lapidem molarem circum brachium sinistrum, quod erat repræsentativum quod e Verbo confirmaverint nefanda sua dogmata, lapis molaris significat talia; inde patuit quid in Apocalypsi per hæc significatur, "*Angelus sustulit lapidem instar molæ magnæ, & projecit in mare, dicens,*

dicens, ita cum impetu projicietur Babylon urbs illa magna, nec amplius invenietur," XVIII : 21. Illi autem, qui in Synedrio erant, etiam in eadem Plaga sed propius ad orientem, in quo consultabatur de modis amplificandi dominium, & de modis continendi populum in ignorantia & inde in cæca obedientia, de quo synedrio videatur supra n : 58 ; illi non conjecti sunt in mare nigrum, sed in Voraginem quæ se aperuit in longum & profundum sub illis & circum illos. Ita Ultimum Judicium peractum est super Babylonicos in Plaga meridionali. Ultimum Judicium autem super illos qui *anterius in* PLAGA OCCIDENTALI, & super illos qui in PLAGA SEPTENTRIONALI, ubi etiam magna Urbs, ita factum est. Post ingentes terræ motus, qui convulserunt omnia usque ad fundum (hi terræ motus sunt qui intelliguntur in Verbo, Matth : XXIV : 7. Luc : XXI : 11. ac similes Apoc : VI : 12. Cap : VIII : 5. Cap : XI : 13. Cap : XVI : 18, & in Propheticis Veteris Testamenti, & non terræ motus in hac terra) quæ ibi erant, pergebat Ventus orientalis a Meridie per Occidentem in Septentrionem, ac denudabat omnem illam Regionem, primum illam quæ anterius in Plaga occidentali erat, ubi sub terris habitabant qui in Sæculis obscuris vixerunt, postea Urbem magnam, quæ extensa fuit ab illa Plaga usque per Septentrionem ad Orientem, ex quibus denudatis apparuerunt omnia ; sed quia ibi non tantæ gazæ erant, non visa est aliqua ebullitio & igneum sulphureum consumens thesauros, sed modo eversio & destructio, & dein exhalatio omnium in fumum ; Ventus enim orientalis pergebat eundo & redeundo, ac evertit & destruxit, & quoque abstulit : Monachi cum plebe educebantur ad plures myriades, & partim conjecti sunt in Mare nigrum a latere ejus quod spectat occidentem, partim in hiatum magnum meridionalem, de quo supra, partim in Voraginem Occidentalem, & partim in Inferna gentilium, nam qui e sæculis obscuris erant, quoad partem erant idololatræ similes gentilibus ; fumus etiam inde visus est ascendens, & pergens usque ad Mare, & super id volans, & crustam inducens nigram ; nam illa pars maris, quo conjecti sunt, incrustabatur pulvere & fumo, in quos fathiscebant habitationes & divitiæ eorum, quare Mare illud non amplius ad visum existit, sed loco ejus sicut solum nigrum, sub quo Infernum eorum. Ultimum Judicium super illos, qui in PLAGA ORIENTALI super montibus habitabant, de quibus etiam videatur supra n : 58, ita peractum est : Montes illi visi sunt subsidere in profundum, & omnes, qui super illis, deglutiti : ac visus est ille, quem super uno Monte ibi posuerunt, quem proclamarunt pro deo, quod niger factus sit, & dein ignitus, & cum illis in Infernum præceps dejectus : monachi enim ex vario Ordine, qui super illis montibus erant, illum dixerunt esse deum, & se Christum, & ubicunque iverunt, secum tulerunt nefandam persuasionem quod Christus essent. Ultimo factum est Judicium super illos qui remotius in PLAGA OCCIDENTALI habitabant, & ibi super montibus, qui intellecti sunt per Mulierem insidentem bestiæ coccineæ, cui septem capita quæ septem montes, de qua etiam supra n : 58, relatum est : illorum Montes etiam visi sunt, quidam aperti in medio,

ubi

ubi ingens hiatus factus circumductus in spiram, & ii, qui super illis, in illum conjecti; quidam Montes evulsi sunt funditus, & prorsus inversi, ut quod supremum ibi erat, imum factum sit; illi qui inde in planitiebus erant, inundati sunt sicut diluvio & obtecti; at qui apud eos ex aliis Plagis erant, illi conjecti sunt in Voragines. Sed hæc quæ nunc dicta sunt, pauca sunt ex omnibus quæ vidi, plura dabuntur in Explicatione super Apocalypsin. Hæc facta & peracta sunt in principio Anni 1757. Quod VORAGINES attinet, in quas conjecti sunt omnes, præter illos qui in Mare Nigrum, sunt plures; Quatuor mihi detectæ sunt; una magna in Plaga meridionali ad orientem ibi; altera in Plaga occidentali ad meridiem; tertia in Plaga occidentali ad septentrionem ibi: quarta ulterius in angulo inter Occidentem & Septentrionem: Voragines & Mare sunt Inferna eorum. Hæc visa sunt, at præter illa sunt plura alia, quæ non visa; Gentis enim Babylonicæ Inferna sunt distincta secundum varias prophanationes spiritualium, quæ sunt boni & veri Ecclesiæ.

62. Ita nunc Mundus spiritualis a talibus liberatus est, & ob liberationem ab illis gavisi sunt Angeli, quoniam illi, qui ex Babylonia erant, omnes quotcunque potuerunt, infestabant ac seducebant, & ibi plus quam in mundo; nam astutiæ illorum ibi maligniores sunt, quia tunc spiritus sunt, & in spiritu cujusvis se recondit omnis malitia; nam spiritus hominis est qui cogitat, vult, intendit & machinatur: multi ex illis explorati sunt ac inventi, quod prorsus nihil crediderint, quodque insiderit animis eorum nefanda cupiditas seducendi, divites propter divitias, & pauperes propter dominium; & quod ob illum finem tenuerint omnes in densissima ignorantia, & sic præstruxerint viam ad lucem, ita ad cœlum; nam via ad lucem & ad cœlum præstruitur, cum cognitiones spiritualium obfunduntur per idololatrica, & cum Verbum adulteratur, infirmatur, & aufertur.

63. *Quod conservati sint qui ex illis qui in affectione veri ex bono fuerunt.* Illi ex Pontificia Gente qui pie vixerunt, & fuerunt in bono, tametsi non in veris, & usque ex affectione desideraverunt scire vera, exemti sunt, & delati sunt in Tractum quendem anterius in Plaga occidentali juxta septentrionalem, & ibi datæ illis sunt habitationes, ac institutæ societates; & dein ad illos missi sunt sacerdotes ex Reformatis, qui instruerent illos ex Verbo, & sicut instruuntur acceptantur in Cœlum.

64. *De statu illorum posthac qui inde ex terris veniunt.* Quoniam nunc Ultimum Judicium peractum est, & per id a Domino omnia in ordinem redacta sunt, ac omnes qui interius boni fuerunt in Cœlum sublati sunt, & qui interius mali in Infernum dejecti, non sinitur posthac sicut hactenus, ut consocientur infra cœlum & supra infernum, nec ut commune habeant cum aliis, sed ut primum illuc veniunt, quod fit post cujusvis obitum, prorsus separentur, & post transactum tempus in Mundo spirituum, in loca sua ferantur; quare illi qui sancta prophanant, qui sunt

qui vindicant ſibi poteſtatem aperiendi & claudendi cœlum, ac remittendi peccata, quæ tamen ſolius Domini ſunt, & qui bullas papales Verbo pares faciunt, & pro fine habent dominium, poſthac feruntur illico in Mare nigrum, vel in Voragines ubi Inferna prophanatorum ſunt. Sed dictum mihi eſt e cœlo, quod illi qui tales ſunt ex illo religioſo, nihil ſpectent ad vitam poſt mortem, quia eam corde negant, ſed ſolum ad vitam in mundo, & quod inde talem eorum ſortem poſt obitum, quæ tamen in æternum manſura eſt, floccipendant, & ad illam, ſicut ad rem nihili, rideant.

De priori Cœlo, & ejus abolitione.

65. DICITUR in Apocalypſi, "*Vidi Thronum magnum, & Quendam inſidentem, a Cujus aſpectu fugit Terra & Cœlum, quorum locus non inventus eſt,*" xx: 10. Et dein, "*Vidi Cœlum novum & Terram novam; primum Cœlum & prima Terra tranſiverant,*" xxi: 1. Quod per novum Cœlum & novam Terram, & per tranſitionem prioris Cœli & prioris Terræ, non intellectum ſit Cœlum aſpectabile ac Terra noſtra habitata, ſed Cœlum Angelicum & Eccleſia, oſtenſum eſt in Articulo Primo ſupra, & quoque in ſequentibus: Verbum enim in ſe eſt ſpirituale, & ideo de ſpiritualibus agit, ac ſpiritualia ſunt quæ ſunt Cœli & Eccleſiæ; hæc in ſenſu literæ exponuntur per naturalia, quia naturalia inſerviunt ſpiritualibus pro baſi, ac Verbum abſque tali baſi non foret Divinum Opus, quia non completum, naturale, quod eſt ultimum in Ordine Divino, complet, & facit, interiora, quæ ſunt ſpiritualia & cœleſtia ut ſuper illo ſubſiſtant, ſicut domus ſuper ſuo fundamento: nunc quia homo ex naturali & non ex ſpirituali cogitavit de illis quæ ſunt in Verbo, ideo per Cœlum & Terram in illis locis, & quoque in aliis, non aliud intellexit quam Cœlum quod exiſtit in Mundo naturæ, nec aliam Terram: inde eſt, quod unuſquiſque exſpectet tranſitionem & deſtructionem eorum, & tunc quoque creationem novorum: ſed ne illa exſpectentur in perpetuum, & quovis ſæculo fruſtra, apertus eſt ſenſus ſpiritualis Verbi, ut ſciatur quid intelligitur per plura in Verbo, quæ ad intellectum non veniunt dummodo naturaliter de illis cogitatur, & ſimul quid per Cœlum & Terram quæ tranſibunt.

66. Sed antequam manifeſtatur, quid per primum Cœlum & primam Terram intelligitur, ſciendum eſt, quod per primum Cœlum non intelligatur Cœlum quod fuit ex illis qui facti ſunt Angeli a prima Creatione hujus Mundi ad hoc uſque tempus, nam id Cœlum conſtans eſt & permanet in æternum; omnes enim qui in Cœlum veniunt, ſub tutela Domini ſunt, & a Domino, qui ſemel receptus eſt, nullus evelli poteſt; ſed per primum Cœlum intelligitur id quod conflatum ex aliis quam qui Angeli

facti sunt, & quoad plurimam partem ex illis qui non Angeli fieri potuerunt: quinam illi fuerunt, & quales, in sequentibus dicetur: id Cœlum est de quo dicitur quod transierat. Id vocatur Cœlum, quia illi qui in eo fuerunt, in Alto super petris & montibus consociati degerunt, & in jucundis naturalium similibus, sed usque in nullis spiritualibus; nam plerique, qui ex terris in Mundum spiritualem veniunt, credunt in Cœlo esse cum in Alto, & in cœlesti gaudio cum in jucundis in qualibus fuerunt in mundo: inde est, quod id vocatum sit Cœlum, sed Cœlum primum quod transiret.

67. Porro sciendum est, quod hoc Cœlum, quod vocatur Primum, non fuerit ab aliquibus, qui ante adventum Domini in mundum vixerunt, sed omnes ab illis qui post adventum Ipsius; nam, ut supra n: 33 ad 39 ostensum est, in fine cujusvis Ecclesiæ fit ultimum Judicium, & tunc abolitur prius Cœlum, & creatur seu formatur novum; a principio enim ad finem Ecclesiæ tolerati sunt omnes qui in Morali vita externa, & qui in Pio & Sancto externo vixerunt, tametsi in nullo interno, modo interna quæ sunt cogitationum & intentionum in vinculis teneri potuerint per leges societatis civiles & morales; sed in fine Ecclesiæ reteguntur interna, & tunc super illos fit Judicium. Inde est, quod Ultimum Judicium super habitatoribus hujus Telluris bis prius factum sit, & nunc tertio, videatur supra n: 46, ita quoque bis prius Cœlum cum terra transiverat, ac novum Cœlum cum nova Terra creatum est; Cœlum enim & Terra sunt Ecclesia utrobivis, ut supra n: 1 ad 5 ostensum est. Inde patet, quod Novum Cœlum & Nova Terra, quæ memorantur apud Prophetas Veteris Testamenti, non sint id Novum Cœlum & Nova Terra quæ memorantur in Apocalypsi, sed quod illa exstiterint a Domino cum fuit in mundo, & quod hoc nunc ab Ipso: de illis apud Prophetas Veteris Testamenti ita legitur, "*Ecce Ego creaturus sum Cœlum novum & Terram novam, nec commemorabuntur priora,*" Esai: LXV: 17. & alibi, "*Cœlum novum & Terram novam facturus sum,*" Esai: LXVI: 22; præter apud Danielem.

68. Quia hic nunc agitur de Primo Cœlo quod transivit, & nemo aliquid de eo scit, velim ordine describere, I. Primum Cœlum a quibus exstiterat. II. Quale id fuit. III. Quomodo transivit.

69. *Primum Cœlum a quibus exstiterat.* Primum Cœlum ab omnibus illis conflatum est, super quos Ultimum Judicium est factum, non enim factum est super illos qui in Inferno, nec super illos qui in Cœlo, nec super illos qui in Mundo spirituum, de quo Mundo videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 421 ad 520; & non super aliquo homine adhuc vivente, sed solum super illos, qui sibi instar cœli fecerunt, quorum plurima pars erat super montibus & petris; hi etiam sunt qui a Domino intellecti sunt per Hircos, quos statuit a sinistro, Matth: XXV: 32. 33 seq: inde constare potest, quod Primum Cœlum exstiterit non modo a Christianis, sed etiam a Mahumedanis & Gentibus, quorum omnes formaverant sibi tales cœlos in suis locis. Quales illi fuerunt, paucis dicetur: fuerunt qui in sancto externo vixerunt in mundo, & usque in nullo sancto interno; & qui propter,

leges civiles & morales justi & sinceri fuerunt, & non propter leges Divinas, ita qui Externi seu Naturales homines fuerunt, ac non Interni seu Spirituales; & quoque qui in doctrinalibus Ecclesiæ, & docere potuerunt, tametsi non in vita secundum illa; tum qui in variis functionibus fuerunt, & usus fecerunt, sed non propter usus: hi & horum similes ex omnibus in universo terrarum orbe, qui post adventum Domini vixerunt, Primum Cœlum constituerunt: hoc Cœlum ideo tale erat, qualis est Mundus & Ecclesia in terris ex illis, qui non bonum agunt quia est bonum, sed quia timent leges ac jacturam famæ, honoris & lucri; qui non ex alia origine agunt bonum, illi non timent Deum sed homines, nec Conscientiam habent. In primo Cœlo, quod a Reformatis, multa pars erat, qui crediderunt salvari hominem per solam fidem, & non vitam fidei, quæ est charitas, vixerunt; & qui amaverunt multum ab hominibus videri. Omnibus illis, dum consociati erant, interiora clausa fuerunt ut non patuerint, sed aperiebantur cum instaret Ultimum Judicium, & tunc compertum est, quod intus obsiderentur ab omnis generis malis & falsis, & quod contra Divinum essent, & quod actualiter in Inferno: nam unusquisque post mortem statim alligatur similibus, boni similibus in Cœlo, mali autem similibus in Inferno, sed non veniunt ad illos, priusquam interiora reteguntur; interea consociari possunt illis, qui eis similes sunt in externis. Sed sciendum est, quod omnes qui interius boni fuerunt, ita qui spirituales, ab illis separati sint, & elevati in cœlum; & quod omnes, qui non modo interius sed etiam exterius mali fuerunt, etiam ab illis separati sint, & conjecti in Infernum; & hoc a primo tempore post adventum Domini usque ad ultimum, quando Judicium; ac relicti solum, ut societates inter se formarent, ex quibus primum Cœlum, qui tales fuerunt quales supra descripti sunt.

70. Quod tales Societates toleratæ sint, seu tales Cœli, sunt plures causæ; primaria est, quod per externum sanctum, & per externum sincerum & justum, conjuncti fuerint cum simplicibus bonis qui in Ultimo Cœlo, & qui adhuc in Mundo spirituum & nondum introducti in cœlum fuerunt; nam in Mundo spirituali communicatio omnium est & inde conjunctio cum similibus, ac simplices boni qui in ultimo Cœli sunt, & qui in Mundo spirituum, spectant imprimis ad externa, sed usque non interius mali sunt, quare si ab illis divellerentur ante tempus præstitutum pateretur Cœlum in suis ultimis, & tamen ultimum est super quo superius Cœlum sicut super sua basi subsistit. Quod illa causa fuerit, quod tolerati sint usque ad ultimum tempus, docet Dominus his verbis, "*Accedentes servi Patris familias dixerunt ei, nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo sunt zizania, & dixerunt, vis ergo abeamus & colligamus ea; at ille dixit, non, ne colligendo zizania eradicetis simul cum eis triticum; sinite itaque utraque simul crescere usque ad messem, & tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum vero colligite in horrea. Qui seminavit bonum semen est Filius hominis; Ager est mundus; Semen bonum sunt*

ſunt filii regni, zizania filii mali; Meſſis eſt conſummatio ſæculi: ſicut ergo colliguntur zizania, & comburuntur igne, ſic erit in conſummatione ſæculi hujus," Matth: XIII: 27 ad 30. 37 ad 42; Conſummatio ſæculi hujus eſt ultimum tempus Eccleſiæ; Zizania ſunt qui interius mali ſunt; Triticum qui interius boni; Collectio illorum & ligatio in faſciculos ad comburendum eſt ultimum Judicium *(o)*. Simile intelligitur in eodem Capite per parabolam Domini de Piſcibus ex omni genere congregatis, ac bonis injectis in vaſa, malis autem ejectis foras, de quibus etiam dicitur, "*Sic erit in Conſummatione ſæculi; exibunt Angeli, & ſeparabunt malos e medio juſtorum,*" Verſ: 47. 48. 49; comparantur piſcibus, quia per piſces in Verbi ſenſu ſpirituali, ſignificantur naturales & externi, tam boni quam mali; quid per Juſtos videatur infra lineam *(p)*.

71. *Quale Primum Cœlum fuit*, ex illis, quæ ſupra nunc dicta ſunt, concludi poteſt; tum ex eo quod illi, qui non ſpirituales ſunt per agnitionem Divini, vitam boni, & affectionem veri, & uſque ut ſpirituales apparent per ſanctum externum, per ſermocinationes de Divinis, & per ſinceritates propter ſe & mundum, dum relicti internis ſuis, ruant in nefaria ſecundum libidines ſuas; nihil enim detinet, non timor Dei, non fides, non conſcientia: inde erat, quod utprimum illi, qui in primo Cœlo erant, immiſſi ſunt in interiora ſua, apparuerint conjuncti Infernis.

72. *Quomodo Primum Cœlum tranſivit*, deſcriptum eſt prius, ubi de Ultimo Judicio ſuper Mahumedanos & ſuper Gentes, n: 50. 51; & ſuper Pontificios, n: 61. 62. 63, actum eſt, quoniam illi etiam in ſuis locis Primum cœlum conſtituerunt: ſupereſt ut aliquid dicatur de Ultimo Judicio ſuper Reformatos, qui etiam Proteſtantes & Evangelici vocantur, ſeu quomodo Primum

---

Ex Arcanis Cœlestibus. *(o)* Quod Manipuli in Verbo ſignificent diſpoſitiones verorum & falſorum apud hominem in ſeries, ita quoque hominum in quibus vera & falſa, n: 4686. 4687. 5339. 5530. 7408. 10303. Quod Filius hominis ſit Dominus quoad Divinum Verum, n: 1729. 1733. 2159. 2628. 2803. 2813. 3255. 3704. 7499. 8897. 9087. Quod filii ſint affectiones veri ex bono, n: 489. 491. 533. 2623. 3373. 4257. 8649. 9807; ita filii Regni ſunt qui in affectionibus veri ex bono, & filii mali qui in affectionibus falſi ex malo; unde hi dicuntur zizania, & illi ſemen bonum, nam per zizania ſignificatur falſum ex malo, & per ſemen bonum verum ex bono: quod ſemen agri ſit verum ex bono apud hominem a Domino, n: 1940. 3038. 3310. 3373. 10248. 10249. Quod ſemen in oppoſito ſenſu ſit falſum ex malo, n: 10248. Quod etiam ſemen agri ſit nutritio mentis per Divinum Verum ex Verbo, & quod ſeminare ſit inſtruere, n: 6158. 9272. Quod Conſummatio ſæculi ſit ultimum tempus Eccleſiæ, n: 4535. 10622.

(p) Quod per Piſces in Verbi ſenſu ſpirituali ſignificentur ſcientifica quæ naturalis ſeu externi hominis, & inde quoque naturales ſeu externi, tam mali quam boni, n: 40. 991. Quod animalia omnis generis correſpondeant talibus quæ apud hominem, n: 45. 46. 246. 714. 716. 719. 2179. 2180. 3519. 9280. 10609. Quod Juſti in Verbo dicantur, quibus addicatur juſtitia & meritum Domini, Injuſti autem quibus juſtitia propria & meritum ſui, n: 3648. 5069. 9263.

Primum cœlum ex illis compositum transivit; nam, ut supra dictum est, non super alios factum est Judicium, quam super illos, ex quibus erat Primum cœlum. Hi postquam visitati sunt, ac immissi in interiora sua, partiti sunt & divisi in classes secundum mala & inde falsa, & secundum falsa & inde mala, & conjecti in Inferna amoribus eorum correspondentia; Inferna eorum erant ab omni latere circum Medium, nam in Medio fuerunt Reformati, circum illos Pontificii, & circum hos Mahumedani, & in ultimo ambitu Gentes, videatur supra n: 48; illi qui non in Inferna, ejecti sunt in deserta: quidam autem demissi erant in Planities in Plaga meridionali & septentrionali, ut Societates formarent, ac instruerentur & præpararentur ad Cœlum; hi sunt qui conservati. Sed quomodo omnia hæc peracta sunt, hic in specie describi non potest, Judicium enim super illos diutius perstitit, & factum est successive per vices; & quia tunc multa memoratu digna visa & audita sunt, velim illa in suo ordine sistere in Explicatione super Apocalypsin.

De statu Mundi & Ecclesiæ posthac.

73. STATUS Mundi posthac prorsus similis erit qualis fuerat hactenus; nam magna illa mutatio, quæ facta est in Mundo spirituali, non inducit aliquam mutationem Mundo naturali quoad externam formam; quare æque posthac erunt Civilia ut prius, erunt Paces, Fœdera, & Bella, ut prius, & cætera quæ sunt societatum in genere & in specie. Quod Dominus dixerit, quod ultimis temporibus erunt Bella, ac tunc insurget Gens contra gentem, & Regnum contra regnum, & erunt Fames, Pestes, & Terræ motus singulis locis, Matth: XXIV: 6. 7, non significat talia in Naturali mundo, sed correspondentia in Spirituali; Verbum enim in Propheticis non agit de Regnis in terra, nec de Gentibus ibi, ita nec de Bellis eorum, & quoque non de fame, peste, & terræ motibus ibi, sed de talibus quæ eis correspondent in Spirituali mundo, quæ qualia sunt, explicatum est in ARCANIS CŒLESTIBUS, ex quibus Collecta videantur sub linea *(q)*. Quod

EX ARCANIS CEOLESTIBUS. *(q)* Quod Bella in Verbo significent pugnas spirituales, n: 1659. 1664. 8295. 10455. Quod inde omnia Arma belli aliquid pugnæ spiritualis significent, sicut arcus, gladius, clypeus, n: 1788. 2686. Quod Regna significent Ecclesias quoad vera & quoad falsa, n: 1672. 2547. Quod Gentes significent illos ibi qui in bonis & qui in malis, n: 1059. 1159. 1205. 1258. 1260. 1416. 1849. 4574. 6005. 6306. 7830. 8054. 8317. 9320. 9327. Quod Fames significet defectum cognitionum boni & veri, n: 1460. 3364. 5277. 5279. 5281. 5300. 5360. 5376. 5893. Quod etiam desolationem Ecclesiæ, n: 5279. 5415. 5576. 6110. 6144. 7102. Quod Pestis significet vastationem & consummationem boni & veri, n: 7102. 7505. 7507. 7511. Quod Terræmotus significent mutationes status Ecclesiæ, n: 3355.

Quod autem ſtatum Eccleſiæ attinet, ille eſt qui non erit ſimilis poſthac, ſimilis quidem quoad externam apparentiam, ſed diſſimilis quoad internam; quoad externam apparentiam erunt Eccleſiæ diviſæ ut prius, doctrinæ earum docebuntur ut prius, ſimiliter religioſa apud Gentes; ſed homo Eccleſiæ erit poſthac in liberiori ſtatu cogitandi de rebus fidei, ita de ſpiritualibus quæ ſunt Cœli, quia Liberum ſpirituale reſtitutum eſt; omnia enim nunc in ordinem redacta ſunt in cœlis & in Infernis, & inde influit omnis cogitatio de Divinis & contra Divina, cum Divinis e Cœlis, & contra Divina ex Infernis: ſed hanc ſtatus mutationem homo nec in ſe animadvertet, quoniam non reflectit ſuper id, nec ſcit aliquid de Libero ſpirituali, nec de Influxu: verumtamen in Cœlo id percipitur, & quoque ab ipſo homine poſt mortem ejus. Quia homini Liberum ſpirituale reſtitutum eſt, ideo Senſus ſpiritualis Verbi nunc detectus eſt, ac per id Divina vera interiora revelata ſunt; illa enim homo in priori ſtatu non intellecturus eſſet, & qui intellecturus, is prophanaturus. Quod homini liberum ſit per æquilibrium inter Cœlum & Infernum, & quod homo non niſi quam in libero reformari poſſit, videatur in Opere de Cœlo & Inferno, n: 597 ad finem.

74. Loquutus ſum cum Angelis varia de ſtatu Eccleſiæ poſthac, qui dixerunt quod ventura non ſciant, quia ventura ſcire eſt ſolius Domini, ſed quod ſciant, quod id ſervum & captivum, in quo fuit homo Eccleſiæ antehac, ſublatum ſit, & quod nunc ex Libero reſtituto melius percipere poſſit vera interiora, ſi vult percipere, & ſic interior fieri, ſi vult fieri; ſed quod uſque exilem ſpem habeant de hominibus Eccleſiæ Chriſtianæ, aſt multam de aliqua Gente ab orbe Chriſtiano diſſita & ab infeſtatoribus inde remota, quæ talis eſt, ut lucem ſpiritualem poſſit recipere, ac cœleſtis ſpiritualis homo fieri; & dixerunt, quod hodie revelentur apud illam Gentem Divina Vera interiora, & quoque recipiantur ſpirituali fide, hoc eſt, vita & corde, & quod Dominum adorent.

F I N I S.

DE

EQUO ALBO

DE QUO

In Apocalypsi, Cap: XIX.

ET DEIN

De Verbo & Ejus Sensu Spirituali seu Interno, ex Arcanis Cœlestibus.



LONDINI:

MDCCLVIII.



DE

EQUO ALBO

DE QUO

In Apocalypsi, Cap: XIX.

1. APUD Johannem in Apocalypsi ita describitur Verbum quoad Sensum Spiritualem seu Internum, "*Vidi Cælum apertum, & ecce* EQUUS ALBUS, *& qui Sedens super illo vocabatur fidelis & verus, & in Justitia judicat & pugnat: Oculi Ipsius flamma ignis; & super Capite Ipsius diademata multa; habens Nomen scriptum, quod nemo novit nisi Ipse: & circumindutus vestimento tincto sanguine, & vocatur Nomen Ipsius* VERBUM DEI. *Et Exercitus qui in Cælis, sequebantur Ipsum super equis albis, induti byssino albo mundo: & habet super vestimento & super femore suo Nomen scriptum,* REX REGUM & DOMINUS DOMINORUM," XIX: 11. 12. 13. 14. 16. Quid singula hæc involvunt, nemo scire potest nisi ex sensu interno; manifestum est, quod unumquodvis aliquod Repræsentativum & Significativum sit, nempe Cœlum quod apertum, Equus qui albus, Sedens super illo, quod in Justitia judicans & pugnans, quod oculi

Ipsius flamma ignis, quod super capite diademata multa, quod Nomen haberet quod nemo novit nisi Ipse, quod circumindutus vestimento tincto sanguine, quod Exercitus qui in Cœlis sequerentur Ipsum super equis albis, quod illi induti byssino albo mundo, & quod super vestimento & super femore haberet Nomen scriptum; aperte dicitur quod sit Verbum, & quod sit Dominus qui Verbum, nam dicitur, "*Vocatur Nomen Ipsius* VERBUM DEI;" & dein, "*Habet super vestimento & super femore suo Nomen scriptum*, REX REGUM & DOMINUS DOMINORUM." Ex interpretatione singularum vocum patet, quod hic describatur Verbum quoad Sensum Spiritualem seu Internum; quod Cœlum sit apertum, repræsentat & significat, quod Internus sensus Verbi videatur in Cœlo, & inde ab illis in Mundo quibus Cœlum est apertum; Equus qui Albus repræsentat & significat intellectum Verbi quoad interiora ejus, quod Equus Albus id significet, patebit a sequentibus; Sedens super illo, quod sit Dominus quoad Verbum, ita Verbum, constat, nam dicitur, *vocatur Nomen Ipsius Verbum Dei*; Qui Fidelis & in Justitia judicans vocatur ex Bono, ac Verus & in Justitia pugnans vocatur ex Vero, nam Ipse Dominus est Justitia; Oculi ejus flamma ignis, significant Divinum Verum ex Divino Bono Divini Amoris Ipsius; super capite Ipsius diademata multa, significant omnia bona & vera fidei; Habens Nomen scriptum quod nemo novit nisi Ipse, significat quod quale est Verbum in sensu interno nemo videat quam Ipse, & cui Ipse revelat; circumindutus vestimento tincto sanguine, significat Verbum in litera cui violentia illata; Exercitus in Cœlis qui sequebantur Ipsum super equis albis, significant illos qui in intellectu Verbi quoad interiora sunt; Induti byssino albo mundo, significat eosdem in vero ex bono; super vestimento & super femore suo Nomen scriptum, significat verum & bonum & eorum quale. Ex his & ex illis quæ præcedunt & sequuntur, patet, quod ibi prædicatur, quod circa ultimum tempus Ecclesiæ Sensus spiritualis seu internus Verbi aperietur; sed quid tunc eveniet, etiam describitur ibi Vers: 17. 18. 19. 20. 21. Quod illa significentur per ea verba, non opus est ut hic ostendatur, quoniam singula ostensa sunt in ARCANIS CŒLESTIBUS, ut quod Dominus sit Verbum, quia est Divinum Verum, n: 2533. 2803. 2884. 5272. 7835. Quod Verbum sit Divinum Verum, n: 4692. 5075. 9987. Quod dicatur Sedens super Equo in Justitia judicans & pugnans, quia Dominus est Justitia, quod Dominus dicatur Justitia ex eo quod ex propria potentia salvaverit Genus humanum, n: 1813. 2025. 2026. 2027. 9715. 9809. 10019. 10152:

Et

Et quod Justitia sit Meritum quod Soli Domino, n: 9715. 9979. Quod Oculi flamma ignis significent Divinum Verum ex Divino Bono Divini Amoris, est quia Oculi significant Intellectum & Verum fidei, n: 2701. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534. 6923. 9051. 10569; Et flamma ignis bonum amoris, n: 934. 4906. 5215. 6314. 6832. Quod diademata quæ super capite significent omnia bona & vera fidei, n: 114. 3858. 6335. 6640. 9863. 9865. 9868. 9873. 9905. Quod habens Nomen scriptum, quod nemo novit nisi Ipse, significet quod quale est Verbum in sensu interno nemo videat quam Ipse, & cui Ipse revelat, est quia Nomen significat quale rei, n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3237. 3421. 6674. 9310. Quod circumindutus vestimento tincto sanguine significet Verbum in litera cui violentia illata, est quia Vestimentum significat verum quia investit bonum, n: 1073. 2576. 5319. 9248. 5319. 5954. 9212. 9216. 9952. 10536; imprimis verum in ultimis, ita Verbum in litera, n: 5248. 6918. 9158. 9212; & quia sanguis significat violentiam a falso illatam vero, n: 374. 1005. 4735. 5476. 9127. Quod Exercitus in Cœlis sequerentur Ipsum super equis albis significent illos qui in intellectu Verbi quoad interiora sunt, est quia Exercitus significant illos qui in veris & bonis Cœli & Ecclesiæ sunt, n: 3448. 7236. 7988. 8019, Et Equus intellectum, n: 3217. 5321. 6125. 6400. 6531. 6534. 7024. 8146. 8318. Et album, verum quod est in luce Cœli, ita verum interius, n: 3301. 3993. 4007. 5319. Quod induti byssino albo mundo significent eosdem in vero ex bono, est quia byssus seu byssinum significat verum ex origine cœlesti, quod est verum ex bono, n: 5319. 9469. Quod super vestimento & super femore Nomen scriptum significet verum & bonum, & eorum quale, est quia vestimentum significat verum, & nomen quale, ut supra, & femur significat bonum amoris, n: 3021. 4277. 4280. 9961. 10485. Rex regum & Dominus dominorum est Dominus quoad Divinum Verum & quoad Divinum Bonum; quod Dominus dicatur Rex ex Divino Vero, n: 3009. 5068. 6148. Et quod dicatur Dominus ex Divino Bono, n: 4973. 9167. 9194. Ex his apparet, quale est Verbum in Sensu spirituali seu interno, & quod nulla ibi vox sit quæ non aliquid spirituale, quod est Cœli & Ecclesiæ, significat.

2. In Propheticis Verbi multoties nominatur Equus, sed hactenus nemini notum fuit, quod Equus Intellectum & Eques Intelligentem significet, & hoc forsan quia alienum & mirabile apparet, quod per Equum tale in sensu spirituali & inde in Verbo intelligatur; sed usque quod

quod ita ſit, ex plurimis locis ibi conſtare poteſt, ex quibus velim ſolum aliqua hic afferre. In Prophetia Iſraelis de Dane, "*Dan ſerpens ſuper via, ſerpens jaculus ſuper ſemita, mordens calcaneos Equi, & cadet Eques ejus retrorſum,*" Geneſ: XLIX: 17. 18; quid hoc Propheticum de una Tribu Iſraelis ſignificat, nemo intellecturus eſt, niſi ſciat quid ſignificat ſerpens, tum quid Equus & Eques; quod ſpirituale ſit quod involvitur, nemo non ſcit; quid itaque ſingula ſignificant, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n: 6398. 6399. 6400. 6401, ubi explicatur hoc Propheticum. Apud Habakuk, "*Deus equitas ſuper Equis tuis, Currus tui ſalus, calcare feciſti in mari Equos tuos,*" III: 8. 15; quod Equi hic ſignificent ſpirituale, patet, quia illa dicuntur de Deo; quid alioquin foret, quod Deus equitaret ſuper Equis ſuis, & quod calcare faceret ſuper mari Equos ſuos. Apud Sachariam, "*In die illo erit ſuper tintinnabulis Equi Sanctitas Jehovæ,*" XIV: 20, ſimiliter. Apud Eundem, "*In die illo, dictum Jehovæ, percutiam omnem Equum ſtupore, & Equitem amentia, & ſuper domum Jehudæ aperiam oculos meos, & omnem Equum populorum percutiam cæcitate,*" XII: 4. 5; agitur ibi de Eccleſiæ vaſtatione, quæ fit quando non amplius alicujus veri intellectus; hoc deſcribitur ita per Equum & Equitem; quid alioquin foret quod omnis Equus percuteretur ſtupore, & quod Equus populorum percuteretur cæcitate, quid hoc ad Eccleſiam. Apud Hiobum, "*Obliviſci fecit Deus eum Sapientiam, & non impertitus eſt ei Intelligentiam, juxta tempus in altum elevavit ſe, deridet Equum & Equitem illius,*" XXXIX: 17. 18. 19 *ſeq:* quod hic per Equum ſignificetur Intellectus, manifeſte patet; ſimiliter apud Davidem, ubi dicitur *Equitare ſuper verbum veritatis,* Pſalm: XLV: 5; præter plurimis aliis in locis. Præterea quis ſciturus eſt, unde eſt, quod Elias & Eliſæus dicti fuerint Currus Iſraelis & Equites ejus; & cur puero Eliſæi viſus fuerit mons plenus Equis & Curribus igneis, niſi ſciatur quid ſignificant Currus & Equites, & quid repræſentaverunt Elias & Eliſæus; nam Eliſæus dixit ad Eliam, "*Pater mi, Pater mi, Currus Iſraelis & Equites ejus,*" 2 Reg: II: 11. 12: Et Joas Rex ad Eliſæum, *Pater mi, Pater mi, Currus Iſraelis & Equites ejus,*" 2 Reg: XIII: 14. Et de puero Eliſæi, "*Aperuit Jehovah oculos pueri Eliſæi, & vidit & ecce Mons plenus Equis & Curribus igneis circumcirca Eliſæum,*" 2 Reg: VI: 17. Quod Elias & Eliſæus dicti fuerint Currus Iſraelis & Equites ejus, eſt quia uterque repræſentavit Dominum quoad Verbum, & per Currus ſignificatur Doctrina e Verbo, & per Equites Intelligentia: quod Elias & Eliſæus repræſentaverint Dominum

(cit. in A.C. 2 Reg. 13: 14) 6125. —— Et cadit eques ejus retrorſum ſignificat quod ſit recedere, nempe a vero. — equus ſign. fallacias ex infima natura, equites in fallaciis ſunt — per Danem qui fulgent ex fallaciis excludunt & circumſpargunt —

minum quoad Verbum, videatur in Arcanis Cœlestibus, n: 5247. 7643. 8029. 9327, & quod Currus ſignificent Doctrinam e Verbo, n: 5321. 8215.

3. Quod Equus Intellectum ſignificet, non aliunde venit quam ex Repræſentativis in Mundo ſpirituali; multoties ibi apparent Equi & Inſidentes equis, tum etiam Currus, & ſciunt ibi omnes quod ſignificent Intellectualia & Doctrinalia; viſum eſt mihi ſæpius, cum aliqui ibi ex Intellectu ſuo cogitarent, quod apparerent ſicut equitantes equis; ita repræſentabat ſe Meditatio eorum coram aliis, iis neſcientibus. Eſt quoque ibi Locus, ubi conveniunt multi qui ex Intellectu cogitant & loquuntur de Veris doctrinæ; & cum alii illuc veniunt, vident totum illum Campum plenum Curribus & Equis, & novitii, qui mirantur undenam hoc, inſtruuntur quod Apparentia illa ſit ex intellectuali cogitatione eorum; Locus ille vocatur Conventus Intelligentium & Sapientium. Viſi etiam mihi ſunt Equi lucidi & Currus ignei, cum quidam ſublati ſunt in Cœlum, quod indicium erat quod tunc illi inſtructi fuerint in Veris doctrinæ cœleſtis, ac Intelligentes facti, & ſic ſublati: ex quo viſo, in mentem venit, quid ſignificatum eſt per Currum igneum & Equos igneos quibus Elias ſublatus eſt in Cœlum; & quid per Equos & Currus igneos viſos puero Eliſæi, cum oculi ejus aperti ſunt.

4. Quod Currus & Equi talia ſignificaverint, notiſſimum fuit in Eccleſiis Antiquis, quoniam Eccleſiæ illæ fuerunt Eccleſiæ Repræſentativæ, & apud eos, qui in illis, Scientia Correſpondentiarum & Repræſentationum fuit primaria ſcientia: ex illis Eccleſiis ſignificatio Equi, quod ſit Intellectus, derivata eſt ad ſapientes circumcirca, etiam in Græciam: inde habuerunt, cum deſcriberent Solem, ubi poſuerunt Sapientiæ & Intelligentiæ ſuæ deum, quod ei tribuerint Currum & quatuor Equos igneos. Et cum deſcriberent deum Maris, quia per Mare ſignificatæ ſunt ſcientiæ quæ ſunt ex intellectu, quod etiam illi dederint Equos. Et cum deſcriberent ortum Scientiarum ex Intellectu, quod finxerint Equum alatum, qui ungula rupit fontem, ad quem novem Virgines quæ Scientiæ; ex Antiquis enim Eccleſiis notum illis fuit, quod per Equum ſignificatus ſit Intellectus, per Alas ſpirituale verum, per Ungulam ſcientificum ex intellectu, & per Fontem Doctrina ex qua Scientiæ. Per Equum Trojanum nec aliud ſignificatum eſt quam Artificiale ex intellectu eorum deſtruendi muros. Hodie quidem cum deſcribitur Intellectus ex recepto ab Antiquis illis more, deſcribi ſolet per Equum volantem ſeu Pegaſum, Doctrina

per fontem, & Scientiæ per virgines, ſed vix aliquis novit, quod Equus in ſenſu myſtico ſignificet Intellectum; minus quod ſignificativa illa ab Eccleſiis Antiquis Repræſentativis ad Gentiles derivata fuerint.

5. Quoniam per Equum Album ſignificatur Intellectus Verbi quoad ſenſum ſpiritualem ſeu internum, ſequentur nunc illa quæ de Verbo & de illo Senſu in ARCANIS CŒLESTIBUS oſtenſa ſunt; nam ibi omnia, quæ continentur in Geneſi & in Exodo, ſecundum Senſum ſpiritualem ſeu internum Verbi explicata ſunt.

...l ſignifie ...ment dans le ...gique, et ...ure que ſes ...tions ayent anciennes repreſentatives ...tils, Fin.



De

De Verbo & Ejus Senſu Spirituali ſeu Interno ex Arcanis Cœleſtibus.

6. *DE Verbi Neceſſitate & Præſtantia.* Quod ex lumine naturæ nihil ſciatur de Domino, de Cœlo & Inferno, de Vita hominis poſt mortem, & de Divinis Veris per quæ homini vita ſpiritualis & æterna, n: 8944. 10318. 10319. 10320. Quod id conſtare poſſit ex eo, quod plures, & inter eos Eruditi, non credant illa, tametſi nati ſunt ubi Verbum, & per id inſtructi de illis, n: 10319. Quod ideo neceſſum fuerit, ut aliqua Revelatio eſſet e Cœlo, quia homo ad Cœlum natus eſt, n: 1775. Quod ideo omni tempore fuerit Revelatio, n: 2895. De variis Revelationis ſpeciebus in hac Tellure ſucceſſive, n: 10355. 10632. Quod Antiquiſſimis, qui vixerunt ante Diluvium, quorum Tempus vocatum eſt Sæculum aureum, fuerit Revelatio immediata, & inde Divinum Verum inſcriptum cordibus eorum, n: 2896. Quod Antiquis Eccleſiis, quæ fuerunt poſt Diluvium, fuerit Verbum Hiſtoricum & Propheticum, n: 2686. 2897; *de quibus Eccleſiis videatur in* NOVA HIEROSOLYMA & EJUS DOCTRINA, n: 247. Quod Hiſtorica ejus dicta fuerint Bella Jehovæ, & Prophetica Enuntiata, n: 2897. Quod id Verbum fuerit ſimile noſtro Verbo quoad Inſpirationem, ſed accommodatum illis Eccleſiis, n: 2897. Quod id memoratum ſit a Moſe, n: 2686. 2897. Sed quod id Verbum deperditum ſit, n: 2897. Quod etiam Propheticæ Revelationes apud alios fuerint, ſicut patet a Propheticis Bileami, n: 2898.

Quod Verbum ſit Divinum in omnibus & ſingulis, n: 639. 680. 10321. 10637. Quod Verbum ſit quoad omnem apicem & jotham Divinum & Sanctum, ab experientia, n: 1349. Quomodo explicatur hodie, quod Verbum quoad omnem jotham ſit inſpiratum, n: 1886.

Quod Eccleſia in ſpecie ſit ubi Verbum, & per id Dominus notus, ac Divina Vera revelata, n: 3857. 10761. At quod ideo ab Eccleſia non ſint, qui nati ubi Verbum, & per id Dominus notus, ſed qui per Vera ex Verbo a Domino regenerantur, qui ſunt qui

vivunt ſecundum Vera ibi, ita qui vivunt vitam amoris & fidei, n: 6637. 10143. 10153. 10578. 10645. 10829.

7. *Quod Verbum non intelligatur quam ab illuſtratis.* Quod Rationale humanum non capere poſſit Divina, ne quidem Spiritualia, niſi a Domino illuſtretur, n: 2196. 2203. 2209. 2654. Ita quod modo Illuſtrati capiant Verbum, n: 10323. Quod Dominus illis, qui illuſtrantur, det intelligere vera, ac diſcernere illa quæ ſibi apparent contradicere, n: 9382. 10659. Quod Verbum in ſenſu literæ non ſibi ſimile ſit, & aliquoties appareat ſibi contradicens, n: 9025. Et quod ideo a non illuſtratis poſſit explicari & trahi ad confirmandum quamcunque opinionem & hæreſin, & ad patrocinandum cuicunque amori mundano & corporeo, n: 4738. 10339. 10401. Quod illi ex Verbo illuſtrentur, qui legunt illud ex amore veri & boni, non autem qui ex amore famæ, lucri, honoris, ita ex amore ſui, n: 9382. 10548. 10549. 10550. Quod illi illuſtrentur qui in bono vitæ ſunt, & inde in affectione veri, n: 8694. Quod illuſtrentur, quibus Internum apertum eſt, ita qui quoad Internum ſuum hominem poſſunt elevari in lucem cœli, n: 10401. 10402. 10691. 10694. Quod Illuſtratio ſit actualis aperitio interiorum quæ mentis, & quoque elevatio in lucem cœli, n: 10330. Quod Sanctum ab Interno, hoc eſt, per Internum a Domino, influat apud illos qui ſanctum habent Verbum, illis neſcientibus, n: 6789. Quod illuſtrentur illi, & in Verbo videant vera, qui a Domino ducuntur, non autem qui a ſemet, n: 10638. Quod illi a Domino ducantur, qui amant verum quia eſt verum, qui etiam ſunt qui amant vivere ſecundum Divina vera, n: 10578. 10645. 10829. Quod Verbum vivificetur apud hominem ſecundum ejus amoris & fidei vitam, n: 1776. Quod illa quæ a propria intelligentia ſunt, non vitam in ſe habeant, quia a proprio hominis nihil bonum, n: 8941. 8944. Quod non illuſtrari poſſint, qui ſe multum confirmaverunt in Doctrina falſa, n: 10640.

Quod Intellectus ſit qui illuſtratur, n: 6608. 9300. Quod Intellectus ſit recipiens veri, n: 6242. 6608. 10659. Quod de omni Doctrinali Eccleſiæ ſint ideæ quæ intellectus & cogitationis inde, ſecundum quas Doctrinale percipitur, n: 3310. 3825. Quod ideæ hominis, quamdiu vivit in mundo, ſint naturales, quia tunc homo cogitat in naturali, ſed quod uſque ſpirituales ideæ in illis reconditæ ſint apud illos qui in affectione veri propter verum ſunt, & quod in eas veniat homo poſt mortem, n: 3310. 5510. 6201. 10236. 10240. 10550.

10550. Quod absque ideis intellectus & inde cogitationis de quacunque re nulla perceptio, n: 3825. Quod ideæ de rebus fidei aperiantur in altera vita, & ibi ab Angelis videantur quales sunt, & quod homo tunc conjungatur aliis secundum illas quantum ex affectione quæ amoris procedunt, n: 1869. 3320. 5510. 6201. 8885. Quod ideo Verbum non intelligatur quam a Rationali homine; nam credere aliquid absque idea rei & absque rationis intuitione, est modo memoriter retinere vocem omni vita perceptionis & affectionis destitutam, quod non est credere, n: 2533. Quod Sensus literalis Verbi sit qui illustratur, n: 3619. 9824. 9905. 10548.

8. *Quod Verbum non intelligatur nisi per Doctrinam ex Verbo.* Quod Doctrina Ecclesiæ erit ex Verbo, n: 3464. 5402. 6832. 10763. 10765. Quod Verbum absque Doctrina non intelligatur, n: 9025. 9409. 9424. 9430. 10324. 10431. 10582. Quod vera Doctrina sit Lucerna illis qui legunt Verbum, n: 10401. Quod genuina Doctrina erit ab illis qui in illustratione sunt a Domino, n: 2510. 2516. 2519. 2424. 10105. Quod Verbum per Doctrinam ab Illustrato factam intelligatur, n: 10324. Quod qui in illustratione sunt, ex Verbo sibi faciant doctrinam, n: 9382. 10659. Discrimen inter illos qui docent & discunt ex Doctrina Ecclesiæ, & inter illos qui ex solo sensu literæ Verbi, quale, n: 9025. Quod illi, qui in sensu literæ Verbi absque doctrina sunt, in nullum intellectum veniant de veris Divinis, n: 9409. 9410. 10582. Quod in plures errores cadant, n: 10431. Quod qui in affectione veri propter verum sunt, cum adulti fiunt, & ex suo intellectu videre possunt, non simpliciter maneant in Doctrinalibus suæ Ecclesiæ, sed quod ex Verbo scrutentur num vera sint, n: 5402. 5432. 6047. Quod alioquin foret cuivis verum ex alio, & ex natali solo sive natus Judæus sive Græcus, n: 6047. Quod usque quæ fidei facta sunt ex sensu literali Verbi non exstinguenda sint, nisi post plenam intuitionem, n: 9039.

Quod vera Doctrina Ecclesiæ sit Doctrina charitatis & fidei, n: 2417. 4766. 10763. 10765. Quod Doctrina fidei non faciat Ecclesiam, sed vita fidei, quæ est charitas, n: 809. 1798. 1799. 1834. 4468. 4677. 4766. 5826. 6637. Quod Doctrinalia nihil sint nisi vivatur secundum illa, & quod quisque videre possit quod sint propter vitam, & non propter memoriam & inde aliquid cogitationis, n: 1515. 2049. 2116. Quod hodie in Ecclesiis Doctrina fidei sit, & non charitatis, & quod Doctrina charitatis rejecta sit in Scientiam, quæ vocatur Theo-

logia moralis, n: 2417. Quod Ecclesia esset una, si agnoscerentur pro hominibus Ecclesiæ ex vita, ita ex charitate, n: 1285. 1316. 2982. 3267. 3445. 3451. 3452. Quantum valet Doctrina charitatis præ Doctrina fidei separatæ a charitate, n: 4844. Quod in ignorantia de cœlestibus sint, qui non sciunt aliquid de charitate, n: 2435. Qui modo habent Doctrinam fidei & non charitatis, quod in errores labantur, de quibus etiam, n: 2417. 2383. 3146. 3325. 3412. 3413. 3416. 3773. 4672. 4730. 4783. 4925. 5351. 7623 ad 7677. 7752 ad 7762. 7790. 8094. 8313. 8530. 8765. 9186. 9224. 10555. Quod illi, qui solum in Doctrina fidei sunt, & non in vita fidei quæ charitas, olim dicti fuerint Præputiati seu Philisthæi, n: 3412. 3413. 3463. 8313. 8093. 9340. Quod apud Antiquos fuerit Doctrina amoris in Dominum & Charitatis erga proximum, & quod Doctrina fidei inserviverit ei, n: 2417. 3419. 4844. 4955.

Quod Doctrina per Illustratum facta postea per rationalia & scientifica confirmari possit, & quod sic plenius intelligatur, & quod corroboretur, n: 2553. 2719. 2720. 3052. 3310. 6047. *Plura de hac re videantur in* NOVA HIEROSOLYMA ET EJUS DOCTRINA, n: 51. Quod illi, qui in fide separata a charitate sunt, velint ut doctrinalia Ecclesiæ simpliciter credantur absque aliqua intuitione rationali, n: 3394.

Quod confirmare dogma non sapientis sit, sed videre num verum sit antequam confirmatur, & quod hoc fiat apud illos qui in illustratione sunt, n: 1017. 4741. 7012. 7680. 7950. Quod lux confirmationis sit lux naturalis, non spiritualis, dabilis etiam apud malos, n: 8780. Quod omnia, etiam falsa, confirmari possint usque ut appareant sicut vera, n: 2482. 2490. 5033. 6865. 8321.

9. *Quod in Verbo Sensus spiritualis sit, qui vocatur Sensus internus.* Quod nemo scire possit quid Sensus spiritualis seu internus Verbi, nisi sciat quid Correspondentia, n: 2895. 4322. Quod omnia & singula, usque ad singularissima, quæ in Naturali mundo sunt, correspondeant Spiritualibus, & inde significent illa, n: 2890 ad 2893. 2897 ad 3003. 3213 ad 3227. Quod spiritualia, quibus correspondent naturalia, sub alia facie appareant in naturali, ut non internoscantur, n: 1887. 2396. 8920. Quod vix aliquis sciat, ubinam Divinum in Verbo, cum tamen in Sensu ejus interno & spirituali, qui nescitur hodie quod sit, n: 2980. 4989. Quod mysticum Verbi non aliud sit, quam quod Sensus ejus internus seu spiri-

tualis continet, in quo agitur de Domino, de Glorificatione Humani Ipſius, de Regno Ipſius, & de Eccleſia, & non de naturalibus quæ in mundo, n: 4923. Quod Prophetica plurimis in locis non intelligantur, & ſic nullius uſus ſint, abſque Senſu interno, ab exemplis, n: 2608. 8020. 8398. Sicut quid ſignificatur per Equum Album in Apocalypſi, n: 2760 ſeq: Quid per Claves Regni cœlorum Petro datas, Præf: ad Cap: XXII Geneſ: & n: 9410. Quid per Carnem, Sanguinem, Panem, Vinum, in Sancta Cœna, n: 8682. Quid per Prophetica Jacobi de filiis ſuis Geneſ: Cap: XLIX, n: 6306. 6333 ad 6465. Quid per plura Prophetica de Jehudah & Iſraele, quæ non cum illa gente quadrant, nec coincidunt ſecundum ſenſum literæ, n: 6331. 6361. 6415. 6438. 6444. Præter perplura alia, n: 2608. Porro, quid Correſpondentia, videatur in Opere DE CŒLO & INFERNO, n: 87 ad 102, n: 103 ad 115; & n: 303 ad 310.

De Senſu interno ſeu ſpirituali Verbi in ſumma, n: 1767 ad 1777. 1869 ad 1879. Quod in omnibus & ſingulis Verbi ſit Senſus internus, n: 1143. 1984. 2135. 2333. 2395. 2495. 2619. Quod illa non appareant in ſenſu literæ, ſed quod uſque ſint intus in eo, n: 4442.

10. *Quod Senſus Internus Verbi imprimis ſit pro Angelis, & quod quoque ſit pro hominibus.* Ut ſciatur quid Senſus Internus, qualis ille, & unde, dicendum hic eſt in ſumma. Quod cogitent & loquantur aliter in Cœlo quam in Mundo, in Cœlo ſpiritualiter in Mundo naturaliter; quapropter cum homo legit Verbum, quod Angeli qui apud hominem, percipiant illud ſpiritualiter, cum homines naturaliter; quod inde Angeli in Senſu Interno ſint, cum homines in Senſu Externo; ſed quod uſque unum faciant per Correſpondentiam. Quod Angeli non modo ſpiritualiter cogitent, ſed etiam ſpiritualiter loquantur; tum quod ſint apud hominem; & quod Conjunctio illorum ſit per Verbum, videatur in Opere DE CŒLO & INFERNO, ubi agitur *de Sapientia Angelorum Cœli*, n: 265 ad 275. *De Loquela illorum*, n: 234 ad 245. *De Conjunctione illorum cum homine*, n: 291 ad 302. *Et de Conjunctione per Verbum*, n: 303 ad 310.

Quod Verbum aliter intelligatur ab Angelis in Cœlis, quam ab Hominibus in terris, & quod Angelis ſit ſenſus internus ſeu ſpiritualis, hominibus autem ſenſus externus ſeu naturalis, n: 1887. 2396. Quod Angeli percipiant Verbum in Senſu interno, & non in Senſu externo, ab

ab experientia illorum qui mecum e Cœlo loquuti ſunt, cum legi Verbum, n: 1769. 1770. 1771. 1772. Quod ideæ cogitationis & quoque loquelæ angelicæ ſint ſpirituales, ideæ autem & loquelæ humanæ naturales, quod ideo Senſus internus qui ſpiritualis pro Angelis ſit, illuſtratum ab experientia, n: 2333. Quod tamen ſenſus literæ Verbi inſerviat ideis ſpiritualibus Angelorum pro mediis, comparative ſicut faciunt voces loquelæ ſenſui rei apud hominem, n: 2143. Quod illa, quæ ſunt Senſus interni Verbi, cadant in talia quæ ſunt lucis cœli, ita in perceptionem angelicam, n: 2618. 2619. 2629. 3086. Quod ideo illa, quæ Angeli e Verbo percipiunt, illis pretioſa ſint, n: 2540. 2541. 2545. 2551. Quod Angeli ne quidem unam vocem Senſus literæ Verbi intelligant, n: 64. 65. 1434. 1929. Quod nec ſciant Nomina perſonarum & locorum quæ in Verbo, n: 1434. 1888. 4442. 4480. Quod Nomina non intrare poſſint in Cœlum, nec ibi enuntiari, n: 1876. 1888. Quod omnia Nomina in Verbo ſignificent res, & quod in ideas rei vertantur in Cœlo, n: 768. 1888. 4310. 4442. 5225. 5287. 10329. Quod etiam Angeli cogitent abſtracte a perſonis, n: 6613. 8343. 8985. 9007. Quam elegans Senſus internus Verbi, tametſi mera Nomina, ab exemplis e Verbo, n: 1224. 1888. 2395. Quod etiam plura Nomina in ſerie in ſenſu interno unam rem exprimant, n: 5905. quod etiam omnes Numeri in Verbo ſignificent res, n: 482. 487. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3152. 4264. 6175. 9488. 9659. 10217. 10253. Quod Spiritus etiam percipiant Verbum in Senſu interno, prout interiora eorum in Cœlum aperta ſunt, n: 1771. Quod Senſus literæ Verbi, qui naturalis, tranſmutetur momento in Spiritualem apud Angelos, quia eſt Correſpondentia, n: 5648. Et hoc abſque auditione & cognitione quid in Senſu literæ ſeu externo, n: 10215. Sic quod Senſus literæ ſeu externus ſit modo apud hominem, nec pergat ultra, n: 2015.

Quod ſit Senſus Internus Verbi, & quoque Senſus Intimus ſeu Supremus, de quibus, n: 9407. 10604. 10614. 10627. Quod Angeli ſpirituales, hoc eſt, qui in Regno ſpirituali Domini ſunt, percipiant Verbum in Senſu interno, & quod Angeli cœleſtes, hoc eſt, qui in Regno cœleſti Domini ſunt, percipiant Verbum in Senſu intimo, n: 2157. 2275.

Quod Verbum ſit pro hominibus, & quoque pro Angelis, utriſque accommodatum, n: 7381. 8862. 10322. Quod Verbum ſit uniens cœli & terræ, n: 2310. 2493. 9212. 9216. 9357. Quod Conjunctio Cœli cum homine ſit per Verbum, n: 9396. 9400. 9401. 10452.

10452. Quod ideo Verbum dicatur fœdus, n: 9396. Quoniam fœdus ſignificat conjunctionem, n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8778. 9396. 10632. Quod Senſus Internus in Verbo ſit, quia Verbum a Domino per tres Cœlos deſcenderat uſque ad hominem, n: 2310. 6397. Et quod ſic accommodatum factum ſit Angelis trium Cœlorum, & quoque Hominibus, n: 7381. 8862. Quod inde ſit, quod Verbum Divinum ſit, n: 2980. 4989. Et quod ſit Sanctum, n: 10276. Et quod ſit Spirituale, n: 4480. Et quod ſit a Divino Inſpiratum, n: 9094. Quod id ſit Inſpiratio, n: 9094.

Quod etiam Homo, qui Regeneratus eſt, actualiter ſit in Senſu interno Verbi, tametſi id neſcit, quoniam ei Internus homo apertus eſt, cui perceptio ſpiritualis, n: 10401. Sed quod apud illum Spirituale Verbi influat in ideas naturales, ac ita naturaliter ſiſtatur, quoniam cum vivit in Mundo, in naturali homine, quantum ad perceptionem, cogitat, n: 5614. Quod inde Lux veri apud illos, qui illuſtrantur, ſit ab Interno eorum, ita per Internum a Domino, n: 10691. 10694. Quod etiam per illam viam Sanctum influat apud illos qui ſanctum habent Verbum, n: 6789. Quoniam homo Regeneratus actualiter in Senſu Interno Verbi eſt, & id in ſancto ejus, tametſi id neſcit, quod ideo poſt mortem in illum ex ſe veniat, & quod non amplius ſit in ſenſu literæ, n: 3226. 3342. 3343. Quod ideæ Interni hominis ſint ſpirituales, ſed quod homo, cum in mundo vivit, non animadvertat illas, quoniam inſunt cogitationi ejus naturali; cui dant facultatem rationalem, n: 10236. 10240. 10550. Sed quod homo poſt mortem, in illas ſuas, quia ſunt propriæ ſpiritus ejus, veniat, & ex illis tunc non modo cogitet ſed etiam loquatur, n: 2470. 2478. 2479. 10568. 10604. Inde eſt, quod dictum ſit, quod Homo regeneratus neſciat quod in ſenſu ſpirituali Verbi ſit, & quod inde ei illuſtratio.

II. *Quod in Senſu Interno ſeu Spirituali Verbi innumerabilia Arcana ſint.* Quod Verbum in Senſu Interno innumerabilia contineat, quæ captum humanum excedunt, n. 3085. 3086. Quod etiam ineffabilia & inexplicabilia, n: 1965. Quæ ſolum ſiſtuntur Angelis, & ab illis intelliguntur, n: 167. Quod Senſus Internus Verbi contineat Arcana Cœli, quæ concernunt Dominum ac Regnum Ipſius in Cœlis & in Terris, n: 1. 2. 3. 4. 937. Quod Arcana illa non appareant in Senſu literæ, n: 937. 1502. 2161. Quod plura, quæ apud Prophetas ſunt, appareant ſicut ſparſa, quæ in

Senſu

Sensu Interno in pulchra serie continenter cohærent, n: 7153. 9022. Quod non unica vox, ne quidem unica jotha in Lingua sua originali, abesse queat in Verbi Sensu literæ absque interruptione in Sensu interno; & quod ideo ex Divina Domini Providentia Verbum tam integrum conservatum sit ad omnem apicem, n: 7933. Quod innumerabilia insint singulis Verbi, n: 6637. 8920. Et unicuique voci, n: 1689. Quod innumerabilia sint in Oratione Dominica, & in singulis ejus, n: 6619. Et in præceptis Decalogi; in quorum tamen sensu externo aliqua talia sunt, quæ nota sunt unicuique Genti absque Revelatione, n: 8867. 8900. Quod in quovis Corniculo literæ Verbi in Lingua originali sit sanctum, ostensum e Cœlo, videatur in Opere DE CŒLO ET INFERNO, n: 260, ubi explicantur Domini verba, *quod non jotha unum & corniculum unum præterebit de Lege*, Matth: v: 18.

Quod in Verbo imprimis Prophetico sint binæ expressiones sicut ejusdem rei, sed quod una se referat ad bonum & altera ad verum, n: 683. 707. 2516. 8339. Quod in Verbo bona & vera conjuncta sint mirabiliter, & quod illa conjunctio solum appareat ei qui scit Sensum Internum, n: 10554. Et sic quod in Verbo & in singulis ejus sit Conjugium Divinum & Conjugium cœleste, n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712. 5138. 7022. Conjugium Divinum, quod est Conjugium Divini Boni & Divini Veri, ita Dominus in Cœlo, in Quo Solo ibi id Conjugium, n: 3004. 3005. 3009. 4158. 5194. 5502. 6343. 7945. 8339. 9263. 9314. Quod per Jesum etiam significetur Divinum Bonum, & per Christum Divinum Verum, & sic per utrumque Conjugium Divinum in Cœlo, n: 3004. 3005. 3009. Quod hoc Conjugium sit in singulis Verbi in Sensu ejus Interno, ita Dominus quoad Divinum Bonum & Divinum Verum, n: 5502. Quod Conjugium boni & veri a Domino in Cœlo & in Ecclesia sit quod vocatur Conjugium cœleste, n: 2508. 2618. 2803. 3004. 3211. 3952. 6179. Ita quod in eo respectu Verbum sit quasi Cœlum, n: 2173. 10126. Quod Cœlum assimiletur Conjugio in Verbo ex Conjugio boni & veri ibi, n: 2758. 3132. 4434. 4834.

Quod Sensus internus sit ipsa genuina Doctrina Ecclesiæ, n: 9025. 9430. 10401. Quod qui intelligunt Verbum secundum Sensum internum, illi sciant ipsam veram Doctrinam Ecclesiæ, quia Sensus internus illam continet, n: 9025. 9430. 10401. Quod Internum Verbi etiam sit Internum Ecclesiæ, ut & Internum Cultus, n: 10460.

Quod

Quod Verbum sit Doctrina amoris in Dominum, & charitatis erga proximum, n: 3419. 3420.

Quod Verbum in litera sit sicut Nubes, & quod in Sensu interno sit Gloria, Præfat: ad Genes: Cap: XVIII: & n: 5922. 6343; ubi explicatur, *quod Dominus venturus sit in Nubibus Cœli cum Gloria*. Quod etiam Nubes in Verbo significet Verbum in sensu literæ, & Gloria Verbum in Sensu interno, Præf: ad Cap: XVIII: Genes: & n: 4060. 4391. 5922. 6343. 6752. 8106. 8781. 9430. 10551. 10574. Quod illa, quæ in Sensu literæ sunt, ad illa quæ in Sensu interno, se habeant sicut projectiones rudes circum Cylindrum opticum politum, ex quibus tamen in Cylindro sistitur pulchra imago hominis, n: 1871. Repræsentati in Mundo spirituali, qui solum Sensum literæ volunt & agnoscunt, per Vetulam deformem, qui autem simul Sensum internum, per Virginem decore amictam, n: 1774. Quod Verbum in toto complexu sit imago Cœli, quia Verbum est Divinum Verum, ac Divinum Verum facit Cœlum, & Cœlum refert unum Hominem, & quod in eo respectu Verbum sit sicut imago Hominis, n: 187. *Quod Cœlum in uno complexu referat unum Hominem*, videatur *in Opere* DE CŒLO & INFERNO, n: 59 ad 67. *Et quod Divinum Verum procedens a Domino faciat Cœlum*, n: 126 ad 140: 200 ad 212. Quod Verbum pulchre & amæne sistatur coram Angelis, n: 1767. 1768. Quod Sensus literæ sit quasi corpus, & quod Sensus Internus sit quasi anima illius corporis, n: 8943. Quod inde Vita Verbo sit ex Sensu interno, n: 1405. 4857. Quod Verbum sit purum in Sensu Interno, & quod ita non appareat in Sensu literæ, n: 2362. 2396. Quod illa, quæ in Sensu literæ sunt, sancta sint ab Internis, n: 10126. 10728.

Quod in Historicis Verbi etiam sit Sensus Internus, sed intus in illis, n: 4989. Ita quod Historica Verbi æque ac Prophetica contineant Arcana cœli, n: 755. 1659. 1709. 2310. 2333. Quod Angeli non Historice percipiant illa, sed dogmatice quia spiritualiter, n: 6884. Quod Arcana interiora, quæ in Historicis sunt, minus pateant homini, quam in Propheticis, causa quia Mens in intentione ac intuitione de Historicis est, n: 2176. 6597.

Porro, qualis Sensus Internus Verbi est, ostensum, n: 1756. 1984. 2004. 2663; 3033. 7089. 10604. 10614. Illustratum per comparationes, n: 1873.

12. *Quod Verbum conscriptum sit per Correspondentias, & sic per Repræsentativa*. Quod Verbum quoad

Sensum literæ conscriptum sit per meras Correspondentias, ita per talia quæ repræsentant & significant spiritualia, quæ sunt Cœli & Ecclesiæ, n: 1404. 1408. 1409. 1540. 1619. 1659. 1709. 1783. 2179. 2763. 2899. Quod hoc factum sit propter Sensum Internum in singulis, n: 2899. Ita propter Cœlum, quoniam illi, qui in Cœlo sunt, Verbum non intelligunt secundum Sensum literæ ejus, qui naturalis, sed secundum Sensum internum, qui spiritualis, n: 2899. Quod Dominus loquutus sit per Correspondentias, Repræsentativa & Significativa, quia a Divino, n: 9409. 9063. 9086. 10126. 10728. Quod Dominus sic loquutus sit coram Mundo & simul coram Cœlo, n: 2533. 4807. 9049. 9063. 9086. Quod illa, quæ Dominus loquutus est, pervaserint totum cœlum, n: 4637. Quod Historica Verbi sint Repræsentativa, verba Significativa, n: 1540. 1659. 1709. 1783. 2687. Quod Verbum non alio stylo conscribi potuerit, ut per id communicatio & conjunctio cum Cœlis esset, n: 2899. 6943. 9481. Quod valde errent, qui Verbum propter stylum simplicem & rudem ad apparentiam contemnunt, & qui cogitant quod recepturi Verbum si alio stylo conscriptum fuisset, n: 8783. Quod etiam modus scribendi & stylus Antiquissimis fuerit per Correspondentias, & Repræsentativa, n: 605. 1756. 9942. Quod Sapientes Antiqui delectati sint Verbo, quia ibi Repræsentativa & Significativa, ab experientia, n: 2592. 2593. Si homo Antiquissimæ Ecclesiæ legisset Verbum, quod clare vidisset illa quæ in Sensu interno sunt, & obscure illa quæ in Sensu externo, n: 449. Quod filii Jacobi in terram Canaanem deducti fuerint, quia omnia loca in illa Terra ab Antiquissimis temporibus repræsentativa facta sunt, n: 1585. 3686. 4441. 5136. 6516. Et sic ut Verbum ibi conscriberetur, in quo Loca nominanda erant propter Sensum Internum, n: 3686. 4447. 5136. 6416. Sed quod usque Verbum quoad Sensum Externum immutatum sit propter illam Gentem, non autem quoad Sensum Internum, n: 10453. 10461. 10603. 10604. Plura loca e Verbo de illa Gente allata, quæ tamen intelligenda sunt secundum Sensum Internum, ita aliter quam secundum literam, n: 7051. Quoniam Gens illa repræsentabat Ecclesiam, & quia Verbum apud illam & de illa conscriptum est, quod ideo Divina Cœlestia per Nomina illorum significata sint, ut per Rubenem, Schimeonem, Levi, Jehudam, Ephraimum, Josephum, & reliquos: & quod per Jehudam in Sensu Interno significetur Dominus quoad Amorem Cœlestem, ac Regnum Cœleste Ipsius, n: 3654. 3881. 3583. 5782. 6362 ad 6382. *Ut sciatur quid sunt & quales sunt Correspondentiæ, & qualia*

sunt

sunt Repræsentativa in Verbo, ideo aliquid de illis quoque dicetur.

Quod omnia quæ Correspondent, etiam Repræsentent, & inde significent, sic ut Correspondentiæ & Repræsentationes unum sint, n: 2890. 2897. 2971. 2987. 2989. 2990. 3002. 3225. Quid Correspondentiæ & Repræsentationes, ab experientia & ab exemplis, n: 2703. 2987 ad 3002. 3213 ad 3226. 3337 ad 3352. 3472 ad 3485. 4218 ad 4228. 9280. Quod Scientia Correspondentiarum & Repræsentationum fuerit præcipua Scientia apud Antiquos, n: 3021. 3419. 4280. 4749. 4844. 4964. 4965. 6004. 7729. 10252. Imprimis apud Orientales, n: 5702. 6692. 7097. 7779. 9391. 10252. 10407. Quod in Ægypto præ aliis, n: 5702. 6692. 7097. 7779. 9391. 10407. Quod etiam apud Gentiles, ut in Græcia, & alibi, n: 2762. 7729. Sed quod hodie inter Scientias deperditas sit, imprimis in Europa, n: 2894. 2895. 2994. 3630. 3632. 3747. 3748. 3749. 4581. 4966. 10252. Quod usque illa Scientia præstet omnibus Scientiis, quoniam absque illa non intelligitur Verbum, nec quid significant Ritus Ecclesiæ Judaicæ de quibus in Verbo, nec scitur quale Cœlum, nec quid Spirituale, nec quomodo se habet cum Influxu spirituali in naturale, nec quomodo de Influxu animæ in corpus, & plura alia, n: 4180, & *in locis supra citatis*. Quod omnia quæ apud Spiritus & Angelos apparent, sint Repræsentativa secundum correspondentias, n: 1971. 3213 ad 3226. 3457. 3475. 3485. 9481. 9574. 9576. 9577. Quod Cœli sint pleni Repræsentativis, n: 1521. 1532. 1619. Quod Repræsentativa eo pulchriora & perfectiora existant, quo interius in cœlis, n: 3475. Quod Repræsentativa ibi sint Apparentiæ reales, quia a Luce Cœli, quæ est Divinum Verum: & hoc est ipsum essentiale existentiæ omnium, n: 3485.

Causa, quod omnia & singula, quæ in Spirituali Mundo sunt, in Mundo Naturali repræsententur, est quia Internum se induit convenientibus in Externo, per quæ se visibile sistit & apparet, n: 6275. 6284. 6299. Ita Finis se induit convenientibus, ut se sistat ut Causa in inferiore sphæra, & dein ut se sistat ut Effectus in adhuc inferiore; & cum Finis per Causam fit Effectus, tunc fit visibilis, seu coram oculis apparet, n: 5711. Hæc illustrata per Influxum animæ in corpus, quod nempe anima induatur talibus in corpore, per quæ omnia quæ cogitat & vult, possunt visibiliter sisti & apparere; quare cogitatio cum defluit in corpus, repræsentatur per tales gestus & affectiones, quæ correspondent, n: 2988. Manifeste affectiones, quæ mentis sunt, repræsentantur in facie per varios ejus vultus, adeo ut ibi videantur,

n: 4791 ad 4805. 5695. Inde patet, quod in omnibus & singulis naturæ lateat interius causa & finis e Spirituali Mundo, n: 3562. 5711. Quoniam illa, quæ in Natura sunt, ultimi effectus sunt, quibus insunt priora, n: 4240. 4939. 5051. 6275. 6284. 6299. 9216. Quod Interna sint quæ repræsentantur, & Externa quæ repræsentant, n: 4292. *Quid porro Correspondentiæ & Repræsentationes, videatur in Opere* DE CŒLO & INFERNO, *ubi actum est de Correspondentia omnium Cœli cum omnibus hominis*, n: 87 ad 102. *De Correspondentia Cœli cum omnibus Telluris*, n: 103 ad 115. *Et de Repræsentativis & Apparentiis in Cœlo*, n: 170 ad 176.

Quoniam omnia in Natura Repræsentativa Spiritualium & Cœlestium sunt, quod ideo Antiquis temporibus Ecclesiæ fuerint, in quibus omnia Externa, quæ erant Ritualia, repræsentativa erant; ideo illæ Ecclesiæ dictæ fuerunt Ecclesiæ Repræsentativæ, n: 519. 521. 2896. Quod Ecclesia apud Filios Israelis instituta fuerit Ecclesia Repræsentativa, n: 1003. 2179. 10149. Quod omnia Ritualia ibi fuerint Externa, quæ repræsentaverunt Interna, quæ Cœli & Ecclesiæ sunt, n: 4288. 4874. Quod Repræsentativa Ecclesiæ & Cultus cessaverint, cum Dominus in mundum venit, & se manifestavit, quia Dominus Interna Ecclesiæ aperuit, & quia omnia Ecclesiæ illius in supremo sensu Ipsum spectaverunt, n: 4832.

13. *De Sensu literæ seu Externo Verbi.* Quod Sensus literæ Verbi sit secundum apparentias in mundo, n: 584. 926. 1719. 1720. 1832. 1874. 2242. 2520. 2533. Et ad captum simplicium, n: 2533. 9049. 9063. 9086. Quod Verbum in sensu literæ sit naturale, n: 8783. Ex causa, quia Naturale est ultimum, in quod desinunt spiritualia & cœlestia, & super quo, sicut domus super suo fundamento, subsistunt, & quod alioquin Sensus internus absque Externo foret sicut domus absque fundamento, n: 9360. 9430. 9824. 9433. 10044. 10436. Quod Verbum quia tale sit continens sensus spiritualis & cœlestis, n: 9407. Et quia tale, quod sit sanctum Divinum in sensu literæ quoad omnia & singula ibi, usque ad unamquamque jotham, n: 639. 680. 1319. 1870. 9198. 10321. 10637. Quod Leges pro Filiis Israelis latæ, tametsi abrogatæ, usque sanctum Verbum sint, ob sensum internum in illis, n: 9210. 9259. 9349. Quod Leges, Judicia, & Statuta pro Ecclesia Israelitica seu Judaica, quæ fuit Ecclesia Repræsentativa, sint quæ adhuc in utroque sensu, Externo & Interno valent, sint quæ secundum Sensum externum omnino custodienda sunt, sint quæ possunt esse usui si libet, & sint quæ

prorsus

prorſus abrogata, de quibus, n: 9349. Quod Verbum Divinum ſit etiam quoad illa quæ abrogata ſunt, propter cœleſtia quæ in ſenſu interno eorum latent, n: 10637.

Quale Verbum eſt in ſenſu literæ, ſi non intelligitur ſimul quoad Senſum internum, ſeu quod idem, ſecundum veram doctrinam e Verbo, n: 10402. Quod ex Senſu literæ abſque Senſu Interno, ſeu abſque genuina Doctrina ex Verbo, hæreſes immenſo numero ſcaturiant, n: 10401. Quod illi, qui in Externis abſque Internis ſunt, non ſuſtineant interiora Verbi, n: 10694. Quod Judæi tales fuerint, & quoque hodie ſint, n: 301. 302. 303. 3479. 4429. 4433. 4680. 4844. 4847. 10396. 10401. 10407. 10695. 10701. 10707.

14. *Quod Dominus ſit Verbum.* Quod in Senſu intimo Verbi agatur unice de Domino, ac deſcribantur omnes ſtatus Glorificationis Humani Ipſius, hoc eſt, Unionis cum Ipſo Divino, & quoque omnes ſtatus ſubjugationis Infernorum, & ordinationis omnium ibi, & in Cœlis, n: 2249. 7014. Ita quod in illo Senſu deſcribatur omnis vita Domini in Mundo, & quod per id præſentia Domini continua ſit apud Angelos, n: 2523. Proinde quod Solus Dominus ſit in intimo Verbi, & quod inde Divinum & Sanctum Verbi ſit, n: 1873. 9357. Quod Dominus dixerit, quod impleta ſit Scriptura de Ipſo, ſignificet quod omnia quæ in Senſu intimo, n: 7933.

Quod Verbum ſignificet Divinum Verum, n: 4692. 5075. 9987. Quod Dominus ſit Verbum, quia eſt Divinum Verum, n: 2533. Quod Dominus ſit Verbum, etiam quia Verbum eſt ab Ipſo, & de Ipſo, n: 2859. Ac de Solo Domino in Senſu intimo, ita Ipſe Dominus ibi, n: 1873. 9357. Et quia in omnibus & ſingulis Verbi eſt Conjugium Divini Boni ac Divini Veri, quod conjugium eſt in Solo Domino, n: 3004. 3005. 3009. 4158. 5194. 5502. 6343. 7945. 8339. 9263. 9314. Quod Divinum Verum ſit unicum reale, & quod id in quo eſt, quod eſt ex Divino, ſit unicum ſubſtantiale, n: 5272. 6880. 7004. 5200. Et quia Divinum Verum procedens a Domino ut Sole in Cœlo, eſt Lux ibi, & Divinum Bonum eſt Calor ibi, & quia ex illis omnia ibi exiſtunt, ſicut ex luce & calore omnia in mundo, quæ etiam ſunt in ſuis ſubſtantiis & per illas agunt, & quia per Cœlum ſeu Mundum ſpiritualem exiſtit Mundus naturalis, patet quod omnia quæ creata ſunt, ex Divino Vero, ita ex Verbo, creata ſint, ſecundum hæc verba apud Johannem, "*In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & per illud omnia facta ſunt quæ facta*; & VERBUM CARO FACTUM EST, I: 1.

2. 3.

2. 3. 14, n: 2803. 2884. 5272. 7830. *Porro de Creatione omnium ex Divino Vero, ita a Domino, videatur in Opere de* Cœlo & Inferno, n: 137; *& plenius in Articulo, ubi agitur de Sole in Cælo, quod sit Dominus, & quod sit Divinus Ipsius Amor*, n: 116 ad 125. *Et quod Divinum Verum sit Lux, & Divinum Bonum sit Calor, ex illo Sole in Cælo*, n: 126 ad 140.

Quod conjunctio Domini cum homine sit per Verbum, medio Sensu interno, n: 10375. Quod per omnia & singula Verbi sit conjunctio, & quod inde Verbum sit mirabile præ omni scripto, n: 10632. 10633. 10634. Quod Verbum, postquam conscriptum est, Dominus loquatur per id cum hominibus, n: 10290. *Videantur insuper quæ in Opere de* Cœlo & Inferno *allata sunt de Conjunctione Cæli cum homine per Verbum*, n: 303 ad 310.

15. *De illis, qui contra Verbum sunt.* De illis qui contemnunt, blasphemant, & prophanant Verbum, n: 1878. Quales sunt in altera vita, n: 1761. 9222. Quod referant viscosa sanguinis, n: 5719. Quantum periculi a prophanatione Verbi, n: 571 ad 582. Quantum nocet, si principia falsi, imprimis quæ favent amori sui & mundi, confirmentur per Verbum, n: 589. Qui in nulla affectione veri propter verum sunt, quod plane rejiciant illa quæ sunt Sensus interni Verbi, & ad illa nauseent, ab experientia a talibus in Mundo spirituum, n: 5702. De quibusdam in altera vita, qui prorsus rejicere conati sunt interiora Verbi, quod rationalitate orbati sint, n: 1879.

16. *Libri Verbi quinam.* Quod Libri Verbi sint omnes qui Sensum internum habent; qui autem non habent, quod non sint Verbum. Quod Libri Verbi in Veteri Testamento sint; Quinque Libri Mosis; Liber Josuæ; Liber Judicum; Duo Libri Samuelis; Duo Libri Regum; Psalmi Davidis; Prophetæ, Esaias, Jeremias, Threni, Ezechiel, Daniel, Hoseas, Joel, Amos, Obadias, Jonas, Michah, Nahum, Habakuk, Zephanias, Haggai, Zacharias, Malachias. In Novo Testamento Quatuor Evangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes; & Apocalypsis. Reliqui non Sensum internum habent, n: 10325.

Quod Liber Hiobi sit Liber Antiquus, in quo quidem Sensus internus, sed non in serie, n: 3570. 9942.

17. *Plura*

17. *Plura de Verbo.* Quod VERBUM in Lingua Hebræa varia ſignificet, nempe Sermonem, Cogitationem mentis, omnem rem quæ realiter exiſtit, tum aliquid, n: 9987. Quod Verbum ſignificet Divinum Verum & Dominum, n: 2533. 4692. 5075. 9987. Quod Verba ſignificent vera, n: 4692. 5075. Quod ſignificent doctrinalia, n: 1288. Quod Decem verba ſignificent omnia Divina Vera, n: 10688.

Quod binæ expreſſiones unius rei in Verbo imprimis Prophetico ſint, & quod una ſe referat ad bonum, & altera ad verum, quæ ſic conjunguntur, n: 683. 707. 5516. 8339. Quænam expreſſio ad bonum ſe refert & quænam ad verum, quod non ſciri queat niſi ex Senſu interno Verbi, quoniam voces propriæ ſunt quibus exprimuntur illa quæ boni ſunt, & propriæ quibus illa quæ veri, n: 793. 801. Et hoc uſque, ut noſcatur ſolum ex prædicatione vocum, num de bono & num de vero agitur, n: 2722. Quod etiam quandoque una expreſſio involvat commune, & altera determinatum quid a communi, n: 2212. Quod ſit ſpecies reciprocationis in Verbo, de qua n: 2240. Quod pleraque in Verbo etiam ſenſum oppoſitum habeant, n: 4816. Quod Senſus internus prædicabiliter ſequatur ſuum ſubjectum.

Quod, qui delectati ſunt Verbo, in altera vita accipiant calorem cœli, cui ineſt amor cœleſtis, ſecundum quale & quantum delectationis ex amore, n: 1773.

FINIS.

DE

TELLURIBUS

IN

MUNDO nostro SOLARI,

Quæ vocantur

PLANETÆ:

ET DE

TELLURIBUS

IN

COELO ASTRIFERO:

Deque illarum Incolis; tum de Spiritibus & Angelis ibi;

EX

Auditis & Visis.

Traduit du Latin par A. P. J.: Merveilles du ciel & de l'enfer Tom 1

LONDINI:

MDCCLVIII.



D E

TELLURIBUS in UNIVERSO.

1. QUoniam ex Divina Domini Miſericordia, mihi aperta ſunt interiora, quæ ſpiritus mei ſunt; & per id datum eſt loqui cum Spiritibus & Angelis, qui non ſolum prope noſtram Tellurem ſunt, ſed etiam cum illis qui juxta alias, idcirco, quia deſiderium mihi fuit ſcire num aliæ Tellures ſint, & quales illæ, & quales Incolæ illarum, a Domino datum eſt cum Spiritibus & Angelis, qui ex aliis Telluribus ſunt, loqui & converſari, cum quibuſdam per diem, cum quibuſdam per ſeptimanam, & cum quibuſdam per menſes, & ab illis inſtrui de Telluribus, ex quibus & juxta quas erant, & de Incolarum ibi vita, moribus & cultu, & de rebus variis memoratu dignis ibi: & quia illa eo modo ſcire datum eſt, licet deſcribere illa ex auditis & viſis. Sciendum eſt, quod omnes Spiritus & Angeli ex Humano Genere ſint *(a)*; & quod juxta ſuam Tellurem ſint *(b)*; ac quod ſciant quid ibi: & quod ab illis inſtrui poſſit homo, cui interiora adeo aperta ſunt ut loqui & converſari poſſit cum illis; homo enim in ſua eſſentia eſt ſpiritus *(c)*, & una cum ſpiritibus quoad ſua interiora *(d)*, quapropter is, cui interiora

---

Ex Arcanis Coelestibus: *ubi hæc & ſequentia, quæ ſub linea, explicata & oſtenſa ſunt.*

(a) Quod non dentur Spiritus & Angeli, qui non ex Humano genere, n: 1880.

(b) Quod Spiritus cujuſvis Telluris ſint juxta ſuam Tellurem, ex cauſa quia ex incolis ſunt, ac ſimili cum illis genio; & quod incolis inſervituri ſint, n: 9968.

(c) Quod anima, quæ vivit poſt mortem, ſit ſpiritus hominis, qui in homine eſt ipſe homo, & quoque apparet in altera vita in perfecta forma humana, n: 322. 1880. 1881. 3633. 4622. 4735. 6054. 6605. 6626. 7021. 10594.

(d) Quod homo, etiam cum in mundo eſt, quoad ſua interiora, ita quoad ſpiritum ſeu animam, in medio ſpirituum & angelorum ſit, talium qualis ipſe eſt, n: 2378. 3645. 4067. 4073. 4077.

teriora aperiuntur a Domino, cum illis, ſicut homo cum homine, loqui poteſt *(e)*: hoc mihi conceſſum eſt nunc per duodecim annos quotidie.

2. Quod plures Tellures ſint, & ſuper illis homines, & inde ſpiritus & angeli, notiſſimum eſt in altera vita, nam cuivis ibi, qui ex amore veri & inde uſus deſiderat, cum ſpiritibus aliarum Tellurum loqui conceditur, & inde confirmari de pluralitate mundorum, ac informari, quod Genus Humanum non ſolum ex una Tellure ſit, ſed ex innumeris; & inſuper quali genio & vita ſunt; & qualis cultus eorum Divinus.

3. Loquutus ſum cum noſtræ Telluris Spiritibus aliquoties de ea re, & dictum quod homo, qui intellectu pollet, ſcire poſſit ex multis quæ novit, quod plures Tellures ſint, & ibi homines; nam ex ratione concludi poteſt, quod tantæ Moles, quales ſunt Planetæ, quarum aliquæ magnitudine excedunt hanc Tellurem, non ſint moles vacuæ, & creatæ ut modo ferantur ac ſpatientur circum Solem, & luceant pauco ſuo lumine pro una Tellure, ſed quod illarum uſus inſignior, quam talis, oporteat eſſe. Qui credit, ſicut quiſque credere debet, quod Divinum non creaverit univerſum propter alium finem, quam ut Humanum Genus exiſtat, & inde Cœlum; nam Genus Humanum eſt ſeminarium Cœli; is non poteſt non credere, quam quod homines ſint, ubicunque aliqua Tellus. Quod Planetæ, qui coram oculis noſtris viſibiles ſunt, quia intra terminos Mundi hujus Solis, Tellures ſint, manifeſte ſciri poteſt ex eo, quod corpora terreſtris materiæ ſint, quia Solis lumen reflectunt, & inſpecti per vitra optica apparent non ſicut ſtellæ rutili e flamma, ſed ſicut terræ ex obſcuris variegati: tum ex eo, quod illi, ſimiliter ac noſtra Tellus, circum Solem ferantur & progrediantur via Zodiaci, ac inde faciant annos & anni tempora, quæ ſunt Ver, Æſtas, Autumnus, & Hyems: ſimiliter quod circum axem ſuum, ſimiliter ac noſtra Tellus, rotentur, ac inde faciant dies & diei tempora, nempe Mane, Meridiem, Veſperam & Noctem: ac inſuper, quod aliqui eorum habeant Lunas, quæ vocantur Satellites, & circum orbem ſuum ſtatis temporibus vagantur, ſicut Luna circum noſtrum; & quod Planeta Saturnus, quia longiſſime a Sole diſtat, habeat quoque Cingulum magnum luminoſum, quod multam lucem, tametſi reflexam, Telluri iſti dat. Quis uſquam, qui hæc novit, & ex ratione cogitat, dicere poteſt, quod hæc inania corpora ſint.

4. Inſuper cum ſpiritibus loquutus ſum, quod ab homine credi queat, quod in univerſo ſint Tellures plures quam una, ex eo, quod Cœlum Aſtriferum tam immenſum ſit, ac tot innumerabiles ibi ſtellæ, quarum unaquævis in ſuo loco ſeu in ſuo mundo eſt Sol, ac inſtar noſtri Solis, in varia magnitudine: qui rite expendit, is concludit, quod totum illud tam immenſum non poſſit non eſſe quam medium ad finem, qui ultimus creationis, qui finis eſt Regnum cœleſte, in quo Divinum cum angelis & hominibus habitare poteſt: univer-

(e) Quod homo loqui poſſit cum ſpiritibus & angelis, & quod antiqui in noſtra Tellure frequenter cum illis loquuti ſint, n: 67. 68. 69. 784. 1634. 1636. 7802. Sed quod hodie periculoſum ſit loqui cum illis, niſi homo in vera fide ſit, & ducatur a Domino, n: 784. 9438. 10751.

universum enim aspectabile, seu Cœlum illustre tot innumerabilibus stellis, quæ sunt totidem Soles, est modo medium ut existant Tellures, & super illis homines, ex quibus Regnum Cœleste. Ex his Rationalis homo non aliter cogitare potest, quam quod tam immensum medium ad tantum finem, non factum sit pro Humano genere & inde Cœlo ex una Tellure; quid hoc foret pro Divino, quod Infinitum, cui parum & vix aliquid essent millia, imo myriades Tellurum, & omnes plenæ incolis.

5. Præterea Cœlum Angelicum tam immensum est, ut correspondeat singulis apud hominem, & myriades cuivis Membro, Organo, & Visceri, & cuivis ejus affectioni; & scire datum est, quod Cœlum illud quoad omnes suas Correspondentias nequaquam existere possit nisi ex Incolis permultarum Tellurum *(f)*.

6. Sunt Spiritus, quorum unicum studium est, sibi acquirere cognitiones, quia illis solis delectantur, illis Spiritibus ideo licet circumvagari, & quoque extra hujus Solis mundum transire in alios, ac sibi cognitiones comparare: hi dixerunt, quod non solum sint Tellures, super quibus homines, in hoc Solari Mundo, sed etiam extra eum in Cœlo Astrifero, immenso numero. Hi Spiritus sunt ex Planeta Mercurii.

7. Quod Cultum Divinum incolarum aliarum Tellurum in genere concernit, illi, qui ibi non idololatræ sunt, omnes agnoscunt Dominum pro Unico Deo; adorant enim Divinum non ut Divinum invisibile, sed ut visibile, ex causa etiam, quia cum Divinum illis apparet, in Humana forma apparet, sicut etiam olim Abrahamo & aliis in hac Tellure *(g)*: & qui Divinum sub Humana forma adorant, illi omnes acceptantur a Domino *(h)*. Dicunt etiam, quod nemo possit rite colere Deum, ac minus Ipsi conjungi, nisi aliqua idea comprehendat Illum, & quod non comprehendi possit nisi in Forma Humana; & si non ita, quod dissipetur visus interior, qui est cogitationis, de Deo, sicut visus oculi cum spectatur universum absque limite; & quod tunc cogitatio non aliter possit quam labi in naturam, & hæc coli pro Deo.

8. Cum

(f) Quod Cœlum correspondeat Domino, & quod homo quoad omnia & singula cœlo, & quod inde Cœlum coram Domino sit in magna effigie Homo, & vocandum Maximus Homo, n. 2996. 2998. 3624 ad 3649. 3636 ad 3643. 3741 ad 3745. 4625. De correspondentia hominis & omnium ejus cum Maximo Homine, qui est Cœlum, in summa, ab experientia, n: 3021. 3624 ad 3649. 3741 ad 3751. 3883 ad 3896. 4039 ad 4051. 4218 ad 4228. 4318 ad 4331. 4403 ad 4421. 4527 ad 4533. 4622 ad 4633. 4652 ad 4660. 4791 ad 4805. 4931 ad 4953. 5050 ad 5061. 5171 ad 5189. 5377 ad 5396. 5552 ad 5573. 5711 ad 5727. 10030.

(g) Quod Incolæ omnium Tellurum adorent Divinum sub Humana Forma, ita Dominum, n: 8541 ad 8547. 10159. 10736. 10737. 10738. Et quod gaudeant, cum audiunt quod Deus actualiter Homo factus sit, n: 9361. Quod de Deo nisi in Humana Forma non cogitari possit, n: 8705. 9359. 9972. Quod homo colere possit & amare de quo aliquam ideam habet, & non de quo nullam, n: 4733. 5110. 5633. 7211. 9267. 10067.

(h) Quod Dominus recipiat omnes qui in bono sunt, & adorant Divinum sub Humana Forma, n: 9359. 7173.

8. Cum dictum est illis, quod Dominus in nostra Tellure assumserit Humanum, pensitaverunt aliquantum, & mox dixerunt, quod hoc propter salvationem Generis humani factum sit.



De Tellure seu Planeta MERCURII, *& de ejus Spiritibus & Incolis.*

9. QUOD universum Cœlum referat Unum Hominem, qui ideo Maximus Homo vocatur, & quod omnia & singula apud hominem, tam ejus exteriora quam interiora, illi Homini seu Cœlo correspondeant, est Arcanum nondum in mundo notum, sed quod ita sit, multis ostensum est *(f)*. Sed ad Maximum illum Hominem constituendum, non sufficiunt qui ex nostra Tellure in Cœlum veniunt, sunt hi pauci respective, erunt ex pluribus aliis Telluribus; & providetur a Domino, quod, ut primum deest alicubi quale aut quantum Correspondentiæ, illico ex alia Tellure arcessantur, qui impleant, ut ratio constet, ac ita cœlum consistat.

10. Quid Spiritus e Planeta Mercurii referunt in Maximo Homine, mihi quoque e Cœlo detectum est, quod nempe Memoriam, sed Memoriam rerum abstractarum a terrestribus & mere materialibus. Verum, quia cum illis datum est loqui, & hoc per plures septimanas, & audire quales sunt, & explorare, quomodo cum illis, qui in Tellure illa sunt, se habet, velim ipsas experientias adducere.

11. Venerunt ad me Spiritus, & dictum e Cœlo quod ex Tellure proxima Soli, quæ in nostra tellure Planeta nomine Mercurii vocatur, essent, & statim, ut venerunt, e memoria mea inquisiverunt quæ novi; (hoc Spiritus solertissime possunt facere, cum enim ad hominem veniunt, in memoria ejus vident singula, quæ ibi sunt:) *(i)* cum inquirerent varia, & inter illa Urbes & loca ubi fueram, animadverti, quod Templa, Palatia, Domos, plateas, non vellent scire, sed modo illa quæ novi facta in locis illis, tum quæ erant regiminis ibi, quæ geniorum & morum illis qui ibi, & similia; talia enim cum locis cohærent in memoria apud hominem, quapropter cum loca excitantur, etiam subeunt illa. Quod tales essent, miratus sum, quare interrogabam, cur præterirent magnifica locorum, & modo res & facta ibi inquirerent, dicebant quod illis nulla delectatio sit spectare Materialia, Corporea & Terrestria, sed solum Realia: inde confirmatum est, quod illius Telluris spiritus

(i) Quod spiritus intrent in omnia memoriæ hominis, & quod non e sua in hominis, n: 2488. 5863. 6192. 6193. 6198. 6199. 6214: quod angeli in affectiones & fines ex quibus & propter quos homo ita non aliter cogitat, vult & agit, n: 1317. 1645. 5844.

ritus in Maximo Homine referrent memoriam rerum abstractarum a materialibus & terrestribus.

12. Dictum est mihi, quod talis incolarum vita in Tellure illa sit, quod nempe nihil curent terrestria & corporea, sed gentium ibi statuta, leges, regimina; tum quoque quæ cœli sunt, quæ innumerabilia: & quoque dictum, quod plures ex hominibus illius Telluris loquantur cum Spiritibus, & quod inde illis cognitiones rerum spiritualium, & statuum vitæ post mortem; ac inde etiam contemtus corporeorum & terrestrium; qui enim pro certo sciunt, & credunt vitam post mortem, cœlestia illis curæ sunt, quia æterna & felicia, non autem mundana, modo quantum necessitates vitæ requirunt. Quia incolæ tales sunt, ideo etiam spiritus, qui inde, tales sunt (*b*).

13. Quam avide inquirunt & hauriunt cognitiones rerum, quales sunt Memoriæ elevatæ supra sensualia corporis, constare mihi potuit ex eo, quod cum inspicerent in illa, quæ ego sciebam de rebus cœlestibus, percurrerent omnia, & continue dicerent, quod tale sit quod tale sit: cum enim spiritus ad hominem veniunt, intrant in omnem ejus memoriam, & excitant inde sibi convenientia; imo, quod sæpe animadverti, legunt, quæ ibi sunt, quasi e libro (*k*). Hi Spiritus hoc solertius & celerius faciebant, quia non morati sunt circa talia, quæ gravia & lenta sunt, & coarctant & consequenter retardant visum internum, ut sunt omnia terrestria & corporea cum pro fine sunt, hoc est, cum unice amantur; sed intuiti sunt ipsas res; res enim, quibus non adhærent terrestria, ferunt animum sursum, ita in latum campum; mere materialia autem ferunt animum deorsum, limitant & claudunt. Aviditas eorum acquirendi sibi cognitiones & memoriam locupletandi, ex his etiam patuit; quondam cum scriberem aliquid de venturis, & illi essent e longinquo ut non possent inspicere illa e memoria mea, quia illa non legere vellem in præsentia illorum, valde indignati sunt, & volebant contra morem solitum invehere in me, dicentes quod pessimus essem, & similia; utque iracundiam suam indicarent, dextræ parti Capitis mei usque ad aurem inducebant speciem contractionis cum dolore; sed talia nihil nocebant mihi; at quia malum fecerunt, elongabant se adhuc magis, sed usque mox subsistebant, volentes scire quid scripseram: talis illis est cupido cognitionum.

14. Spiritus Mercurii præ reliquis spiritibus cognitiones rerum, tam quæ in hujus Solis mundo, quam quæ extra hunc in Cœlo Astrifero sunt, possident; & quæ semel sibi acquisiverunt, illa retinent, & quoque illorum reminiscuntur, quoties similia occurrunt: inde quoque manifeste constare potest, quod memoria spiritibus sit, & quod illa multo perfectior sit memoria hominum; tum quod quæ spiritus audiunt, vident, & appercipiunt, retineant, & maxime talia, quibus delectantur, ut hi spiritus cognitionibus rerum; nam quæ delectationi sunt & amori, ea quasi sponte sua influunt, & remanent; cætera non intrant, sed modo superficiem tangunt, & præterlabuntur.

15. Quum

(*k*) Quod spiritus, qui apud hominem, in possessione omnium ejus memoriæ sint, n: 5853. 5857. 5859. 5860.

15. Quum Spiritus Mercurii ad alias societates veniunt, ab illis explorant quæ sciunt, quibus exploratis discedunt: datur etiam talis communicatio inter spiritus, imprimis inter Angelos, ut cum in societate sunt, si accepti sunt & amati, communicentur omnia quæ norunt *(l)*.

16. Ex cognitionibus suis sunt spiritus Mercurii præ aliis fastuosi; quare illis dictum est, quod, licet in numera sciunt, usque tamen infinita sint quæ non sciunt; & si cognitiones apud illos in æternum augerentur, quod ne quidem in notitiam omnium communium venire queant: quod illis fastus & elatio animi, dictum est, & quod hoc non deceat; sed responderunt, quod non fastus sit, sed modo gloriatio ex memoriæ suæ facultate: ita possunt nævos suos exsculpare.

17. Loquela vocum, quia illa materialis est, aversantur, quare cum illis, cum absque spiritibus intermediis, non aliter quam per speciem cogitationis activæ loqui potui. Memoria illorum, quia est rerum, non imaginum pure materialium, propius subministrat cogitationi objecta sua; cogitatio enim, quæ supra imaginationem est, requirit pro objectis res a materialibus abstractas: sed tametsi ita est, usque tamen spiritus Mercurii parum facultate judicii pollent; rebus, quæ judicii sunt, ac conclusionum ex cognitionibus, non delectantur; sunt enim nudæ cognitiones illis delectationi.

18. Dicebatur illis, annon ex cognitionibus suis aliquem usum facere vellent, nam delectari cognitionibus non satis est, quia cognitiones spectant usus, & usus erunt fines; ex solis cognitionibus non illis est usus, sed aliis cum quibus cognitiones suas communicare velint, & quod nequaquam conveniat homini, qui sapiens vult esse, in solis cognitionibus subsistere, quia hæ sunt modo causæ administræ inservituræ indagandis rebus quæ vitæ erunt: sed responderunt, quod delectentur cognitionibus, & quod cognitiones illis usus sint.

19. Quidam etiam ex illis non volunt apparere ut homines, sicut spiritus aliarum Tellurum, sed ut globi Chrystallini; quod ita apparere velint, tametsi non apparent, est quia cognitiones rerum immaterialium repræsentantur in altera vita per Chrystalla.

20. Mercurii spiritus differunt prorsus a spiritibus nostræ telluris, nam spiritus nostræ telluris res non ita curant, sed mundana, corporea & terrestria, quæ sunt materialia; quapropter Mercurii spiritus cum nostræ telluris spiritibus non simul esse possunt, ideo ubicunque hos offendunt, aufugiunt; sphæræ enim spirituales, quæ ex utrisque exhalantur, sunt pæne contrariæ. Spiritus Mercurii in ore ferunt, quod non spectare velint vaginam, sed res a vagina sua nudatas, ita interiora.

21. Apparebat flamma satis candida flagrans læte, & hoc per aliquantum horæ; flamma illa significabat adventum spirituum Mercurii, qui in pervidendo,

---

(l) Quod in cœlis detur communicatio omnium bonorum, quoniam amor cœlestis communicat omnia sua cum aliis; & quod inde illis sapientia & felicitas, n: 549. 550. 1390. 1391. 1399. 10130. 10723.

dendo, cogitando loquendoque promptiores erant prioribus: cum venerunt, illico percurrebant illa quæ in Memoria mea erant, ſed quæ obſervabant, non appercipere potui ob promptitudinem illorum; audiebam ſubinde dicentes, quod tale ſit; ad illa quæ videram in cœlis & in mundo ſpirituum, dicebant ſe prius noſſe: percipiebam quod multitudo ſpirituum illis conſociatorum eſſet a tergo paulo ad ſiniſtrum in plano occipitis.

22. Alio tempore vidi multitudinem talium ſpirituum, ſed ad aliqualem diſtantiam a me, antrorſum paulo ad dextrum, & inde loquebantur mecum, ſed per ſpiritus intermedios; nam loquela eorum tam cita eſt ſicút cogitatio, quæ in loquelam humanam non cadit, niſi mediantibus aliis ſpiritibus; & quod miratus ſum, loquebantur volumatim, & uſque tam prompte & cito: appercipiebatur loquela, quia plurium ſimul, ut undulatoria: & quod memorabile, labebatur illa verſus ſiniſtrum meum oculum, tametſi illi erant ad dextrum; cauſa erat, quia ſiniſter oculus correſpondet cognitionibus rerum a materialibus abſtractarum, ita talibus quæ ſunt intelligentiæ, dexter autem oculus talibus quæ ſunt ſapientiæ (*m*). Simili promptitudine, qua loquebantur, etiam res auditas percipiebant, & de illis judicabant, dicendo hoc ita eſſe, hoc non ita; judicium eorum quaſi inſtantaneum eſt.

23. Erat ſpiritus ex alia Tellure, qui cum illis dextre loqui potuit, quia prompte & celeriter, ſed qui affectabat in ſermone elegantiam; momento judicabant de illis quæ is loquebatur, dicendo hoc nimis eleganter; hoc nimis ſcite; ſic ut modo attenderent, num aliquid illis nondum notum ab eo audirent, rejiciendo ſic talia quæ inumbrabant, quæ ſunt præcipue affectationes elegantiæ ſermonis & eruditionis, nam illæ ipſas res abſcondunt, & loco illarum ſiſtunt voces, quæ ſunt formæ rerum materiales; loquens enim in illis animum tenet, ac vult ut voces præ ſenſu vocum audiantur, inde afficitur alterius auditus plus quam mens.

24. Spiritus Telluris Mercurii non morantur in uno loco, ſeu intra cætus ſpirituum unius mundi, ſed vagantur per univerſum; cauſa eſt, quia Memoriam rerum referunt, quæ continue locupletabitur; inde illis conceditur circumvagari, & ſibi cognitiones ubivis acquirere. Cum ita peregrinantur, ſi offendunt Spiritus, qui materialia, hoc eſt, corporea & terreſtria amant, eos fugiunt, ſeque conferunt illuc ubi talia non audiunt. Exinde conſtare poteſt, quod animus eorum elevatus ſit ſupra ſenſualia, & ſic quod in lumine interiori ſint: hoc quoque dabatur actualiter percipere, cum prope me erant, & mecum loquebantur; animadverti tunc, quod abducerer a ſenſualibus, uſque adeo ut inciperet lumen oculorum meorum hebetari & obſcurum fieri.

25. Spiritus Telluris illius vadunt per cohortes & phalanges; & cum congregati

(*m*) Quod oculus correſpondeat Intellectui, quia Intellectus eſt viſus internus & rerum non materialium, n: 2701. 4410. 4526. 9051. 10569. Quod viſus Oculi ſiniſtri correſpondeat veris, ita intelligentiæ, & viſus oculi dextri bonis veri, ita ſapientiæ, n: 4410.

gregati ſunt, formant quaſi globum; ita a Domino conjunguntur ut unum agant, utque cognitiones cujuſlibet communicentur cum omnibus, & cognitiones omnium cum quolibet, ſicut fit in cœlo (*l*). Quod vagentur per univerſum, ut conquirant rerum cognitiones, conſtabat mihi etiam ex eo, quod ſemel, cum a me admodum remoti apparebant, loquerentur inde mecum, & dicerent, quod nunc congregati ſint, & vadant extra ſphæram hujus mundi in Cœlum ſtelliferum, ubi ſciunt dari tales, qui non curant terreſtria & corporea, ſed res ab illis elevatas, cum quibus eſſe volunt. Dicebatur, quod non ſciant ipſi quo vadant, ſed quod ex Auſpicio Divino ferantur illuc, ubi poſſunt inſtrui de talibus quæ nondum ſciunt, & quæ cum cognitionibus, quas habent, conveniunt: dicebatur etiam, quod nec ſciant quomodo inveniunt ſocios, cum quibus conjunguntur, & quod hoc quoque fiat ex Auſpicio Divino.

26. Quia ita per univerſum vadunt, & inde præ aliis ſcire poſſunt de Mundis & Telluribus extra ſphæram Mundi noſtri Solis, idcirco cum illis etiam de ea re loquutus ſum; dicebant quod in Univerſo perplures eſſent Tellures, & ibi homines; & quod mirarentur quod aliqui putarent, quos exigui judicii homines vocabant, Cœlum Omnipotentis Dei ſolummodo conſtare ex Spiritibus & Angelis qui ex una Tellure veniunt, cum illi tam pauci ſunt, ut reſpective ad Omnipotentiam Dei vix aliquid ſint, etiam ſi forent myriades mundorum & myriades tellurum: porro dicebant, quod ſciant Tellures in univerſo ultra aliquot centena millia dari; & tamen quid hoc ad Divinum quod Infinitum.

27. Spiritus Mercurii, cum apud me eſſent, cum ſcriberem & explicarem Verbum quoad ſenſum ejus internum, & perciperent quid ſcriberem, dicebant quod illa quæ ſcriberem admodum craſſa eſſent, & quod expreſſiones pæne omnes ſicut materiales apparerent; ſed reſpondere dabatur, quod homines noſtræ Telluris uſque videant hæc quæ ſcripta ſunt, ſicut ſubtilia & elevata, quorum plura non capiunt: addebam quod plures in hac Tellure non ſciant, quod Internus homo ſit qui agit in Externum, & facit ut hic vivat, perſuadeantque ſibi ex fallaciis ſenſuum, quod corpori ſit vita, & quod ideo illi, qui mali & infideles ſunt, vitam poſt mortem in dubio ponant: tum quod non vocent ſpiritum, ſed animam, illud hominis quod victurum poſt mortem corporis; & quod litigent quid anima, & ubinam ſedes ejus, credantque, quod ei corpus materiale, tametſi diſſipatum in omnes ventos, iterum conjungendum ſit, ut homo vivat homo; præter plura ſimilia. Cum hæc audirent ſpiritus Mercurii, quærebant an tales poſſunt Angeli fieri, ad quæ reſpondere datum eſt, quod angeli fiant qui in bono fidei & charitatis vixerunt, & quod tunc non amplius in externis & materialibus ſint, ſed in internis & ſpiritualibus; & cum in illum ſtatum veniunt, quod ſint in luce ſupra illam, in qua ſunt ſpiritus ex Mercurio: ut ſcirent quod ita eſſet, dabatur ut Angelus qui in Cœlo e noſtra tellure, qui talis fuerat cum vixit in mundo, cum illis loqueretur, de quo in ſequentibus.

28. Postea mihi a Spiritibus Mercurii mittebatur charta longa, inæqualis, a pluribus chartis conglutinata, quæ apparebat sicut impressa typis, qualibus in hac Tellure; quæsivi num talia haberent apud se, sed dicebant quod non habeant, verum quod sciant tales chartas in nostra Tellure dari; non volebant plura dicere; sed percipiebam quod cogitarent quod cognitiones in nostra Tellure essent super chartis, & non ita in homine, ita subsannando quod chartæ quasi scirent quæ non homo: sed instruebantur quomodo cum hoc se haberet. Post aliquod tempus redierunt, & ad me mittebant aliam chartam etiam sicut typis exaratam, ut erat prior, sed non ita conglutinatam & incomtam, verum decentem & nitidam; dicebant quod informati ulterius essent, quod in hac tellure tales chartæ sint, & inde libri.

29. Ex his quæ nunc dicta sunt, constat manifeste, quod Spiritus, quæ vident & audiunt in altera vita, memoria retineant, & quod illi æque ac cum fuerunt homines in mundo, instrui queant, proinde in illis quæ fidei sunt, & sic perfici: quo interiores spiritus & angeli sunt, eo promptius & plenius hauriunt, & perfectius retinent; & quia hoc in æternum, patet quod illis crescat sapientia continue: apud Mercurii spiritus continue crescit scientia rerum, sed inde non sapientia, quia cognitiones, quæ media sunt, amant, non autem usus qui fines.

30. Porro, qualis est genius spirituum, qui ex Planeta Mercurio sunt, ex sequentibus adhuc constare potest. Sciendum, quod omnes, quotcunque sunt spiritus & angeli, fuerint homines; humanum enim genus est seminarium cœli; tum quod spiritus tales prorsus sint quoad affectiones & inclinationes, quales fuerunt cum vixerunt homines in mundo; nam unumquemque sequitur vita ejus *(n)*: quia ita est, genius hominum cujusvis Telluris, cognosci potest a genio spirituum qui inde sunt.

31. Quia Spiritus Mercurii in Maximo Homine referunt memoriam rerum a materialibus abstractarum, idcirco quando aliquis cum illis de terrestribus, corporeis & mere mundanis loquitur, nolunt prorsus audire; sique audire de illis coguntur, transmutant ea in alia, & plerumque in contraria, ut evitent.

32. Ut pro certo scirem, quod talis eorum genius esset, licuit repræsentare illis prata, novalia, hortos, sylvas, flumina, (repræsentare talia, est imaginative sistere illa coram alio, quæ in altera vita apparent ad vivum) sed illico transmutabant illa, prata & novalia obscurabant, & per repræsentationes implebant anguibus; flumina denigrabant ut aqua non limpida appareret: cum quærerem, cur ita facerent, dicebant, quod non velint cogitare de talibus, sed de realibus, quæ sunt cognitiones rerum a terrestribus abstractarum, imprimis talium quæ existunt in cœlis.

33. Postea repræsentabam illis volucres majores & minores, quales in

(n) Quod vita sua unumquemvis maneat & sequatur post mortem, n: 4227. 7440. Quod externa vitæ clausa teneantur post mortem, ac interna vitæ aperiantur, n: 4314. 5128. 6495. Quod tunc omnia & singula cogitationis pateant, n: 4633. 5128.

nostra Tellure sunt: nam in altera vita repræsentari possunt talia ad vivum: cum volucres illas repræsentatas viderent, primum volebant illas mutare, sed dein delectabantur illis, & quiescebant; causa erat, quia volucres significant cognitiones rerum, cujus rei perceptio quoque tunc influebat *(o)*; ita desistebant ab illis transmutandis, & sic ab ideis memoriæ suæ avertendis. Postea repræsentare licebat coram illis amænissimum Hortum plenum lampadibus & lucernis; tunc morabantur & detinebantur, ex causa quia lampades cum lucernis significant veritates quæ lucent ex bono *(p)*. Inde patuit, quod teneri potuerint in spectandis materialibus, modo simul insinuatur significatio illorum in sensu spirituali; quæ enim sensus spiritualis sunt, a materialibus non ita abstracta sunt, quoniam sunt horum repræsentativa.

34. Præterea loquutus sum cum illis de Ovibus & Agnis, sed talia non volebant audire, quia ea illis percepta sunt ut terrestria: causa erat, quia non intelligebant quid Innocentia, quam Agni significant; quod apperceptum est ex eo, cum dicerem quod Agni in Cœlo repræsentati significent Innocentiam *(q)*, tunc dicebant, se non scire quid Innocentia, sed modo scire quoad vocem; causa est, quia modo cognitionibus, non autem usibus, qui sunt cognitionum fines, afficiuntur, ita nec scire possunt ex perceptione interna, quid Innocentia.

35. Aliqui ex spiritibus Telluris Mercurii ad me veniebant missi ab aliis, ut audirent quid apud me ageretur, quibus unus ex spiritibus nostræ Telluris dicebat, quod diceret suis, ut non aliud quam verum loquerentur, & non, ut solent, interrogantibus opposita objicerent; nam si aliquis ex nostræ telluris spiritibus ita faceret, plecteretur; sed tunc respondebat cohors, quæ remota erat, e qua spiritus illi emissi erant, quod, si ideo plecterentur, omnes plecterentur, quoniam aliter facere nequeunt ex continuo usu: dicebant, quod cum loquuntur cum hominibus suæ Telluris, ita quoque faciant; at hoc non animo fallendi, sed ut inspirent desiderium sciendi; cum enim opposita objiciunt, & occultant res certo modo, tunc cupido sciendi excitatur, & sic ex studio explorandi illa, memoria perficitur. De eadem re cum illis alia vice quoque loquebar; & quia sciebam, quod loquerentur cum hominibus suæ telluris, quærebam quomodo incolas suos instruunt; dicebant quod non instruant illos quomodo se res habet, sed usque insinuent aliquam rei apperceptionem, ut inde cupido explorandi & sciendi alatur & crescat; nam si responderent ad omnia, periret cupido: addebant quod opposita objiciant etiam ob causam, ut veritas dein melius appareat; nam omnis veritas apparet ex relatione ad opposita.

36. Pro

(o) Quod aves significent rationalia, intellectualia, cogitationes, ideas, cognitiones, n: 40. 745. 776. 778. 866. 988. 993. 5149. 7441. Et hoc cum varietate secundum avium genera & species. n: 3219.

(p) Quod lampades cum lucernis significent veritates quæ lucent ex bono, n: 4638. 9548. 9783.

(q) Quod Agni in Cœlo & in Verbo significent Innocentiam, n: 3994. 7840. 10132.

36. Pro more habent, ut non dicant alicui quæ ſciunt, ſed uſque ab omnibus ſcire volunt quæ ipſi ſciunt: ſed cum ſua ſocietate communicant omnia, uſque adeo, ut quæ unus ſcit omnes ſciant, & quæ omnes quiſque ibi *(l)*.

37. Quia Spiritus Mercurii abundant cognitionibus, in aliqua ſpecie faſtus ſunt; inde putant, quod tam multa ſciant, ut vix plus ſciri poſſit: ſed illis a noſtræ Telluris ſpiritibus dictum eſt, quod non multa ſciant, ſed pauca, & quod illa quæ non ſciunt ſint infinita reſpective: quodque illa, quæ non ſciunt, ad illa quæ ſciunt, ſint ſicut aquæ maximi Oceani ad aquas puſilli fontis; tum quod primum limen ad ſapientiam, ſit ſcire, agnoſcere, & percipere, quod quæ ſcit tam parum ſit ut vix aliquid ſit ad illa quæ non ſcit. Ut ſcirent quod ita eſſet, dabatur ut quidem angelicus ſpiritus cum illis loqueretur, & diceret illis in genere, quid ſcirent & non ſcirent, & quod infinita eſſent quæ non ſcirent, tum quod in æternum ne quidem communia rerum ſcire poſſent: loquebatur ille per ideas angelicas, multo promptius quam illi, & quia detegebat quid ſcirent, & quid non ſcirent, ſtupore perculſi ſunt. Poſtea vidi alium angelum cum illis loquentem, apparuit ille in aliqua altitudine dextrorſum; erat ille ex noſtra Tellure, is enumerabat perplurima quæ non ſcirent; & poſtea loquebatur cum illis per mutationes ſtatus, quas dicebant ſe non intelligere; tunc illis dicebat, quod unaquævis mutatio ſtatus infinita contineat, & quoque unumquodvis minimum ejus. Cum hæc audiverunt, quia fuerunt in faſtu propter cognitiones, cæperunt ſe humiliare: humiliatio repræſentabatur per voluminis eorum demiſſionem deorſum, (nam apparebat cohors illa tunc ſicut volumen, antrorſum verſus ſiniſtrum ad diſtantiam, in plano regionis infra umbilicum) ſed volumen apparebat ſicut incavatum in medio, & a lateribus elevatum; reciproca etiam motitatio ibi animadvertebatur: dicebatur etiam illis, quid id ſignificaret, hoc eſt, quid cogitarent in ſua humiliatione, & quod illi, qui a lateribus elevati apparebant, nondum in aliqua humiliatione eſſent: & vidi quod ſepararetur volumen, & quod illi, qui non in humiliatione erant, relegarentur verſus ſuum orbem, reliquis remanentibus.

38. Veniebant ſpiritus Mercurii ad quendam Spiritum ex noſtra Tellure, qui dum vixit in mundo, propter eruditionem famigeratiſſimus fuit, erat Chriſtianus Wolfius, cupientes ab illo informari de rebus variis; ſed cum perceperunt quod quæ dixit non elevata eſſent ſupra ſenſualia naturalis hominis, quia in loquendo cogitabat de honore, & quod vellet ſicut in mundo, (quiſque enim ſibi ſimilis eſt in altera vita) compingere in ſeries varia, & ex illis iterum & continue concludere alia, & ſic concatenare plura ex talibus, quæ non viderunt aut agnoverunt vera eſſe, dicendo ſic catenas non cohærere in ſe nec cum concluſis, & vocando illas obſcurum auctoritatis, tunc deſtiterunt interrogare illum, quærendo ſolum, *quomodo hoc vocatur*, *quomodo illud*, & quia ad hæc quoque reſpondebat per ideas materiales, & nullas ſpirituales, ab illo receſſerunt: unuſquiſque enim in altera vita tantum

ſpiritualiter ſeu per ideas ſpirituales loquitur, quantum in mundo crediderat in Deum, & tantum materialiter, quantum non crediderat. Quia hic datur anſa, licet memorare quomodo in altera vita ſe habet cum Eruditis, qui intelligentiam hauriunt ex propria meditatione accenſa amore ſciendi vera propter vera, ita propter uſus a mundanis abſtractos, & quomodo cum illis, qui ex aliis abſque propria meditatione, ut ſolent qui cupiunt ſcire vera propter ſolam eruditionis famam, & inde honorem aut lucrum in mundo, ita non propter uſus a mundanis abſtractos, licet hic inſerere quandam experientiam de talibus. Appercipiebatur ſonorum quoddam penetrans ab infra juxta ſiniſtrum latus uſque ad aurem ſiniſtram: animadverti quod eſſent ſpiritus qui ibi eniti conabantur, at quales eſſent non potui ſcire; quando autem eniſi ſunt, loquebantur mecum, dicentes quod fuerint Logici & Metaphyſici, & quod talibus immerſerint cogitationes ſuas, abſque alio fine quam ut Eruditi audirent, & ſic ad honores & opes venirent, lamentantes quod nunc miſeram vitam agant, ex cauſa quia abſque alio fine hauſerunt illa; & ſic non Rationale ſuum per illa excoluerunt; erat loquela illorum tarda & mute ſonans. Interea loquuti ſunt inter ſe bini ſupra caput meum, & cum quæſitum quinam eſſent, dictum, quod unus illorum eſſet famigeratiſſimus quidam in orbe literato, & dabatur mihi credere quod eſſet Ariſtoteles; alter quinam eſſet, non dicebatur: Ille tunc mittebatur in ſtatum, in quo fuit cum vixit in mundo; quilibet enim in ſtatum ſuæ vitæ, quem habuit in mundo, facile mitti poteſt, quia omnem vitæ ſuæ ſtatum ſecum habet: at, quod miratus, applicabat ſe ad dextram aurem, & ibi loquebatur, ſed rauce at uſque ſane: ex loquelæ ejus ſenſu appercepi, quod is prorſus alio genio eſſet quam Scholaſtici illi qui primum aſcenderunt, quod nempe is ex cogitatione ſua excluſerit illa quæ ſcripſerat, & inde Philoſophica ſua produxerit; ſic ut termini, quos invenit, & quos impoſuit rebus cogitationis, eſſent formulæ vocum quibus deſcripſit interiora; tum quod ex jucundo affectionis & deſiderio ſciendi illa quæ eſſent cogitationis & intellectus ad talia excitatus fuerit; & quod ſequutus obedienter quæ dictaverat ejus ſpiritus; quapropter is ad dextram aurem ſe applicuit, aliter quam aſſeclæ ejus, qui Scholaſtici vocantur, qui non ex cogitatione ad terminos, ſed a terminis ad cogitationes eunt, ita via contraria; & plures illorum nequidem ad cogitationes, ſed ſolum hærent in terminis; quos ſi applicant, eſt ad confirmandum quicquid volunt, & ad imponendum falſis ſpeciem veri ſecundum cupidinem perſuadendi: inde illis Philoſophica ſunt media inſaniendi potius, quam media ſapiendi; & inde illis tenebræ loco lucis. Loquutus ſum dein cum illo de ſcientia analytica, dicens, quod puerulus per dimidium horæ plus philoſophice, analytice & logice loquatur, quam ille potuiſſet per volumen deſcribere, ex cauſa quia omnia cogitationis & inde loquelæ humanæ ſunt analytica, quorum leges ſunt ex mundo ſpirituali; & qui artificialiter ex terminis cogitare vult, quod is non abſimilis ſit ſaltatori, qui vult diſcere ſaltare ex ſcientia motricium fibrarum & muſculorum, in qua ſi hæreret animus ejus cum ſaltat, tunc vix movere

movere posset pedem; & tamen is absque scientia illa movet omnes fibras motrices sparsas circum universum corpus; & applicate pulmones, diaphragma, latera, brachia, collum, & reliqua, quibus omnibus describendis non sufficerent volumina; & quod similiter se habeat cum illis, qui ex terminis volunt cogitare: hæc Ille approbavit, dicens si illa via discatur cogitare, quod inverso ordine procedatur; addens si quis fatuus esse velit, ita procedat; sed cogitet jugiter de usu, & ex interiori. Dein mihi ostendit, qualem ideam habuerat de Summo Numine, quod nempe sibi repræsentaverit Illum facie humana circum caput cinctum circulo radioso; & quod nunc sciat, quod Dominus sit Ipse Ille Homo, & quod circulus radiosus sit Divinum ab Ipso, quod non modo influit in Cœlum sed etiam in universum, ac disponit & regit illa: addens, qui cœlum disponit & regit, etiam disponit & regit universum, quia unum ab altero separari nequit: & quoque dixit, quod crediderit solum Unum Deum, cujus Attributa & Qualitates insigniverant tot Nominibus, quot alii deos coluerunt. Visa mihi est mulier, quæ exporrigebat manum, volens genam mulcere; quod cum miratus sum, dixit, quod, cum in mundo fuit, talis mulier ei sæpe visa sit, quæ quasi mulceret ejus genam, & quod ejus manus pulchra fuisset: spiritus angelici dicebant, quod tales priscis quandoque visæ fuerint, & ab illis vocatæ Pallades; & quod apparuerit ei ex spiritibus, qui, cum homines antiquis temporibus vixerunt, delectati fuerunt ideis & indulserunt cogitationibus, sed absque Philosophia; & quia tales spiritus apud illum fuerunt, & delectati illo quia cogitavit ab interiori, repræsentative talem mulierem stiterunt. Ultimo indicavit, qualem ideam habuerat de Anima seu Spiritu hominis, quem vocabat Pneuma, quod nempe esset inconspicuum vitale, sicut aliquid ætheris; & dixit, quod noverit Spiritum suum victurum post mortem, quoniam esset essentia ejus interior, quæ non potest mori, quia potest cogitare; & quod præterea de eo non clare cogitare potuerit, sed modo obscure, quia aliunde de illo aliquam cognitionem non habuerat quam ex se, & parumper etiam ex antiquis. Præterea Aristoteles est inter sanos spiritus in altera vita, & plures ejus Asseclæ inter fatuos.

39. Quondam vidi quod nostræ Telluris spiritus essent apud Spiritus telluris Mercurii, & audivi illos inter se colloquentes, & tunc nostræ Telluris spiritus inter alia interrogabant illos, in quem crederent, respondebant quod crederent in Deum; sed cum quærerent ulterius de Deo in quem crederent, nolebant dicere: quoniam ex more illorum est, ut non directe ad quæstiones respondeant. At tunc Spiritus ex tellure Mercurii vicissim interrogabant Spiritus ex nostra tellure, in quem illi crederent, dicebant hi, quod in Dominum Deum; spiritus Mercurii tunc ajebant, quod perciperent illos in nullum Deum credere, & pro more habere ore dicere quod credant, & tamen usque non credere: (habent spiritus Mercurii exquisitam perceptionem, ex eo quia continue media perceptione explorant quid alii sciunt) spiritus nostræ telluris erant inter illos, qui in mundo confessi sunt fidem ex doctrina Ecclesiæ, sed usque non vixerunt vitam fidei, & qui non vivunt vitam fidei,

fidei, in altera vita non habent fidem, quia non eſt in homine *(r)*: cum hæc audiverunt, obmuteſcebant, quia ex apperceptione illis tunc data agnoſcebant quod ita eſſet.

A.C. 7173. 40. Quidam ſpiritus ſciebant ex cœlo, quod ſpiritibus Telluris Mercurii quondam promiſſum fuerit videre Dominum; quare interrogabantur a ſpiritibus circum me, num recordarentur illius promiſſi, dicebant, quod recordentur; ſed quod non ſciant, an ita promiſſum ſit, ut de eo nihil dubii haberi poſſit. Cum ita loquebantur inter ſe, tunc apparuit illis Sol cœli: (Solem cœli, qui eſt Dominus, non alii vident quam qui in intimo ſeu tertio cœlo ſunt reliqui vident lucem inde) viſo Sole dicebant, quod hoc non eſſet Dominus Deus, quia faciem non videbant. At interea ſpiritus inter ſe loquebantur, ſed quid loquuti ſunt, non audivi. Subito autem tunc iterum apparuit Sol, & in ejus medio Dominus circumcinctus ſolari circulo; hoc viſo, Spiritus Mercurii humiliabant ſe profunde, & ſubſidebant. Tunc quoque Dominus ex Sole illo viſus eſt ſpiritibus hujus telluris, qui, cum homines fuerunt, Ipſum in mundo viderunt, ex quibus unus poſt alterum faſſi ſunt, & ſic ordine plures, quod Ipſe Dominus eſſet; & hoc faſſi ſunt coram omni cætu. Tunc quoque Dominus e Sole viſus eſt Spiritibus Planetæ Jovis, qui manifeſta voce dicebant, quod Ipſe eſſet, Quem in Tellure ſua, cum apparuit illis Deus univerſi, viderant *(s)*.

41. Quidam, poſtquam viſus eſt Dominus, deducti ſunt verſus anteriora dextrorſum, & cum progrederentur dicebant, quod viderent Lucem multo clariorem & puriorem, quam uſquam prius viderant, & quod major Lux nuſquam videri queat: & tunc erat hic tempus veſperæ: qui id dicebant erant plures *(t)*.

42. Sciendum eſt, quod Sol mundi prorſus non appareat alicui ſpiritui, nec aliquid lucis inde; lux illius ſolis eſt ſpiritibus & angelis ſicut denſa caligo:

(r) Quod illis qui fidem ex doctrina confitentur, & non vivunt vitam fidei, nulla fides ſit, n: 3865. 7766. 7778. 7790. 7950. 8094. Et quod interiora eorum contra vera fidei ſint, tametſi hoc in mundo neſciunt, n: 7790. 7950.

(s) Quod Dominus ſit ſol cœli, ex quo omnis Lux ibi, n: 1053. 3636. 4060. Et quod Dominus ita appareat illis, qui in Regno cœleſti Ipſius ſunt, ubi amor in Ipſum regnat, n: 1521. 1529. 1530. 1531. 1837. 4696. Quod appareat ad mediam altitudinem ſupra planum oculi dextri, n: 4321. 7078. Quod ideo per ſolem in Verbo ſignificetur Dominus quoad Divinum amorem, n: 2495. 4060. 7083. Quod ſol mundi non appareat ſpiritibus & angelis, ſed loco ejus ſicut tenebricoſum quid a tergo ex oppoſito ad Solem cœli ſeu ad Dominum, n: 9755.

(t) Quod Lux magna ſit in cœlis, quæ multis gradibus excedit lucem meridianam in terra, n: 1117. 1521. 1533. 1619 ad 1632. 4527. 5400. 8644. Quod omnis Lux in cœlis ſit a Domino ut Sole ibi, n: 1053. 1521. 3195. 3341. 3636. 3643. 4415. 9548. 9684. 10809. Quod Divinum Verum procedens ex Divino Bono Divini Amoris Domini appareat in Cœlis ut Lux, & ſiſtat omnem lucem ibi, n: 3195. 3222. 5400. 8644. 9399. 9548. 9684. Quod Lux cœli illuminet Angelorum & viſum & intellectum, n: 2776. 3138. Quod cœlum in luce & calore dicatur eſſe, quod ſignificet in ſapientia & in amore, n: 3643. 9399. 9401.

caligo: sol ille solum in perceptione apud spiritus ex illo viso cum fuerunt in mundo, remanet, & sistitur illis in idea sicut caliginosum quid, & hoc a tergo ad insignem distantiam, altitudine paulo supra planum Capitis. Planetæ, qui intra Solis illius mundum sunt, apparent secundum certum situm respective ad solem; Mercurius a tergo paulo versus dextrum; Planeta Veneris ad sinistrum paulo retro; Planeta Martis ad sinistrum antrorsum; Planeta Jovis similiter ad sinistrum antrorsum sed ad majorem distantiam; Planeta Saturni prorsus antrorsum ad insignem distantiam; Luna ad sinistrum satis alte: Satellites etiam ad sinistrum respective ad suum Planetam. Talis est situs Planetarum illorum in ideis spirituum & angelorum: & quoque spiritus apparent juxta suum Planetam, extra illum. Quod autem Spiritus Mercurii in specie attinet, illi non apparent ad certam plagam, nec ad certam distantiam, sed apparent nunc antrorsum, nunc sinistrorsum, nunc paulo ad tergum; causa est, quia licet illis pervagari Universum ad comparandum sibi cognitiones.

43. Apparebant quondam Spiritus Mercurii ad sinistrum in globo, & dein in volumine extendente se in longum; & miratus quo vellent, num ad hanc Tellurem, vel num alio, & mox animadvertebam, quod flecterent se dextrorsum, & se revolvendo approximarent ad Tellurem seu Planetam Veneris, ad plagam ejus anteriorem; sed cum illuc venirent, dicebant, quod ibi esse nollent, quia mali; quare se circumflectebant ad posteriorem partem illius telluris, & tunc dicebant, quod ibi morari vellent, quia illi, qui ibi, sunt boni. Hoc cum fiebat, sentiebam in Cerebro mutationem insignem, & operationem fortem inde. Exinde concludere dabatur, quod Spiritus Veneris, qui ab illa parte Planetæ sunt, concordarent cum Spiritibus Mercurii, & quod illi referrent Memoriam rerum immaterialium concordantem cum Memoria immaterialium, quam spiritus Mercurii referunt: inde operatio fortior sentita est ab illis cum ibi erant.

44. Desiderabam scire, qua facie & corpore sunt homines in Tellure Mercurii, num similes hominibus in nostra; tunc sistebatur coram oculis meis fœmina prorsus similis illis quæ in tellure; illa erat pulchra facie, at minore quam fœminis nostræ telluris; corpore etiam gracilior erat, sed altitudine æquali; capite erat amicta linteo non arte posito, sed usque decenter: sistebatur etiam vir, qui quoque erat corpore graciliore, quam sunt viri nostræ telluris; ille indutus erat veste obscure cærulea, ad corpus stricte aptata, absque plicis & prominentiis hinc inde: dictum quod homines illius telluris tali forma & habitu corporis essent. Sistebantur dein species eorum boum & vaccarum, quæ quidem non multum differebant ab illis in nostra tellure, sed minores erant, & quodammodo accedebant ad speciem cervarum & cervorum.

45. Interrogati etiam sunt de Sole mundi, qualiter ille ex tellure illorum apparet, ajebant quod magnus, & quod major ibi appareat quam ex aliis telluribus; dicebant hoc se scire ex idea aliorum spirituum de sole. Ulterius dicebant, quod temperies illis esset media, nec calida nimis nec frigida;

dicere illis tunc dabatur, quod ita proviſum ſit illis a Domino, ut non illis nimius calor ex eo quod Tellus illorum propinquior Soli eſſe quam tellures aliæ, quoniam calor non venit ex propinquitate ad ſolem, ſed ab athmoſphæræ aereæ altitudine & denſitate, ut patet a frigore ſuper montibus altis etiam in climatibus calidis; tum quoque quod calor varietur ſecundum radiorum ſolis incidentiam rectam & obliquam, ut patet a temporibus hyemis & æſtatis in unaquavis regione. Hæc ſunt quæ de Spiritibus & Incolis telluris Mercurii datum eſt ſcire.

De Tellure ſeu Planeta Jovis, deque ejus Spiritibus & Incolis.

46. CUM Spiritibus & Angelis Planetæ Jovis diutius ſociare commercium datum eſt, quam cum Spiritibus & Angelis qui ex reliquis Planetis, quapropter de ſtatu vitæ illorum ac incolarum illius Planetæ plura memorare licet. Quod inde Spiritus illi fuerint, patuit a multis, & quoque dictum e cœlo.

47. Ipſa Tellus ſeu Planeta Jovis non quidem apparet Spiritibus & Angelis; nam nuſquam aliquibus ibi apparet aliqua Tellus, ſed modo ſpiritus & angeli qui inde ſunt: qui e Planeta Jovis ſunt, apparent antrorſum ad ſiniſtrum ad aliqualem diſtantiam, & hoc conſtanter, vide ſupra n: 42, ibi quoque eſt Planeta; ſunt ſpiritus cujuſvis telluris juxta ſuam tellurem, ex cauſa quia ex incolis ſunt, (nam omnis homo poſt mortem fit ſpiritus) & quia ſic ſimili genio ſunt, & poſſunt apud incolas eſſe, & illis inſervire.

48. Narrabant, quod in regione Telluris ubi illi vixerunt dum in mundo, magna multitudo hominum eſſet, quantam Tellus poſſet nutrire; quodque fertilis eſſet, & omnibus abundaret; & quod ibi non plus cuperent quam quantum ad neceſſitates vitæ; & quæ non ad neceſſitates, nec ad utilitates referrent; & quod inde multitudo hominum tam magna. Dicebant, quod cura illorum maxima eſſet educatio infantum, & quod illos tenerrime amarent.

49. Porro narrabant, quod ibi diſtincti ſint in gentes, familias & domos, & quod omnes ſeparatim cum ſuis habitent; quodque converſationes ſint inde intra affinitates: tum quod nuſquam aliquis alterius bona cupiat; & quod nec in animum veniat aliquid ex alterius bonis concupiſcere, minus aliqua arte ſibi vindicare, & adhuc minus invadere & diripere; hoc ut facinus contra naturam humanam, ac ut horrendum, reputant. Cum dicere vellem, quod in hac Tellure ſint bella, deprædationes, & neces, tunc avertebant ſe, & averſabantur audire. Quod Antiquiſſimi in hac Tellure ſimiliter habitaverint, mihi ab angelis dictum eſt, nempe quod diſtincti in Gentes, Familias & Domos, & quod omnes tunc contenti ſuis bonis fuerint; & quod ex bonis aliorum diteſcere, ut & dominari ex amore ſui prorſus ignotum fuerit: & quod ideo Antiqua tempora, ac imprimis Antiquiſſima Domino

præ

præ ſequentibus accepta fuerint: & quia talis ſtatus fuit, quod etiam tunc regnaverit Innocentia, & cum illa Sapientia; quod quiſque tunc bonum egerit ex bono, ac juſtum ex juſto; quid facere bonum & juſtum propter honorem ſui, aut propter lucrum, quod non ſciverint; & quod tunc non loquuti ſint niſi verum, & hoc non ita ex vero quam ex bono, hoc eſt, non ex intellectuali ſeparato, ſed ex voluntario cum intellectuali conjuncto. Talia fuerunt Tempora antiqua; quapropter tunc potuerunt Angeli converſari cum hominibus, ac illorum mentes pæne ſeparatas a corporeis in cœlum auferre, imo illas ibi circumducere, & magnifica ibi & felicia monſtrare, ut & felicia ſua & jucunda cum illis communicare: hæc Tempora etiam Scriptoribus antiquis fuerunt nota, & ab illis appellata Aurea, & quoque Saturnina. Cauſa, quod illa Tempora talia fuerint, erat, ut dictum, quod vixerint diſtincti in gentes, ac gentes in familias, & familiæ in domos, ac unaquævis domus per ſe habitaverit; quodque tunc non alicui in mentem venerit, hæreditatem alterius invadere, ac inde opulentiam ſibi & dominium acquirere; longe aberat tunc amor ſui & amor mundi; quiſque tunc lætus erat ex ſuo, & non minus ex alterius bono. Sed hæc ſcena mutata eſt, & in contrarium verſa, ſuccedente tempore, cum animus invaſit cupiditas dominandi & multa poſſidendi; tunc Genus humanum ſe tutandi cauſa congregavit in Regna & Imperia; & quia ceſſaverunt leges charitatis & conſcientiæ, quæ inſcriptæ cordibus fuerunt, leges ad compeſcendas violentias ferre neceſſum fuit, in quibus honores & lucra erant præmia, ac privationes illorum pœnæ. Cum ita ſtatus mutatus eſt, ipſum cœlum ſe removit ab homine, & hoc magis & magis uſque ad hæc ſæcula, dum non amplius ſcitur num Cœlum & num Infernum ſint, imo ab aliquibus negatur quod ſint. Hæc dicta ſunt, ut per paraleliſmum illuſtretur, qualis ſtatus illorum eſt qui in tellure Jovis, ac unde illorum probitas, & quoque ſapientia, de qua plura in ſequentibus.

50. Per diutinam converſationem cum Spiritibus Telluris Jovis, conſtabat mihi quod probiores eſſent ſpiritibus plurium aliarum Tellurum; allapſus eorum cum veniebant, commoratio & influxus tunc, erat tam lenis & ſuavis, ut exprimi nequeat; qualitas cujuſvis ſpiritus per influxum, qui eſt communicatio ejus affectionis, in altera vita ſe manifeſtat, probitas per lenitudinem & ſuavitatem, per lenitudinem quia timet nocere, & per ſuavitatem quia amat facere bonum: lenitudinem & ſuavitatem influxus a ſpiritibus bonis noſtræ telluris ab illorum perclare diſtinguere potui. Dicebant, quando leve aliquod diſſidium inter illos exiſtit, quod appareat ſicut tenuis radius candidus, qualis ſolet eſſe fulguris, vel faſciola in qua ſtellæ coruſcantes & erratiles; ſed diſſidium inter illos cito reſarcitur: ſtellæ coruſcantes & ſimul erraticæ ſignificant falſum, at ſtellæ coruſcantes & fixæ ſignificant verum, ita illæ diſſidium *(u)*.

(u) Quod ſtellæ in Verbo ſignificent cognitiones boni & veri, ita vera, n: 2495. 2849. 4697. Et quod in altera vita Veræ repræſententur per ſtellas fixas, falſa autem per ſtellas errantes, n: 1128.

51. Præsentiam Spirituum Jovialium non modo cognoscere potui ex allapsus & influxus lenitudine & suavitate, sed etiam ex eo quod influerent quam maxime in faciem, & illam disponerent hilarem & ridentem, & id continue dum aderant: dicebant, quod ita disponant facies incolarum telluris suæ, cum ad illos veniunt, volentes sic eis inspirare tranquillitatem & jucunditatem cordis: tranquillitas & jucunditas illa, quæ ab illis mihi inspirabatur, implebat sensibiliter thoracem & cor; removebantur tunc cupiditates & sollicitudines de futuris, quæ intranquillum & jucundum inducunt, & animum in varios motus excitant. Inde constare mihi potuit, qualis vita Incolarum Telluris Jovis esset; ex spiritibus enim cognoscitur indoles incolarum, nam unusquisque vitam suum secum habet e mundo, ac vivit illam cum fit spiritus. Animadversum est quod illis esset status beatitudinis seu felicitatis adhuc interioris; hoc animadversum est per quod perceptum quod interiora eorum non clausa essent sed aperta ad cœlum; quo enim apertiora ad cœlum sunt interiora, eo sunt susceptibiliora recipiendi Divinum Bonum, & cum illo beatitudinem ac interiorem felicitatem: aliter prorsus apud illos, qui non in ordine cœli vivunt, apud eos interiora clausa sunt, & exteriora aperta ad mundum.

52. Quali facie sunt Incolæ Telluris Jovis, etiam mihi ostensum est: non quod ipsi Incolæ mihi visi sint, sed quod Spiritus in simili facie in qua fuerunt cum in sua Tellure: sed antequam id ostensum est, apparebat unus ex Angelis illorum post nubem candidam, qui dabat veniam: & tunc binæ facies ostensæ sunt; erant sicut facies hominum nostræ Telluris, candidæ, pulchræ; eluxit ex illis sincerum & modestum. Cum spiritus Joviales apud me erant, apparebant mihi facies hominum nostræ Telluris solito minores; quod inde venit, quia ex spiritibus illis influebat idea quam habebant de suis faciebus, quod majores essent; credunt enim, cum vivunt homines in Tellure sua, quod post obitum facies suæ majores futuræ sint, & quoad formam rotundæ; & quia hæc idea illis impressa est, inde quoque illa permanet, & cum fiunt spiritus, apparent sibi majore facie. Quod credant facies suas majores futuras, est quia dicunt faciem non esse corpus, ex causa quia per illam vident, audiunt, ac loquuntur, & sistunt cogitata; & quia sic per illam mens transparet; inde de facie habent ideam sicut de mente in forma: & quia sciunt, quod sapentiores futuri sint post vitam in mundo, ideo mentis formam seu faciem, ampliorem fieri credunt. Credunt etiam quod post obitum percepturi sint ignem, qui calefacturus facies illorum; hoc inde ducunt, quia sapientiores illorum sciunt, quod ignis in spirituali sensu significet amorem, & quod amor sit ignis vitæ, & quod ex hoc igne sit vita angelis *(x)*: etiam qui ex illis in amore cœlesti vixerunt, optato suo potiuntur, &

(x) Quod Ignis in Verbo sit Amor in utroque sensu, n: 934. 4906. 5215. Quod Ignis sacer & cœlestis sit Divinus amor, & omnis affectio quæ illius amoris, n: 934. 6314. 6832. Quod Ignis infernalis sit amor sui & mundi, & omnis concupiscentia quæ illorum amorum, n: 965. 1861. 5071. 6314. 6832. 7575. 10747. Quod amor sit ignis vitæ, & quod ipsa vita actualiter inde sint, n: 4906. 5071. 6032.

& percipiunt calefcere faciem fuam, & tunc interiora mentis illorum amore incenduntur. Propter illam caufam incolæ telluris etiam faciem fuam multum lavant & mundant, & quoque follicite tutantur a folis æftu: habent indumentum factum ex libro feu cortice cærulefcente, quo circumcingunt caput, & fic faciem contegunt. De faciebus hominum noftræ telluris, quas per meos oculos videbant *(y)*, dixerunt, quod non pulchræ effent; & quod pulchritudo illis in cute externa, non autem in fibris ab interno confifteret; mirati quod aliquorum facies effent verrucofæ & puftulatæ, aut aliter deformatæ, dicebant quod apud illos nufquam tales facies appareant: quædam facies ufque arridebant, nempe quæ hilares & ridentes; & quæ circum labra paulum prominebant.

53. Quod facies arriderent quæ circum labra prominebant, erat caufa, quia plurimum loquelæ eorum fit per faciem, & imprimis per regionem ejus circum labra, & quoque quia nufquam fimulant, hoc eft, aliter loquuntur quam cogitant, idcirco faciem fuam non cogunt, fed libere emittunt: aliter apud illos, qui a pueritia didicerunt fimulare; eorum facies inde contrahitur ab interiori, ne inde aliquid cogitationis eluceat; ab exteriori nec emittitur, fed tenetur parata ad fe emittendum & contrahendum, prout calliditas fuadet. Ex infpectis fibris labrorum & circumcirca illa, veritas poteft conftare; funt enim fibrarum feries ibi multiplices, complicatæ & confertæ, quæ non folum ad manducationem & ad loquelam per voces creatæ funt, fed etiam ad exprimendas animi ideas.

54. Oftenfum quoque eft, quomodo cogitationes per faciem fiftuntur; affectiones quæ amoris manifeftantur per vultus & eorum mutationes, & cogitationes in illis per variationes quoad formas interiorum ibi; amplius defcribi nequeunt. Eft quoque Incolis telluris Jovis loquela vocum, fed non ita fonora ficut apud nos; adjuvat una loquela alteram, & loquelæ vocum infinuatur vita per loquelam faciei. Informatus fum ab angelis, quod omnium prima loquela in unaquavis Tellure fuerit loquela per faciem, & hoc ex binis ibi originibus, a labris & ab oculis: caufa quod talis loquela fuerit prima, eft quia facies formata eft ad effigiandum illa quæ homo cogitat & quæ vult; inde etiam facies vocata eft effigies & index animi; tum quia in antiquiffimis feu primis temporibus fincerum fuit, & non aliud cogitavit homo, nec cogitare voluit, quam quod vellet ut eluceret ex facie: ita quoque potuerunt affectiones animi & inde cogitationes fifti ad vivum & plene; fic etiam apparebant ad oculum, ficut in forma perplura fimul: quæ loquela tantum ideo excellebat præ loquela vocum, quantum vifus præ auditu, hoc eft, ficut eft videre campum, aut audire & capere illum per voces defcriptum. Addebant, quod talis loquela conveniret cum loquela angelorum, cum quibus homines illis temporibus etiam communicabant; etiam cum facies loquitur feu mens per faciem, eft loquela angelica apud hominem in forma

(y) Quod Spiritus & Angeli non videant quæ in mundo hoc folari, fed quod per meos oculos viderint, n: 1881.

forma ultima naturali, non autem cum os loquitur per voces. Quisque etiam comprehendere potest, quod loquela vocum non potuerit esse Antiquissimis, quoniam voces Linguæ non sunt immediate infusæ, sed inveniendæ & applicandæ rebus; quod non fieri nisi successu temporis potuit *(z)*. Quamdiu sincerum & rectum fuit apud hominem, tamdiu etiam talis loquela permansit; sed ut primum mens aliud cogitare cæpit & aliud loqui, quod factum cum homo se cæpit amare & non proximum, tunc loquela vocum incrementa cepit, silente vel mentiente facie; inde interna faciei forma mutata est, contraxit se, induruit, & pæne vitæ expers cæpit fieri, at externa ex igne amoris sui inflammata sicut viva coram oculis hominum videri: nam vitæ illud expers quod subest, non apparet coram oculis hominum, sed coram oculis angelorum, quoniam hi vident interiora. Tales sunt facies illorum qui aliud cogitant & aliud loquuntur; simulatio enim, hypocrisis, astus & dolus, quæ hodierna prudentia sunt, talia inducunt. Sed aliter se res habet in altera vita, ibi non licet aliter loqui & aliter cogitare; diffidentia etiam ibi luculenter percipitur in unaquavis voce; & cum percipitur, ejicitur spiritus, in quo talis diffidentia, e consortio, & mulctatur; postea redigitur variis modis ad loquendum sicut cogitat, & ad cogitandum sicut vult, usque ut una ei mens sit, & non divisa; si bonus ut bonum velit, & verum ex bono cogitet & loquatur, & si malus ut malum velit & falsum ex malo cogitet & loquatur; bonus non prius in cœlum elevatur, ac malus nec prius in infernum conjicitur; & hoc ob finem, ut in inferno non sit nisi quam malum ac falsum mali, ac in cœlo non sit nisi quam bonum & verum boni.

55. Porro a Spiritibus, qui ex illa Tellure, informatus sum de variis quæ apud incolas ibi, ut de eorum Gressu, de Cibis, & Domiciliis. Quod Gressum eorum concernit, non ambulant erecti, sicut incolæ hujus telluris & plurium aliarum, nec repunt more animalium, sed cum gradiuntur, adjuvant se palmis, & alternis vicibus ad dimidium super pedes elevant, & quoque in gradiendo quovis tertio passu facie spectant ad latus & post se, & tunc etiam paulum inflectunt corpus, quod fit repente; nam apud illos indecorum est ab aliis spectari quam a facie. Cum ita ambulant, semper tenent faciem elevatam, ut apud nos, ut sic spectent etiam cœlum cum terram; non demissam tenent ut spectent terram, hoc vocant damnatum; vilissimi apud illos ita faciunt, qui si non assuescunt elevare faciem, e societate illorum exterminantur. Cum autem sedent, apparent sicut homines nostræ telluris quoad superiorem partem corporis erecti, sed sedent decussatim quoad pedes: sollicite cavent, non modo cum ambulant, sed etiam cum sedent, ne spectentur a tergo, sed a facie: libenter etiam volunt, ut facies suæ videantur, quia inde mens eorum apparet; nam nusquam alienam a mente

---

(z) Quod Antiquissimis in hac Tellure fuerit loquela per faciem & labia, media aspiratione interna, n: 607. 1118. 7361. Quod similis loquela sit incolis in quibusdam aliis Telluribus, n: 4799. 7359. 8248. 10587. De perfectione & excellentia istius loquelæ, n: 7360. 10587. 10708.

mente faciem oſtendunt, quod nec poſſunt; præſentes ſciunt etiam manifeſte inde, quo animo erga ſe ſunt, quod nec abſcondunt; imprimis num apparens amicum ex ſincero ſit, vel num ex coacto. Hæc mihi oſtenſa ſunt ab eorum ſpiritibus, & confirmata ab eorum angelis: inde quoque eorum ſpiritus videntur non ſicut alii erectim ambulare, ſed pæne ſicut natatores progreſſum adjuvare manibus, ac per vices circumſpicere.

56. Qui in Zonis illorum calidis vivunt, nudi vadunt, uſque tamen cum velamine circum lumbos, nec erubeſcunt nuditatem, nam mentes illorum caſtæ ſunt, nec amant niſi conjuges, & adulteria abhorrent. Maxime mirati ſunt, quod Spiritus noſtræ Telluris, cum audirent illos ita ambulare, & quoque eſſe nudos, ſubſannarent, & cogitarent laſcive; & quod prorſus nihil attenderint ad vitam illorum cœleſtem, ſed modo ad talia: dicebant, quod hoc ſignum ſit, quod corporea & terreſtria præ cœleſtibus curæ illis ſint, & quod indecentia occumpent mentes. Dictum eſt illis, quod nuditas non pudori ſit nec ſcandalo illis qui in caſtitate & ſtatu innocentiæ vivunt, ſed quod illis qui in laſcivia & impudicitia.

57. Quando Incolæ telluris illius cubant in lecto, convertunt faciem ſuam antrorſum ſeu in conclave, non autem retrorſum ſeu ad parietem: hoc mihi ſpiritus illorum narrabant, & dicebant cauſam, quod credant ſe faciem ſic ad Dominum vertere, ſi autem retrorſum quod illam averterent. Tale mihi aliquoties obvenerat, cum eſſem in lecto, ſed unde id non prius ſciveram.

58. Delectant ſe diu comedendo, non ita ex jucundo cibi, quam ex jucundo ſermonis tunc. Dum ad menſam ſedent, non ſedent ſuper ſellis aut ſcammis, aut elevatis toris gramineis, nec ſuper herba, verum ſuper foliis cujuſdam arboris; non dicere volebant cujus arboris folia eſſent, ſed cum plures ex conjectura nominarem, affirmabant tandem cum dicerem folia ficus. Inſuper dicebant, quod non præparent cibum ſecundum guſtum, ſed imprimis ſecundum uſum; ajebant, quod cibus utilis illis ſapidus ſit. De hac re inter ſpiritus ſermo factus eſt, & dictum, quod hoc conveniat homini, nam ſic ei cordi eſt, quod mens ſana in corpore ſano ſit; aliter ac apud illos, apud quod guſtus imperat, inde corpus ægrotat, ad minimum intus languet, conſequenter etiam mens, nam hæc ſe gerit ſecundum ſtatum interiorem partium recipientium quæ ſunt corporis, ſicut viſus & auditus ſecundum ſtatum oculi & auris; inde inſania quod in luxurie & voluptate ponatur omne vitæ jucundum; ex eo etiam obeſitas in talibus quæ cogitationis & judicii ſunt, & ſolertia in talibus quæ ſunt corporis & mundi; ex hoc fit ſimilitudo hominis cum animali bruto, cum quo etiam tales non incongrue ſe comparant.

59. Habitacula illorum etiam mihi oſtenſa ſunt; ſunt humilia ex ligno, ſed intus circuminducta libro ſeu cortice albe cæruleo, ac circumcirca & ſupra punctata ſicut ſtellulis ad imaginem cœli; nam volunt intus inducere domibus ſuis inſtar cœli aſpectabilis cum ſuis ſideribus, cauſa eſt, quia ſidera credunt domicilia Angelorum eſſe. Habent etiam Tentoria, quæ ſuperne rotun-

rotundata ſunt, ac protenſa in longum, etiam intus punctata ſtellulis in plano cæruleo; in illa ſe conferunt interdiu, ne ab æſtu ſolis lædantur facies illorum: illorum multa cura eſt, Tentoria hæc ſua formare & mundare: in illis etiam comedunt.

60. Spiritus Joviales cum viderent Equos hujus telluris, apparebant Equi mihi ſolito minores, tametſi erant ſatis robuſti & alti; hoc fuit ex idea illorum Spirituum de Equis ibi, dicebant, quod etiam apud illos eſſent ſimiles, at multo majores, ſed quod ſint feri ſeu in ſylvis, & quod cum viſuntur terrificent illos, tametſi nihil nocent; addebant quod pro illis ſit timor inſitus ſeu naturalis: inde dabatur occaſio cogitandi de cauſa illius timoris; Equus enim ſignificat in ſpirituali ſenſu Intellectuale formatum ex ſcientificis *(aa)*; & quia timent excolere Intellectuale per ſcientias e mundo, inde influxus timoris. Quod ſcientifica, quæ eruditionis humanæ ſunt, non curent, videbitur in ſequentibus.

61. Spiritus illius Telluris non volunt in conſortio eſſe cum ſpiritibus noſtræ Telluris, quia differunt animis & moribus; dicunt, quod ſpiritus noſtræ Telluris ſint aſtuti, ac ad machinanda mala prompti & ingenioſi: & quod parum ſciant & cogitent de bono. Præterea ſpiritus Telluris Jovis multo ſapientiores ſunt ſpiritibus noſtræ Telluris; de noſtris etiam dicunt, quod multa loquantur & parum cogitent, & ſic quod non multa poſſint interius percipere, & ne quidem quid bonum: concludunt inde, quod homines noſtræ Telluris, homines externi ſint. Quondam etiam permittebatur Spiritibus malis noſtræ Telluris agere per artes ſuas malas, & infeſtare Spiritus Joviales, qui apud me; hi illos admodum diu ſuſtinebant, ſed tandem faſſi ſunt quod non poſſent amplius, & quod crederent pejores non dari, nam pervertebant illorum imaginationem, & quoque cogitationem ita, ut ſibi viderentur quaſi ligati, & non niſi quam ope Divina inde extricandi & liberandi. Cum legerem in Verbo aliqua de Paſſione Salvatoris noſtri, tunc Spiritus Europæi inferebant dira ſcandala, animo ſeducendi Spiritus Joviales: inquirebatur quinam eſſent, & quid in mundo obiverant, & compertum quod quidam eorum fuerint Prædicatores, & plures ex illis qui ſe ex Societate Domini ſeu Jeſuitas vocant; dicebam, quod illi, cum in mundo vixerunt, tunc per Prædicationes de Paſſione Domini commovere potuerint vulgus ad lachrymas; addebam etiam cauſam, quod in mundo aliter cogitaverint & aliter loquuti ſint, ita aliud corde geſſerint, & aliud ore tulerint, & quod nunc non ita fraudulenter illis liceat loqui; nam cum fiunt ſpiritus, adiguntur ad loquendum prorſus ſicut cogitant. Obſtupuerunt Spiritus Jovis maxime, quod tale diſſidium interiorum & exteriorum apud hominem dari poſſet, nempe prorſus aliter loqui & aliter cogitare, quod ſibi impoſſibile eſſet. Mirabantur, cum audirent, quod plures, qui ex noſtra Tellure, etiam Angeli fiant, &

(aa) Quod Equus ſignificet Intellectuale, n: 2760. 2761. 2762. 3217. 5321. 6125. 6400. 6534. 7024. 8146. 8148. Et quod Equus albus in Apocalypſi ſit Intellectus Verbi, n. 2760.

& quod illi prorſus alio corde ſint; autumabant tunc, quod in noſtra Tellure omnes eſſent illis ſimiles; ſed dictum quod multi non tales ſint, & quod etiam ſint qui ex bono cogitant, & non ex malo ſicut illi, & quod qui ex bono, angeli fiant. Ut ſcirent quod ita eſſet, ex cœlo ab angelis e noſtra Tellure veniebant Chori, unus poſt alterum, qui ſimul una voce & cum concentu glorificabant Dominum *(bb)*: Chori illi tantopere oblectabant Spiritus Joviales qui apud me, ut viderentur ſibi quaſi in cœlum rapti: glorificatio illa per choros perſtabat per unam horam circiter: delitias illorum, quas inde capiebant, mecum communicatas, ſentire dabatur: dicebant quod id dicerent ſuis qui alibi.

62. Incolæ Telluris Jovis ſapientiam ponunt in cogitando bene & juſte de rebus quæ in vita obveniunt; ſapientiam illam hauriunt a parentibus ab infantia, quæ ſucceſſive in poſteritatem transfertur, & ex amore ejus quia apud parentes creſcit. De ſcientiis, quales in noſtra Tellure ſunt, prorſus nihil ſciunt, nec ſcire volunt, vocant illas umbras, & comparant nubibus quæ inter ſolem: ideam hanc de ſcientiis duxerunt ex aliquibus e noſtra Tellure, qui ſe coram illis venditarunt ſapientes ex ſcientiis. Spiritus e noſtra Tellure, qui ſe ita venditarunt, fuerunt qui ſapientiam poſuerunt in talibus quæ ſunt meræ Memoriæ, ut in Linguis præcipue Hebræa, Græca, & Latina, in Memorabilibus quæ ſunt Orbis literarii, in Criticis, in nudis experimentalibus, inque terminis imprimis Philoſophicis, & ſimilibus aliis, nec illis ut mediis ad ſapiendum uſi ſunt, quoniam in illis ipſis ſapientiam poſuerunt; hi quia per ſcientias, ut per media, non excoluerunt facultatem ſuam rationalem, in altera vita parum perceptionis habent, nam ſolum vident in terminis & ex terminis, ac qui ita vident, ſunt illa ſicut grumi, ac ſicut nubes ante viſum intellectualem, vide ſupra n: 38; & qui faſtuoſi fuerunt ex eruditione inde, adhuc minus percipiunt; ac qui ſcientiis uſi ſunt ut mediis infirmandi & annihilandi illa quæ Eccleſiæ & fidei ſunt, illi Intellectuale ſuum prorſus deſtruxerunt, ac vident in caligine ſicut noctuæ, falſum pro vero & malum pro bono. Spiritus Joviales ex converſatione cum talibus concluſerunt, quod ſcientiæ umbram inducant & occæcent: ſed illis dictum eſt, quod in hac Tellure ſcientiæ ſint media aperiendi viſum intellectualem, qui viſus eſt in luce cœli, ſed quia regnant talia quæ ſunt vitæ mere naturalis ac ſenſualis, ideo ſcientiæ illis ſunt media inſaniendi, nempe confirmandi pro Natura contra Divinum, & pro Mundo contra Cœlum: porro dictum eſt, quod ſcientiæ in ſe ſint divitiæ ſpirituales, & quod ii qui poſſident illas, ſint ſicut qui poſſident divitias mundanas, quæ ſimiliter ſunt media uſus præſtandi ſibi, proximo, & patriæ, & quoque media malefaciendi; tum quod ſint ſicut veſtes, quæ pro uſu & ornatu inſerviunt, & quoque pro faſtu, ut apud eos qui ab illis ſolis volunt honorari. Spiritus Telluris Jovis hæc bene intel-

(bb) Quod dicatur Chorus, cum plures ſpiritus ſimul & unanimiter loquuntur, de quibus, n: 2595. 2596. 3350: quod in loquela eorum ſit concentus, de quo, n: 1648. 1649. Quod per choros in altera vita fiat inauguratio in unanimitatem, n: 5182.

intellexerunt; sed mirati sunt, quod, cum homines essent, substiterint in mediis, ac prætulerint talia quæ ad sapientiam ducunt, ipsi sapientiæ; & quod non viderint quod immergere illis mentem, & non ultra se elevare, esset inumbrare & occæcare.

63. Quidam spiritus ex inferiore terra ascendens ad me venit, & dixit, quod audiverit illa quæ cum aliis spiritibus loquutus sum, sed quod non aliquid intellexerit quæ dicta sunt de vita spirituali & ejus luce; interrogabatur num de illa instrui vellet, dicebat quod non eo animo venerit; ex quo concludere potui, quod non talia caperet; erat valde stupidus: dicebatur ab Angelis, quod ille, cum in mundo vixit homo, fuerit inter celebratiores propter eruditionem: erat frigidus, quod ab afflatu manifeste sentiebatur; quod signum erat luminis mere naturalis, & nullius spiritualis; ita quod per scientias non aperuerit, sed occluserit sibi viam ad lucem cœli.

64. Quia incolæ Telluris Jovis per aliam viam sibi intelligentiam comparant, quam incolæ nostræ Telluris, & præterea alia indole sunt ex vita, ideo non possunt diu simul esse, sed vel fugiunt illos vel removent illos. Sunt sphæræ, quæ sphæræ spirituales vocandæ, quæ ex unoquovis spiritu continue emanant, imo exundant; fluunt ex activo affectionum & inde cogitationum, ita ex ipsa vita *(cc)*; consociationes in altera vita omnes fiunt secundum sphæras, quæ concordant conjunguntur secundum concordantiam, quæ discordant removentur secundum discordantiam. Spiritus & Angeli, qui a Tellure Jovis sunt, referunt in Maximo Homine Imaginativum Cogitationis, & sic statum activum partium interiorum; nostræ autem Telluris spiritus referunt varias functiones partium exteriorum corporis, quæ cum dominari volunt, activum seu imaginativum cogitationis ab interiori non influere potest: inde oppugnantiæ inter sphæras vitæ utriusque.

65. Quod cultum eorum Divinum attinet, principale est, quod agnoscant Dominum nostrum pro Supremo, Qui regit Cœlum & Terram, Illum vocant Unicum Dominum; & quia in vita corporis Ipsum agnoscunt & colunt, inde Ipsum quærunt post mortem, ac inveniunt; est idem cum nostro Domino. Interrogati sunt, num sciant quod Unicus Dominus sit Homo, responderunt, quod sciant omnes quod Homo sit, quia in orbe illorum a multis visus est ut Homo; & quod Ille instruat illos de veritate, conservet illos, & quod det vitam æternam illis, qui ex bono colunt Ipsum. Dicebant amplius, quod ab Ipso illis revelatum sit, quomodo vivent, & quomodo credent: & quod id quod revelatum est, a parentibus tradatur liberis, & inde emanet doctrina ad omnes familias, & sic in totam gentem quæ ab uno patre. Addebant, quod videatur illis sicut habeant doctrinam mentibus suis inscriptam; quod concludunt ex eo, quia percipiunt illico & agnoscunt sicut ex se,

(cc) Quod sphæra spiritualis, quæ est sphæra vitæ, effluat & exundet ex unoquovis homine, spiritu, & angelo, & circumstipet illos, n: 4464. 5179. 7454. Quod effluat ex vita affectionis & inde cogitationis eorum, n: 2489. 4464. 6206. Quod in altera vita consociationes fiant secundum sphæras, & quoque dissociationes, n: 6206. 9606. 9607. 10312.

ſe, num verum ſit vel non quod ab aliis de vita cœli apud hominem dicitur. Non ſciunt, quod unicus illorum Dominus natus ſit Homo in noſtra Tellure; dicebant, quod id ſcire non illis curæ ſit, modo quod Ipſe Homo ſit, & regat univerſum. Cum dicebam, quod in noſtra Tellure nominetur Chriſtus Jeſus, & quod Chriſtus ſignificet Unctum ſeu Regem, & Jeſus Salvatorem, dicebant quod Ipſum non colant ut Regem, quia Regium ſapit ex mundano; ſed quod colant Ipſum ut Salvatorem. Quia e noſtræ Telluris ſpiritibus injiciebatur dubium, num Unicus illorum Dominus eſſet idem cum noſtro Domino, removebant illud per id, quod recordati ſint, quod viderint Ipſum in Sole, & quod agnoverint quod Ipſe eſſet quem viderunt in ſua Tellure; videatur ſupra n: 40. Quondam etiam apud Spiritus Jovis, qui apud me, momento influebat dubium, num Unicus illorum Dominus eſſet idem cum noſtro Domino; ſed dubium hoc, quod momento influebat, momento etiam diſſipabatur; influebat ex aliquibus ſpiritibus e noſtra Tellure; & tunc, quod miratus ſum, tanto pudore, ſolum quod momento de hoc dubitaverint, ſuffuſi ſunt, ut dicerent ad me, ne hoc propalarem, ne ideo inſimularentur alicujus incredulitatis; cum tamen nunc illi id ſciant præ aliis. Spiritus illi maxime afficiebantur & gaviſi ſunt, cum audirent dictum, quod Unicus Dominus ſit Solus Homo, & quod omnes ab Ipſo habeant ut homines dicantur; at quod tantum ſint homines, quantum Ipſius imagines ſunt, hoc eſt, quantum amant Ipſum, & amant proximum, ita quantum in bono ſunt; nam Bonum amoris & fidei eſt imago Domini.

66. Erant apud me ſpiritus Telluris Jovis cum legerem XVII Caput apud Johannem, de Domini Amore & de Ipſius Glorificatione; cumque audiverunt illa quæ ibi, ſanctum illos occupabat, & confeſſi quod omnia ibi eſſent Divina: at tunc ſpiritus noſtræ Telluris, qui infideles fuerunt, jugiter ſuggerebant ſcandala, dicendo, quod natus infans, vixerit homo, apparuerit ſicut alius homo, quod crucifixus, & alia ſimilia: ſed ſpiritus Telluris Jovis ad illa nihil attendebant; dicebant, quod tales ſint eorum diaboli, quos abhorrent; addentes, quod prorſus nihil cœleſte inſideat mentibus illorum, ſed modo terrenum, quod vocabant ſcorias: quod ita ſit, dicebant ſe quoque compertos fuiſſe ex eo, quod, cum audirent quod in Tellure ſua ambularent nudi, illico tunc obſcænum occupaverit cogitationes illorum, & quod prorſus nihil cogitaverint de cœleſti illorum vita, de qua etiam tunc audiverunt.

67. Spiritus Joviales in quam clara perceptione de rebus ſpiritualibus ſunt, conſtare mihi potuit ex repræſentatione illorum, quomodo Dominus convertit pravas affectiones in bonas: repræſentabant Mentem intellectualem ut formam pulchram, ac ei indebant activitatem formæ convenientem pro affectionis vita: quod fecerunt modo qui vocibus deſcribi nequit, tam dextre ut collaudati ab angelis. Aderant tunc eruditi ex noſtra Tellure, qui intellectuale immerſerant terminis ſcientificorum, & multa ſcripſerunt & cogitaverunt de forma, de ſubſtantia, de materiali & immateriali, & de ſimilibus,

 ac

ac talia ad nullum usum applicuerunt; hi ne quidem repræsentationem illam comprehendere potuerunt.

68. In Tellure illorum quam maxime cavetur, ne aliquis labatur in pravas opiniones de Unico Domino; & si animadvertunt quod aliqui incipiant de Ipso sinistre cogitare, primum admonent illum, dein per minas, & tandem per pœnas absterrent: dixerunt, quod observaverint, si tale quid irrepit in aliquam familiam, quod illa tollatur e medio, non per pænas mortis a sodalibus, sed per privationem respirationis & inde vitæ a spiritibus, postquam ii primum mortem illis denuntiaverunt: nam in illa tellure loquuntur spiritus cum illis, & castigant illos si malum fecerunt, & quoque si malum intenderunt facere, de qua re in sequentibus; inde si male cogitant de Unico Domino, si non resipiscunt, denuntiatur illis mors: hoc modo conservatur ibi Cultus Domini, qui illis est Supremum Divinum.

69. Dicebant, quod non habeant festos dies, sed quod quolibet mane, oriente sole, & qualibet vespera, occidente sole, cultum sanctum Unico Domino in Tentoriis suis faciant; & quod etiam suo modo psallant.

70. Porro instructus sum, quod in illa Tellure etiam sint qui se Sanctos vocant, ac imperant sub pœna famulis, quos multiplicant, ut se dominos appellent; prohibent etiam illis ut adorent Dominum Universi, dicentes quod illi domini mediatores sint, & quod supplicationes eorum ad Dominum universi allaturi sint. Dominum universi, qui est Dominus noster, non vocant Unicum Dominum, sicut reliqui, sed Supremum Dominum, ex causa quia etiam illi se dicunt dominos. Vocant illi Solem mundi faciem Supremi Domini, & ibi credunt domicilium Ipsius esse, quapropter etiam Solem adorant. Illos reliqui incolæ aversantur, & cum illis conversari non volunt, tam quia Solem adorant, quam quia dominos se vocant, & a famulis suis coluntur sicut dii mediatores. Ostensum mihi erat a Spiritibus Tegumentum Capitis illorum, quod fuit pileus turritus coloris obscuri. In altera vita tales apparent ad sinistrum in aliqua altitudine, ac ibi sedent sicut idola, & quoque initio a famulis, qui apud tales fuerunt, coluntur; sed postea ab iis quoque derisui habentur. Quod miratus, ibi lucent facie, sicut ab igne, quod trahunt ex eo, quod crediderint se sanctos fuisse; sed tametsi apparent facie sicut ignei, usque sunt frigidi, & impense cupiunt calefieri; inde patet, quod ignis, ex quo lucent, sit ignis amoris sui & fatuus. Iidem, ut calefiant, ligna secare sibi videntur, & cum secant, sub lignis apparet quid hominis, quem tunc simul conantur percutere; hoc fit inde, quia sibi tribuunt meritum & sanctitatem; qui hoc faciunt in mundo, in altera vita videntur sibi ligna secare; ut quoque aliqui e nostra Tellure, de quibus alibi actum est; ut res illustretur, licet experientiam de his quoque adducere, "In inferiore terra sub plantis pedum, sunt etiam illi qui meritum posuerunt in beneactis & operibus; plures eorum apparent sibi ligna secare; locus, ubi sunt, est frigidior, & videntur sibi calorem acquirere per laborem suum: cum illis etiam loquutus sum, & illis dicere datum, numne vellent ex

" loco illo exire, dicebant quod adhuc per laborem non meruerint: at cum " ſtatus ille peractus eſt, inde eximuntur; ſunt illi naturales, quia velle me- " reri ſalutem, non eſt ſpirituale, venit enim a proprio, non a Domino; & " præterea præferunt ſe aliis, & quidam eorum contemnunt alios: illi ſi non " gaudium præ reliquis in altera vita recipiunt, indignantur contra Domi- " num, quapropter cum ſecant ligna, apparet quaſi quid Domini ſub lignis; " hoc ex indignatione *(dd)*.

71. Commune eſt in illa Tellure, quod Spiritus loquantur cum incolis, & inſtruant eos, & quoque caſtigent ſi male egerant; de qua re quia plura mihi ab Angelis eorum relata ſunt, velim ordine illa memorare. Quod Spiritus ibi cum hominibus loquantur, eſt cauſa quia: multum cogitant de cœlo, & de vita poſt mortem; & quod de vita mundi reſpective parum ſolliciti ſint; ſciunt enim quod victuri cum obeunt, & in ſtatu felici ſecundum ſtatum Interni ſui hominis formatum in mundo. Loqui cum Spiritibus & Angelis etiam commune fuit in hac Tellure antiquis temporibus, ex ſimili cauſa, quod nempe cogitaverint de cœlo & parum de mundo: ſed communicatio illa viva cum cœlo tempore clauſa eſt, ſicut homo ab Interno factus eſt Externus, ſive quod idem, ſicut cogitare cæpit multum de mundo, & parum de cœlo; & magis cum non amplius crederet dari cœlum nec infernum, nec in ſe eſſe hominem ſpiritum qui vivat poſt mortem: hodie enim creditur, quod corpus vivat ex ſe, & non ex ſuo ſpiritu; quare niſi homo nunc fidem haberet, quod cum corpore reſurrecturus eſſet, nullam de reſurrectione fidem haberet.

72. Quod præſentiam ſpirituum apud incolas Telluris Jovis in ſpecie attinet, ſunt ſpiritus qui caſtigant, ſunt qui inſtruunt, & ſunt qui regunt illos: ſpiritus qui caſtigant, applicant ſe lateri ſiniſtro, & ſe inclinant verſus tergum, & cum ibi, depromunt ex memoria hominis omnia ejus facta & cogitata: hoc enim ſpiritibus facile eſt, nam cum ad hominem alluunt, in omnem ejus memoriam veniunt *(i)*. Si inveniunt quod male egerit, aut male cogitaverit, redarguunt illum, & quoque caſtigant dolore artuum, pedum ſive manuum, aut dolore circa epigaſtricam regionem; hoc quoque poſſunt ſpiritus dextre quando permittitur; tales cum ad hominem veniunt, incutiunt horrorem cum timore, inde ſcit homo adventum eorum: incutere timorem poſſunt mali ſpiritus cum aliquem adeunt, imprimis illi, qui dum vixerunt in mundo, fuerunt latrones. Ut ſcirem, quomodo illi ſpiritus faciunt, cum ad hominem ſuæ Telluris veniunt, permiſſum fuit, ut talis ſpiritus etiam me adiret; quando prope erat, horror cum timore me occupavit manifeſte; at non interius ſed exterius horrui, quia novi quod talis ſpiritus eſſet;

(dd) Quod ſoli Domino Meritum & Juſtitia, n: 9715. 9975. 9979. 9981. 9982. Qui meritum ponunt in operibus, ſeu per bona quæ faciunt, volunt mereri cœlum, quod in altera vita velint ſerviri, & quod nuſquam contenti ſint, n: 6393. Quod contemnant proximum, & iraſcantur Ipſi Domino, ſi non mercedem recipiunt, n: 9976. Sors illorum in altera vita qualis, n: 942. 1774. 1877. 2027. Quod ſint ex illis qui in terra inferiore apparent ligna ſecare, n: 1110. 4943.

esset; visus etiam est, & apparuit sicut nubes obscura cum stellis mobilibus in nube; stellæ mobiles significant falsitates, at stellæ fixæ veritates *(u)*: is se applicuit sinistro meo lateri versus tergum; & quoque incepit me redarguere ex factis & cogitatis, quæ deprompsit ex memoria mea, & quoque sinistre interpretabatur; sed impeditus est ab angelis: cum appercepit quod apud alium quam suæ Telluris hominem esset, cæpit mecum loqui & dicere, quod omnia & singula, quæ homo egit & cogitavit, cum venit ad illum, sciat; tum quod severe redarguat illum, & quoque castiget variis doloribus. Alio tempore etiam venit ad me talis spiritus castigator, & applicuit se lateri meo sinistro infra medium corporis, ut prior, qui etiam voluit punire; sed etiam is arcebatur ab angelis: ostendebat mihi usque punitionum genera, quæ illis permittuntur inferre hominibus suæ Telluris, si male agunt & male agere intendunt; erant, præter dolorem artuum, etiam coarctatio dolorifica circa medium ventrem, quæ sentitur sicut compressio a cingulo acuto; tum etiam erat respirationis sublatio per vices usque ad angustias; & quoque inhibitio ne aliquid præter panem ederent ad tempus; demum denuntiatio mortis, si similia facere non intermitterent, & tunc privatio gaudii ex conjuge, liberis & consociis; dolor inde tunc quoque insinuatur.

73. Spiritus autem qui instruunt, applicant se quoque lateri eorum sinistro, sed magis antrorsum, redarguunt etiam, sed leniter, & mox docent quomodo victuri: apparent illi etiam obscuri, at non ut priores sicut nubes, sed sicut saccis induti: hi vocantur Instructores, priores autem Castigatores. Cum Spiritus illi adsunt, etiam Spiritus Angelici adsunt, hi assident capiti, & id peculiari modo implent; percipitur etiam præsentia illorum ibi sicut lenis aspiratio, nam timent ne homo ex illorum allapsu & influxu vel minimum doloris aut anxietatis percipiat: illi regunt spiritus castigatores & instructores, illos ne homini pejus faciant quam permittitur a Domino, hos ut verum dicant. Cum spiritus castigator apud me erat, etiam tunc spiritus angelici aderant, & tenebant faciem meam continue hilarem & ridentem, ac regionem circa labra prominentem, ac os meum paulo apertum; hoc faciunt angeli per influxum facile, cum a Domino permittitur: dicebant quod talem vultum inducant incolis Telluris suæ cum adsunt.

74. Si homo post castigationem & instructionem iterum malum facit, aut malum cogitat facere, & semet non ex præceptis veri inhibet, tunc, cum redit spiritus castigator, severius punitur: sed Angelici Spiritus moderantur punitionem secundum intentionem in factis, & secundum voluntatem in cogitatis. Ex his constare potuit, quod Angeli eorum, qui capiti adsident, speciem judicationis habeant super hominem, quoniam permittunt, moderantur, inhibent, & influunt: sed dictum est, quod illi non judicent, verum quod Solus Dominus sit Judex, & quod ab Ipso influant penes illos omnia quæ Spiritibus castigatoribus & instructoribus præcipiunt, & quod id appareat sicut ab illis.

75. Spiritus ibi loquuntur cum homine, non autem vicissim homo cum spiritibus, solum hæc verba quando instruitur, *quod non amplius ita faciet*: nec

nec licet ei dicere alicui, quod spiritus cum illo loquutus sit, si hoc facit, postea punitur. Putabant Spiritus illi Joviales, cum apud me erant, principio, quod essent apud hominem suæ telluris; sed cum loquerer vicissim cum illis, & quoque quod cogitarem talia velle publico dare, & sic dicere aliis, & quia tunc non licebat illis castigare nec instruere, animadvertebant quod apud alium essent.

76. Sunt bina signa, quæ apparent spiritibus illis, cum apud hominem sunt; vident virum albentis faciei antiquum, hoc signum est, ne aliud dicant quam verum, ac faciant quam justum: vident etiam faciem in fenestra, hoc signum est ut inde discedant. Visus est mihi etiam antiquus ille; & quoque visa facies in fenestra; qua visa spiritus illi statim a me discesserunt.

77. Præter spiritus, de quibus nunc memoratum est, dantur etiam spiritus qui contraria suadent; sunt illi, qui, dum vixerunt in mundo, e societate aliorum exterminati sunt, quia mali: quando alluunt, apparet quasi ignis volans, qui prope faciem delabitur: se locant infra ad posteriora hominis, & inde versus superiora loquuntur. Loquuntur contraria illis, quæ spiritus instructor ab angelis dixit, quod nempe non vivendum secundum instructionem, sed ex arbitrio & in licentia, & similia. Ut plurimum veniunt postquam abiverunt priores spiritus: at homines ibi sciunt, quinam & quales illi spiritus sunt, & ideo nihil curant illos; sed usque ita discunt quid malum, & sic quid bonum; nam per malum discitur quid bonum, quippe quale boni ex suo contrario noscitur; omnis perceptio rei est secundum reflexionem relativam ad discrimina ex contrariis vario modo & vario gradu.

78. Spiritus castigatores & instructores, non adeunt illos qui se vocant sanctos & dominos mediatores, de quibus supra n: 70, sicut alios in illa Tellure, quia non se instrui patiuntur, nec emendantur per disciplinam; sunt inflexibiles, quia ex amore sui id faciunt: spiritus dicebant, quod ex frigore cognoscant quod illi sint, & quod cum appercipiunt frigus, ab illis discedant.

79. Sunt etiam Spiritus inter Joviales, quos caminorum purgatores vocant, quia in veste illis simili apparent & quoque facie fuliginosa; quinam illi sint, & quales, licet etiam describere. Venit quidam talis spiritus ad me, & sollicite petiit ut intercederem pro illo ut venire posset in cœlum; dicebat, quod non sciat quod malum egerit, solum quod increpaverit incolas telluris, adjecit quod postquam increpavit, illos instruxerit: applicuit se ad latus meum sinistrum sub ulna, & loquebatur quasi bifide; is etiam potuit miserationem movere: sed non aliud potui respondere, quam quod nihil opis ferre possim, & quod id unice Domini sit; nec intercedere, quia non scio num utile, vel non; at si dignus, quod posset sperare: tunc remissus est inter spiritus probos qui ex sua tellure; sed ii dicebant, quod non posset esse in eorum consortio, quia non talis; at quia usque ex intenso desiderio flagitabat ut intromitteretur in cœlum, missus est in societatem proborum spirituum hujus telluris; verum etiam hi dicebant, quod cum illis non esse posset: erat etiam nigri coloris in luce cœli, verum dixit ipse quod non esset coloris nigri sed murrhini.

murrhini. Dictum mihi, quod tales sint principio, qui dein recipiuntur inter illos qui constituunt provinciam Vesicularum Seminalium in Maximo Homine seu Cœlo; in Vesiculis enim illis colligitur semen, ac circuminduitur materia conveniente, apta ad conservandum seminis prolificum ne dissipetur, at quæ exui potest in cervice uteri, ut sic quod intus reservatum est inserviat conceptioni, seu impregnationi ovuli; inde quoque est seminali illi materiæ conatus & quasi flagrans desiderium se exuendi, & relinquendi semen ut præstet usum: simile quid etiam apparuit apud illum spiritum: is venit adhuc ad me, in vestitu vili, & dicebat iterum quod arderet venire in cœlum, & quod nunc apperciperet se talem esse ut posset; dicere ei tunc dabatur, quod forte id indicium sit quod brevi recipiatur: dicebatur tunc ei ab angelis, ut rejiceret vestem, is ex desiderio tam cito illam rejiciebat, ut vix aliquid citius: per quod repræsentabatur qualia illorum desideria sunt, qui in provincia, cui Vesiculæ seminales correspondent. Dictum, quod tales, cum præparati ad cœlum, exuantur vestibus suis, ac induantur novis splendentibus, ac fiant angeli. Hos assimilabant vermiculis, qui peracto statu vili mutantur in nymphas & sic in papiliones, quibus tunc datur amictus alius, & quoque dantur alæ coloris cærulei, flavi, argentei aut aurei; & tunc libertas volandi in aere ut in suo cœlo, ac conjugia celebrandi, ponendique ova, & sic prospiciendi propagationi sui generis; ac tunc simul addicantur illis victus dulces & amæni ex succis & odoribus variorum florum.

80. In præcedentibus nondum dictum est, quales sunt Angeli qui ex illa Tellure; qui enim ad homines suæ telluris veniunt & assident capiti, de quibus supra n: 73, non sunt angeli in eorum cœlo interiori, sed sunt spiritus angelici seu angeli in cœlo eorum exteriori; & quia mihi detectum est, quales etiam sunt Angeli illi, licet memorare, quæ de illis quoque scire datum est. Quidam ex spiritibus Jovis, qui timorem incutiunt, appulit ad sinistrum meum latus sub ulna, ac inde loquebatur, sed loquela ejus erat stridens, voces nec erant admodum discretæ ac inter se separatæ, adeo ut diu exspectare deberem antequam colligerem sensum, & cum loquebatur, etiam interjiciebat aliquid timoris; monens etiam sic ut ego Angelos, cum veniunt, bene excipiam; sed respondere dabatur, quod hoc meum non sit, sed quod apud me excipiantur omnes sicut ipsi sunt. Mox veniebant Angeli illius telluris, & dabatur percipere ex loquela mecum, quod prorsus differrent ab Angelis nostræ telluris; loquela enim eorum fiebat non per voces, sed per ideas quæ se per interiora mea undequaque diffundebant; & inde quoque influxum habebant in faciem, sic ut facies ad singula concurreret, incipiendo a labiis, & pergendo versus circumferentiam undequaque: ideæ, quæ loco vocum erant, discretæ erant, sed perparum. Postea loquebantur mecum per ideas adhuc minus discretas, adeo ut vix aliquid interstitiale perciperetur; erat in mea perceptione sicut sensus vocum apud illos qui solum ad sensum abstracte a vocibus attendunt; hæc loquela mihi intelligibilior priori erat, & quoque erat plenior: influebat similiter ac prior in faciem; sed influxus erat secundum quale loquelæ magis continuus; verum non incepit ut prior a

 labiis,

labiis, sed ab oculis. Postea loquebantur adhuc continuius & plenius; & tunc facies non potuit conveniente motione concurrere; sed sentiebatur influxus in Cerebrum, & quod illud tunc similiter ageretur. Ultimo loquebantur ita, ut sermo solum caderet in intellectum interiorem; erat volubilitas ejus sicut auræ tenuis; ipsum influxum sentiebam, sed non distincte singula. Loquelæ hæc genera se habebant sicut fluida, primum genus sicut aqua fluens, altera sicut aqua tenuior; tertium sicut atmosphæra respective; & quartum sicut aura tenuis. Spiritus, qui a latere sinistro erat, de quo supra, quandoque interloquebatur, imprimis monens ut cum angelis suis modeste agerem; erant enim spiritus e nostra tellure quæ inferebant talia quæ displicerent: dicebat, quod non intellexerit quid angeli loquebantur, sed quod postea quando admotus auri meæ sinistræ: tunc quoque ei loquela erat non stridens ut prius sed qualis est aliis spiritibus.

81. Postea loquebar cum angelis de memoralibus in nostra Tellure, præcipue de Typis hic, de Verbo, de Doctrinalibus Ecclesiæ ex Verbo variis, & dicebam, quod Verbum & Doctrinalia exstent vulgata & sic discantur; mirabantur valde, quod talia vulgari possent per scripta & per typos.

82. Datum est videre, quomodo fit cum Spiritus illius telluris, postquam præparati sunt, auferuntur in cœlum, & fiunt angeli: apparent tunc Currus & Equi lucidi sicut ignei, a quibus similiter ac Elias auferuntur: quod currus & equi lucidi sicut ignei appareant, est quia ita repræsentatur, quod instructi & præparati sint ut intrent cœlum; quoniam Currus significant doctrinalia Ecclesiæ, & Equi lucidi intellectum illustratum *(ee)*.

83. Cœlum, in quod auferuntur, apparet a dextro ad tellurem eorum, ita separatum a cœlo angelorum nostræ telluris. Angeli, qui in illo cœlo, apparent induti cæruleo splendente aureis stellulis punctato; & id ex causa, quia in mundo amaverunt illum colorem, crediderunt etiam eum esse ipsissimum cœlestem, imprimis quia in tali bono amoris sunt, quali ille color correspondet *(ff)*.

84. Visum est mihi Calvitium, sed modo suprema ejus pars, quæ ossea; & dicebatur, quod tale videant illi, qui intra annum morituri sunt, & quod tunc se præparent. Ibi mortem non timent, nisi propter quod relinquant conjugem, liberos, aut parentes, nam sciunt quod post mortem victuri sint; & quod e vita non abeant quia in cœlum; quapropter mori non vocant mori, sed cœlificari. Qui in illa tellure vixerunt in amore vere conjugiali,

---

(ee) Quod currus significent doctrinalia Ecclesiæ, n: 2760. 5321. 8215. Quod Equi intellectuale, n: 2760. 2761. 2762. 3217. 5321. 6125. 6400. 6534. 7024. 8146. 8148. 8381. Quod Equus albus in Apocalypsi intellectum Verbi, n: 2760. Quod per Eliam in sensu repræsentativo intelligatur Verbum, n: 2762. 5247. Et quia ex Verbo omnis doctrina Ecclesiæ & ejus intellectus, quod Elias dictus sit Currus Israelis & Equites ejus, n: 2762. Quod ideo ille per currum igneum & equos igneos sit sublatus, n: 2762. 8029.

(ff) Quod Cæruleum ex rubro seu flammeo correspondeat bono amoris cœlestis; & cæruleum ex albo seu lucido correspondeat bono amoris spiritualis, n: 9868.

& curam liberorum, ſicut parentes decet, habuerunt, illi non moriuntur per morbos, ſed tranquille ſicut in ſomno; ac ita tranſmigrant e mundo in cœlum. Ætas hominum ibi ut plurimum eſt triginta annorum, ſecundum annos noſtræ telluris: cauſa quod intra ſpatium temporis tam breve moriantur, eſt ex Providentia Domini, ne copia hominum ibi creſcat ultra numerum quam qui a tellure illa ſuſtentari poſſit; & quia poſtquam impleverunt illos annos, non patiuntur ſe duci per ſpiritus & angelos, ſicut qui nondum impleverunt, quapropter ſpiritus & angeli raro adultiores adeant; matureſcunt etiam citius quam in noſtra tellure; etiam in primo flore juventutis ſociant conjugia; & tunc illorum delitiæ ſunt amare conjugem, & curam liberorum habere; cæteras delitias quidem delitias vocant, ſed reſpective externas.

De Tellure ſeu Planeta Martis, deque ejus Spiritibus & Incolis.

85. SPiritus Martis ſunt inter Spiritus, qui ex telluribus Mundi hujus Solis ſunt, omnium optimi, ſunt enim quoad plurem partem ut Cœleſtes homines, non abſimiles illis qui ab Antiquiſſima Eccleſia in hac Tellure fuerunt *(gg)*. Quando repræſentantur quales ſunt, repræſentantur facie in cœlo & corpore in mundo ſpirituum; & qui eorum angeli ſunt, facie verſus Dominum, & corpore in cœlo.

86. Planeta Martis apparet in idea ſpirituum & angelorum, ſicut planetæ alibi, in ſuo loco conſtanter, & quidem ad ſiniſtrum antrorſum ad aliquam diſtantiam in plano pectoris, & ſic extra ſphæram ubi ſunt ſpiritus noſtræ Telluris. Spiritus unius Telluris ſeparati ſunt a ſpiritibus alius telluris, ex cauſa, quia ſpiritus cujuſvis Telluris referunt aliquam peculiarem provinciam in Maximo Homine *(f)*: ac inde in alio & diverſo ſtatu ſunt; & diverſitas ſtatus facit, ut a ſe mutuo vel ad dextrum vel ad ſiniſtrum, ad diſtantiam majorem vel minorem, ſeparati appareant *(hh)*.

87. Spiritus inde ad me veniebant, & ſe applicabant ſiniſtro meo tempori, & ibi me afflabant loquela, ſed illam non intelligebam; erat quoad fluxum molliuſcula; molliorem non prius perceperam, erat ſicut molliſſima aura; afflabat illa primum ſiniſtrum tempus, & ſiniſtram aurem ſuperne; & afflatus inde pergebat ad ſiniſtrum oculum, & paullatim ad dextrum, & defluebat dein,

(gg) Quod Prima & Antiquiſſima Eccleſia in hac Tellure fuerit Eccleſia cœleſtis, quæ omnium primaria, de qua, n: 607. 895. 920. 1121. 1122. 1123. 1124. 2896. 4493. 8891. 9942. 10545. Quod Eccleſia cœleſtis dicatur, in qua principale eſt amor in Dominum, Eccleſia autem ſpiritualis in qua principale eſt charitas erga proximum & fides, n: 3691. 6435. 9468. 9680. 9683. 9780.

(hh) Quod diſtantiæ in altera vita ſint apparentiæ reales, quæ a Domino ſiſtuntur videndæ ſecundum ſtatus interiorum Angelorum & Spirituum, n: 5604. 9104. 9440. 10146.

dein, imprimis a ſiniſtro oculo, ad labia; & cum ad labia, intrabat per os, & per viam intra os, & quidem per Tubam Euſtachianam, in Cerebrum; cum afflatus illuc pervenit, tunc loquelam eorum intellexi, & loqui datum eſt cum illis: obſervabam, cum loquerentur mecum, quod labia apud me moverentur, & parumper etiam lingua, hoc propter correſpondentiam loquelæ interioris cum loquela exteriore: exterior loquela eſt ſoni articulati labentis verſus membranam auris externam, & exinde mediis organulis, membranis & fibris, quæ intus in aure, aufertur in Cerebrum. Ex his ſcire datum eſt, quod loquela incolarum Martis diverſa eſſet a loquela incolarum noſtræ Telluris, quod nempe non ſonora, ſed pæne tacita, ſe in auditum & viſum interiorem per breviorem viam inſinuans; & quia talis, quod perfectior eſſet, plenior ideis cogitationis, ita propius accedens ad loquelam ſpirituum & angelorum; ipſa etiam loquelæ affectio repræſentatur apud illos in facie, & ejus cogitatio in oculis; nam cogitatio & loquela, tum affectio & facies, apud illos unum agunt; reputant pro nefario aliud cogitare & aliud loqui, ac aliud velle & aliud facie oſtendere; non ſciunt quid hypocriſis, ac quid ſimulatio fraudulenta & dolus. Quod talis loquela etiam fuerit Antiquiſſimis in noſtra Tellure, per converſationem cum quibuſdam ex illis in altera vita datum eſt ſcire; utque hæc res elucidetur, licet referre quæ audita ſunt, quæ ſunt ſequentia, "Oſtenſum eſt mihi per influxum, quem "deſcribere non poſſum, qualis loquela fuerat illis qui ab Antiquiſſima Ec-"cleſia *(gg)*: quod nempe non articulata, ſicut loquela vocum noſtri tempo-"ris, ſed tacita, quæ fiebat non per reſpirationem externam ſed per internam, "ita erat loquela cogitativa; appercipere etiam datum eſt, qualis illorum "reſpiratio interna fuit; quod proceſſerit ab umbilico verſus cor, & ſic per "labia abſque ſonoro cum loquebantur; & quod non intraverit in alterius "aurem per viam externam, & pulſaverit in quoddam, quod vocatur tym-"panum auris, ſed per viam quandam internam, & quidem per quoddam "ibi, quod vocatur hodie Tuba Euſtachiana. Oſtenſum, quod per talem "loquelam multo plenius potuerint exprimere ſenſa animi & ideas cogita-"tionis, quam uſquam fieri poteſt per ſonos articulatos aut voces ſonoras, "quæ loquela ſimiliter dirigitur per reſpirationem, ſed externam, nam nulla "vox eſt, imo nec quicquam in voce, quæ non dirigitur per applicationes "reſpirationis; ſed apud illos multo perfectius, quia per reſpirationem inter-"nam, quæ quia interior etiam perfectior eſt, & ipſis ideis cogitationis ap-"plicabilior ac conſormior; præter etiam per labiorum motiunculas, & cor-"reſpondentes faciei mutationes; nam, quoniam Cœleſtes homines fuerunt, "quicquid cogitabant, hoc e facie & oculis eorum elucebat, quæ confor-"miter variabantur, facies quoad formam ſecundum vitam affectionis, & "oculi quoad lucem; nuſquam potuerunt alium vultum præferre, quam "ſecundum illa quæ cogitabant: quia illis loquela fuit per internam reſpi-"rationem, quæ eſt ipſius ſpiritus hominis, ideo cum angelis potuerunt con-"ſortium habere & loqui." Reſpiratio ſpirituum Martis etiam mecum

 com-

communicata fuit *(ii)*, & perceptum, quod illorum respiratio procederet e regione thoracis versus umbilicum, & inde flueret sursum per pectus cum imperceptibili halitu versus os: ex quibus constare mihi potuit, tum quoque ab aliis experientiæ documentis, quod cœlesti genio essent, ita quod non essent absimiles illis qui ab Antiquissima Ecclesia in hac Tellure.

88. Instructus sum, quod Martis Spiritus in Maximo Homine referant medium inter Intellectuale & Voluntarium, ita COGITATIONEM EX AFFECTIONE, & qui optimi illorum sunt, AFFECTIONEM COGITATIONIS: inde est, quod facies illorum unum agat cum cogitatione illorum, nec coram aliquo simulare possint. Et quia illud in Maximo Homine referunt, Provincia media, quæ est inter Cerebrum & Cerebellum illis correspondet: nam apud quos Cerebrum & Cerebellum conjuncta sunt quoad operationes spirituales, apud illos facies unum agit cum cogitatione, sic ut e facie ipsa affectio cogitationis eluceat, & ex affectione, aliquibus signis ex oculis quoque prodeuntibus, commune cogitationis: quapropter cum apud me erant, sensibiliter appercepi retractionem anterioris partis capitis versus occiput, ita cerebri versus cerebellum *(kk)*.

89. Quondam cum spiritus Martis apud me essent, & occuparent sphæram mentis meæ, adveniebant spiritus e nostra Tellure, & se quoque in sphæram illam infundere volebant: sed tunc spiritus nostræ Telluris facti sunt sicut insani; ex causa, quia prorsus non conveniebant; Spiritus enim nostræ Telluris in Maximo Homine referunt Sensum Externum, inde erant hi in idea versa ad mundum & ad se, spiritus autem Martis in idea versa a se ad cœlum & ad proximum; inde erat contrarietas: sed tunc adveniebant Spiritus Angelici Martis, ex quorum adventu communicatio adempta est; & sic Spiritus nostræ Telluris recesserunt.

90. Angelici spiritus loquuti sunt mecum de vita incolarum in Tellure sua, quod non sub imperiis sint, sed quod distincti in societates majores & minores, & quod ibi sibi consocient tales qui conveniunt animis; & quod hoc sciant illico ex facie & loquela; quodque id illos raro fallat; sunt tunc illico amici. Dicebant etiam, quod consociationes illorum sint jucundæ; & quod inter se loquantur de iis rebus quæ in societatibus fiunt; imprimis quæ in cœlo, nam plures illorum manifestam communicationem habent cum Angelis cœli. Qui in societatibus illorum incipiunt sinistre cogitare, & inde male velle, illi dissociantur, relinquunt illos sibi solis, unde degunt extra societatem admodum misere, in petris aut alibi, nam illos non amplius curant. Quædam societates variis modis ad resipiscentiam tales cogere tentant; sed cum

(ii) Quod Spiritibus & Angelis respiratio sit, n: 3884. 3885. 3891. 3893.

(kk) Quod facies humanæ in nostra Tellure antiquis temporibus influxum receperint ex Cerebello, & quod tunc facies cum affectionibus interioribus hominis unum egerint; sed quod postea receperint influxum ex Cerebro, quando homo cæpit simulare ac mentiri facie affectiones non suas; de mutationibus faciebus inductis inde successu temporis, n: 4325 ad 4328.

cum hoc incaſſum fit, ab illis ſe diſſociant. Ita præcavent, ne cupiditas dominii & cupiditas lucri irrepant, hoc eſt, ne aliqui ex cupiditate dominii ſibi ſubjiciant ſocietatem aliquam, & dein plures alias, & ne aliqui ex cupiditate lucri bona aliis eripiant; quiſque ibi ſuis bonis contentus vivit, & quiſque ſuo honore, quod audiat juſtus & proximi amans; hoc jucundum & tranquillum animi periturum foret, niſi illi qui male cogitant & male volunt, ejicerentur, & niſi prudenter & ſevere obviam irent in ipſis initiis amori ſui & amori mundi; hi enim amores ſunt, propter quos Imperia & Regna facta ſunt, intra quæ pauci ſunt qui non dominari volunt, ac poſſidere bona aliorum, nam pauci ſunt qui juſtum & æquum ex amore juſti & æqui faciunt, minus qui bonum ex ipſa charitate, ſed ex timore legis, vitæ, jacturæ lucri, honoris, & famæ propter illa.

91. De cultu habitatorum terræ Divino dicebant, quod Dominum noſtrum agnoſcant & adorent, dicentes quod Ipſe ſit Solus Deus, & quod Ipſe regat & Cœlum & Univerſum; quodque omne bonum ab Ipſo ſit, & quod Ipſe illos ducat; tum quod apud illos in Tellure ſæpius appareat: illis tunc dicere dabatur, quod etiam Chriſtiani in noſtra Tellure ſciant quod Dominus regat cœlum & terram, ex Ipſius Domini verbis apud Matthæum, "*Data eſt Mihi omnis poteſtas in Cœlo & in Terra,*" XXVIII: 18; ſed quod id non credant ſicut illi qui ex Tellure Martis. Dicebant etiam, quod ibi credant, quod apud illos nihil niſi quam ſpurcum & infernale ſit, & quod omne bonum ſit Domini; imo amplius dicebant, quod ex ſe ſint diaboli, & quod Dominus ex inferno illos extrahat, & continue detineat. Quondam, cum nominabatur Dominus, vidi quod ſpiritus illi humiliarent ſe tam intime & profunde, ut deſcribi nequeat: in humiliatione enim illis erat cogitatio, quod illi ex ſe in inferno ſint, & quod ſic prorſus indigni ut ſpectent ad Dominum, Qui Ipſum Sanctum eſt; in illa cogitatione ex fide ita profunde erant, ut eſſent quaſi extra ſe, inque illa permanſerunt ſuper genubus, uſque dum Dominus elevaret illos, & tunc quaſi extraheret ab inferno; cum ſic ex humiliatione emergunt, ſunt pleni bono & amore, & inde gaudio cordis. Cum ita ſe humiliant, non faciem convertunt ad Dominum, hoc enim tunc non audent, ſed avertunt. Spiritus qui circum me erant, dicebant quod talem humiliationem nuſquam viderint.

92. Mirabantur quidam Spiritus, qui ex illa Tellure, quod circum me eſſent tot ſpiritus ex inferno, & quod illi ad me quoque loquerentur; ſed reſpondere datum eſt, quod hoc illis permittatur, ob cauſam, ut ſciam quales ſunt, & cur in inferno ſunt, & quod hoc ſit ſecundum vitam eorum: etiam dicere datum eſt, quod plures inter illos eſſent, quos cognoveram cum vixerunt in mundo, & quod quidam eorum tunc in magna dignitate conſtituti fuerint, quibus tunc nihil niſi quam mundus cordi fuit: ſed quod nuſquam aliquis malus ſpiritus, etiam maxime infernalis, mihi damnum inferre poſſit, quia continue tutatus a Domino.

93. Siſtebatur mihi Incola telluris illius; non quidem erat incola, ſed ſimilis ei; facies ejus erat qualis facies incolarum noſtræ telluris, ſed regio

inferior.

inferior faciei erat nigra, non ex barba, quam non habebat, sed ex nigredine loco ejus: nigredo illa se usque sub aures utrinque extendebat; superior pars faciei erat flavescens, sicut facies incolarum nostræ Telluris, qui non prorsus candidi sunt. Porro dicebant, quod in tellure vescantur fructibus arborum, imprimis fructu quodam rotundo, qui ex terra illorum egerminatur; præter etiam leguminibus. Quod vestiantur ibi vestibus, quas ex fibris corticeis quarundam arborum conficiunt, quæ illam consistentiam habent, ut contexi queant, & quoque conglutinari per genus gummi quod apud illos. Narrabant insuper quod ignes fluidos ibi sciant facere, ex quibus lucem temporibus vesperæ & noctis habent.

94. Videbam flammeum quoddam pulcherrimum, erat varii coloris, purpureum, tum ex candido rubescens, colores etiam ex flamma pulchre rutilabant: quandam etiam manum videbam, cui flammeum hoc adhæsit, primum inversæ ejus parti, postea palmæ seu volæ, & inde lambebat manum circumcirca: hoc aliquanto tempore perstitit: dein manus hæc cum flammeo removebatur ad distantiam, & ubi substitit, erat lucidum; in lucido illo recessit manus; & tunc flammeum illud mutabatur in Avem, quæ principio erat similibus coloribus cum flammeo, & colores similiter coruscabant, sed colores illi successive mutati sunt, & cum coloribus vitæ vigor in Ave: volabat circumcirca, & primum circum caput meum, dein antrorsum in angustum quoddam conclave, quod apparebat instar adyti, & sicut volabat antrorsum magis ita vita recessit, & facta est demum lapidea; primum tunc colore margaritico, postea obscuro; sed tametsi absque vita, usque volabat. Cum avis illa volabat circum caput, & adhuc in vitæ vigore erat, visus est spiritus ex inferiori per regionem lumborum ad regionem pectoris assurgens, is inde volebat auferre avem illam; sed quia tam pulchra erat, spiritus, qui circum me, inhibebant, visum enim suum in illa omnes tenebant: sed spiritus ille, qui ex inferiori assurrexit, fortiter illis persuasit, quod apud illum esset Dominus, & sic quod ex Domino id ageret; hoc tametsi plerique non credebant, usque tamen non amplius inhibebant, quin auferret Avem: at quia eo momento influebat cœlum, non potuit retinere illam, sed mox remisit e manu liberam. Cum hoc peractum est, Spiritus qui circum me, qui Avem illam & successivas ejus mutationes intense sunt intuiti, de illa inter se loquebantur, & hoc per insigne tempus: percipiebant quod tale visum non potuerit non quam Cœleste quoddam significare; sciebant quod flammeum significet amorem cœlestem & ejus affectiones; quod manus, cui flammeum adhærebat, vitam & ejus potentiam; colorum mutationes, vitæ varietates quoad sapientiam & intelligentiam; simile etiam Avis, sed cum differentia quod flammeum significet amorem cœlestem & quæ illius amoris sunt, & quod Avis significet amorem spiritualem & quæ illius amoris sunt; (Amor cœlestis est amor in Dominum, & Amor spiritualis est Charitas erga proximum *(gg)*: & quo dmutationes colorum & simul vitæ in Ave, usque dum facta lapidea, significet mutationes successivas vitæ spiritualis quoad intelligentiam: sciebant etiam, quod spiritus, qui ex inferiori per regionem lumborum

borum ad regionem pectoris ascendunt, in forti persuasivo sint, quod in Domino sint, & inde credant, quod omnia quæ faciunt, etiamsi mala, volente Domino faciant. Sed tamen non inde scire potuerunt, quinam per Visum hoc intelligerentur: tandem instructi sunt e cœlo, quod incolæ Martis intellecti sint; quod cœlestis eorum amor, in quo adhuc plures sunt, significatus sit per flammeum quod adhæsit manui; & quod avis in principio, cum in pulchritudine colorum suorum ac in vigore vitæ suæ esset, significaret amorem illorum spiritualem: quod autem avis illa facta sit sicut lapidea ac nullius vitæ, & tandem coloris obscuri, quod id significaret incolas, qui a bono amoris se removerunt, ac in malo sunt, & tamen usque credunt quod sint in Domino; simile significatum est per spiritum, qui assurgebat, & auferre volebat avem.

95. Per Avem lapideam etiam repræsentati sunt Incolæ illius telluris, qui vitam Cogitationum & Affectionum suarum peregrino modo transmutant in pæne nullam vitam, de qua re sequentia audivi. Erat quidem Spiritus supra caput meum, qui mecum loquutus est, ex sono appercipiebatur quasi in statu somni esset; in hoc statu loquebatur plura, & hæc tali prudentia ut vigil non prudentius: percipere dabatur, quod subjectum esset per quod Angeli loquerentur, & is in illo statu apperciperet id & produceret *(ll)*: non enim loquebatur nisi quod verum erat: si aliunde quid influeret, quidem admittebat, sed non producebat. Interrogavi illum de statu suo, dicebat, quod status ille ei esset status pacificus; & quod esset absque omni sollicitudine de futuris; & quod simul usus præstaret, per quos ei communicatio cum cœlo. Dictum mihi quod tales in Maximo Homine referant *Sinum Longitudinalem*, qui in cerebro inter bina ejus hæmisphæria jacet, & ibi in statu quieto, utcunque tumultuatur cerebrum utrinque. Cum in colloquutione cum hoc Spiritu eram, inferebant se Spiritus versus anteriorem partem Capitis, ubi ille, quem premebant, quare ille ad unum latus secessit, & illis locum dedit. Spiritus advenæ inter se loquebantur, sed nec spiritus circum me intelligebant, nec ego quid loquebantur: instruebar ab angelis, quod essent spiritus ex tellure Martis, qui callebant ita inter se loqui, ut præsentes spiritus non aliquid intelligerent, nec perciperent: mirabar, quod talis loquela dari posset, quia una loquela est omnibus spiritibus, quæ fluit ex cogitatione, & consistit ex ideis, quæ ut voces audiuntur in spirituali mundo: dicebatur, quod spiritus illi forment certo modo ideas expressas per labia & per faciem, aliis non intelligibiles, & quod eo momento subtrahant arte cogitationes, cavendo imprimis ne aliquid affectionis se manifestet, ex causa, si quid affectionis percipitur, quod tunc cogitatio pateret, cogitatio enim fluit ex affectione & quasi in illa. Instruebar porro, quod incolæ telluris Martis, qui vitam cœlestem in solis cognitionibus, & non in vita amoris, ponunt, talem loquelam

(ll) Quod per spiritus a societatibus Spirituum & Angelorum ad alias societates emissos fiant communicationes, & quod spiritus illi emissarii appellentur Subjecta, n: 4403. 5856. 5983. 5985 ad 5989.

loquelam effinxerint, non tamen omnes; & quod illi, cum fiunt ſpiritus, hoc retineant. Hi ſunt, qui in ſpecie per Avem lapideam ſignificati ſunt; nam per formationes vultus, & volutiones labiorum, cum remotione affectionum, & ſubtractione cogitationum ab aliis, ſiſtere loquelam, eſt loquelam exanimare, & illam facere inſtar ſimulachri, & per gradus ſe quoque ſimiles. Sed tametſi putant, quod non intelligantur ab aliis, quid inter ſe loquuntur, uſque tamen Spiritus Angelici omnia & ſingula, quæ loquuntur percipiunt; cauſa eſt, quia ab illis ſubtrahi cogitatio aliqua non poteſt. Hoc quoque illis oſtendebatur per vivam experientiam; cogitabam de eo, quod ſpiritus mali noſtræ telluris non afficiantur pudore, cum infeſtant alios; hoc influebat apud me a ſpiritibus angelicis qui percipiebant illorum loquelam; ſpiritus illi Martis tunc agnoſcebant, quod id eſſet de quo inter ſe loquebantur, ac mirati ſunt: præterea a Spiritu Angelico detegebantur plura, quæ & loquebantur & quæ cogitabant, utcunque ſatagebant cogitationes illi ſubducere. Poſtea influebant ſpiritus illi a ſuperiori in faciem meam; influxus ſentiebatur inſtar tenuis pluviæ ſtriatæ, quod ſignum erat, quod non in affectione veri ac boni eſſent, id enim per ſtriatum repræſentatur: loquebantur tunc mecum manifeſte, dicendo, quod incolæ telluris illorum ſimiliter inter ſe loquantur. Dicebatur tunc illis, quod hoc malum ſit, quia ſic obſtruunt interna, & ab illis recedunt ad externa, quæ quoque privant ſua vita; & imprimis, quia non ſincerum eſt ita loqui; nam qui ſinceri ſunt, nihil volunt loqui, ne quidem cogitare, niſi tale quod ſciant alii, imo ſi forent omnes, etiam totum cœlum; at qui non volunt, ut alii ſciant quid loquuntur, illi judicant de aliis, male ſentiunt de illis, & bene de ſe, & tandem ex habitu trahuntur uſque illuc, ut male ſentiant & loquantur de Eccleſia, de Cœlo, imo de Ipſo Domino. Dictum, quod illi qui amant cognitiones & non ita vitam ſecundum illas, in Maximo Homine referant interiorem Membranam Cranii; at illi qui aſſueſcunt loqui abſque affectione, & cogitationem attrahere ad ſe & ſubtrahere aliis, quod referant Membranam illam, ſed oſſeam factam, quia ab aliqua vita ſpirituali fit illis nulla vita.

96. Quia per Avem lapideam etiam repræſentati ſunt, qui in ſolis cognitionibus ſunt, & in nulla vita amoris, & quia inde nulla illis vita ſpiritualis, ideo hic appendicis loco licet oſtendere, quod illis ſolis vita ſpiritualis ſit, qui in amore cœleſti ſunt, & inde in cognitionibus; & quod amor in ſe contineat omne cognitivum quod amoris illius eſt. Sint pro exemplo animalia terræ, & quoque animalia cœli ſeu Aves, illis eſt ſcientia omnium quæ amoris illorum ſunt, amores illorum ſunt, ſe nutrire, tute habitare, propagare ſobolem, pullos alere, quorundam ſibi proſpicere pro hyeme; quare eſt illis omnis ſcientia requiſita; hæc enim amoribus illis ineſt, & in illos influit ut in ipſa ſua receptacula; quæ ſcientia quibuſdam animalibus talis eſt, ut homo non poſſit aliter quam obſtupeſcere: ſcientia illis eſt connata, & vocatur inſtinctus, ſed eſt amoris naturalis in quo ſunt. Si homo in ſuo amore eſſet, qui eſt Amor in Deum & erga proximum; (hic amor eſt hominis proprius, per quem diſtinguitur a beſtiis, eſtque amor cœleſtis) tunc homo non

 ſolum

ſolum foret in omni ſcientia requiſita, ſed etiam in omni intelligentia & ſapientia, nam hæ in amores illos influerent e cœlo, hoc eſt, per cœlum a Divino. Sed quia homo non in amores illos naſcitur, ſed in contrarios, nempe in amores ſui & mundi, idcirco non poteſt aliter quam naſci in omnem ignorantiam & inſcitiam; at per media Divina perducitur ad aliquid intelligentiæ & ſapientiæ, ſed uſque non actualiter in aliquid, niſi amores ſui & mundi removeantur, & ſic aperiatur via pro amore in Deum & erga proximum. Quod amor in Deum & amor erga proximum in ſe habeant omnem intelligentiam & ſapientiam, conſtare poteſt ex illis qui in mundo in amoribus illis fuerunt, illi cum poſt mortem in cœlum veniunt, ibi ſciunt & ſapiunt talia, quæ nuſquam prius noverant; imo cogitant & loquuntur ibi ut reliqui angeli, quæ talia ſunt, quæ nuſquam auris audivit, nec mens ſcivit, quæ ineffabilia ſunt: cauſa eſt, quia amores illi facultatem recipiendi talia in ſe habent.

De Tellure ſeu Planeta SATURNI, deque ejus Spiritibus & Incolis.

De la nete ... Ser.

97. SPiritus ex illa Tellure, ubi ipſa Tellus, apparent antrorſum ad inſignem diſtantiam, inferius in plano genuum: & cum aperitur illuc oculus, in conſpectum venit multitudo ſpirituum, qui omnes ſunt ex illa Tellure: conſpiciuntur ab hac Telluris illius parte, & ad dextrum ejus. Datum eſt quoque cum illis loqui, & inde cognoſcere, quales ſunt reſpective ad alios: ſunt probi, & ſunt modeſti; & quia ſe parvos æſtimant, ideo quoque in altera vita apparent parvi.

98. In cultu ſunt perquam humiles, nam in illo ſe pro nihilo æſtimant. Colunt Dominum noſtrum, & Ipſum pro unico Deo agnoſcunt: Dominus etiam apparet quandoque illis ſub forma Angelica, & ſic ut Homo, & tunc Divinum elucet ex facie, & afficit animum. Incolæ etiam, cum ad ætatem perveniunt, loquuntur cum Spiritibus, a quibus inſtruuntur de Domino, & quomodo colendus, tum quomodo vivendum. Quando aliqui volunt ſpiritus, qui inde, ſeducere, & a fide in Dominum abſtrahere, aut ab humiliatione erga Ipſum, & a probitate vitæ, dicunt ſe mori velle; apparent tunc in manibus illorum parvi cultri, per quos pectora ſua percutere velle videntur: cum interrogantur cur ita faciunt, dicunt quod potius mori velint, quam abduci a Domino: ſpiritus noſtræ Telluris quandoque irrident illos propterea, & infeſtant probris quod ita faciant; ſed tunc reſpondent, ſe probe ſcire quod ſemet non interimant, ſed quod hoc ſolum apparentia ſit effluens ex voluntate animi eorum, quod potius mori velint, quam abſtrahi a cultu Domini.

99. Dicebant, quod aliquoties ad illos veniant ſpiritus a noſtra Tellure, qui eos quærunt, quem Deum colunt, quibus reſpondent, quod inſaniant, &

F quod

quod major insania non possit esse quam quærere quem Deum aliquis colit, cum tamen est unicus Deus omnibus in universo, & quod adhuc magis insaniant in eo, quod non dicant Dominum esse Unicum illum Deum; & quod is regat universum cœlum, & inde universum mundum; nam qui regit cœlum, etiam regit mundum, quia mundus regitur per cœlum.

100. Dicebant, quod in Tellure sua etiam sint, qui Lumen nocturnum, quod magnum est, vocant Dominum, sed quod illi separentur a reliquis, & ab illis non tolerentur. Lumen illud nocturnum venit a magno illo Cingulo, quod ad distantiam ambit Tellurem illam, & a Lunis, quæ satellites Saturni vocantur.

101. Narrabant, quod aliud genus spirituum, qui turmatim vadunt, frequenter ad illos veniant, desiderantes scire quomodo res apud illos se habet; & quod variis modis eliciant ab illis quæ sciunt; de his dicebant, quod non insaniant, modo in eo, quod tantum desiderent scire non propter alium usum, quam ut sciant. Postea instructi sunt, quod spiritus illi sint ex Planeta Mercurii seu ex Tellure proxima Soli, & quod illos cognitiones solum delectent, & non ita usus ex illis.

102. Incolæ & spiritus planetæ Saturni referunt in Maximo Homine Sensum medium inter Spiritualem et Naturalem hominem, at qui recedit a naturali & accedit ad spiritualem: inde est, quod spiritus illi appareant auferri aut rapi in cœlum, ac mox remitti; nam quicquid sensus spiritualis est, id in cœlo est, at quicquid sensus naturalis est, id infra cœlum est. Quoniam nostræ Telluris Spiritus in Maximo Homine referunt Sensum naturalem & corporeum, a manifesta experientia scire datum est, quomodo pugnant & collidunt inter se spiritualis homo ac naturalis, cum hic non in fide & charitate est. Spiritus Telluris Saturni e longinquo in conspectum veniebant, & tunc dabatur viva communicatio inter illos & inter Spiritus nostræ Telluris tales: hi illis sic perceptis fiebant sicut insani, & incipiebant infestare illos, infundendo indigna de fide, & quoque de Domino; cumque in invectivis & injuriis erant, etiam se conjiciebant in medium eorum, & ex insania, in qua erant, conabantur malum inferre; sed Spiritus Saturni nihil timebant, quia tuti erant, & in tranquillo: at spiritus illi nostræ Telluris, cum in medio eorum erant, incipiebant angi, ac ægre respirare, & sic ejiciebant se unus huc & alter illuc, ac disparabantur. Adstantes inde appercipiebant, qualis est Naturalis homo separatus a spirituali, cum venit in sphæram spiritualem, quod nempe insaniat; Naturalis enim homo separatus a spirituali solum ex mundo sapit, & nihil ex cœlo; & qui solum ex mundo sapit, is nihil credit nisi quod sensus capiunt, & quod credit ex fallaciis sensuum credit, quæ nisi removentur per influxum ex spirituali mundo, producunt falsa: inde est, quod spiritualia ei non sint aliquid, usque adeo ut vix sustineat audire Spirituale nominari; quapropter tales insaniunt, cum tenentur in sphæra spirituali; aliter cum vivunt in mundo, tunc vel naturaliter de spiritualibus cogitant, vel avertunt aurem, hoc est, audiunt & non attendunt. Ab experientia illa etiam constabat, quod Naturalis homo non

poſſit inferre ſe in ſpiritualem, hoc eſt, aſcendere; ſed cum homo in fide eſt, & inde in vita ſpirituali, quod ſpiritualis homo influat in naturalem, & ibi cogitet; influxus enim datur ſpiritualis, hoc eſt, e ſpirituali mundo in naturalem, non autem viciſſim *(mm)*.

103. Porro a ſpiritibus illius Telluris informabar de Incolis, quales illorum conſociationes ſunt, præter alia; dicebant, quod vivant diſtincti in familias, unaquævis familia ſeparata ab alia; ita vir & uxor cum ſuis liberis; & quod hi, cum conjugia jungunt, ſeparentur a domo parentum, nec eam amplius curent: quapropter Spiritus ex illa Tellure apparent bini & bini. Quod de Victu & Amictu parum ſolliciti ſint; quod veſcantur fructibus & leguminibus, quæ Tellus eorum producit; & quod veſtiantur leviter, quoniam craſſa cute ſeu tunica, quæ repellit frigus, cincti ſunt. Præterea, quod omnes in ſua Tellure ſciant, quod victuri ſint poſt mortem; & quod ideo etiam corpora ſua nihili faciant, modo quantum propter vitam, quam dicunt permanſuram & ſervituram Domino; quod ideo quoque corpora mortuorum non ſepeliant, ſed projiciant, & tegant ramis arborum e ſylva.

104. Interrogati de Magno illo Cingulo, quod a noſtra Tellure apparet ſe elevare ſupra horizontem Planetæ iſtius, & variare ſitus, dicebant, quod id illis non appareat ut Cingulum, ſed ſolum ut Niveum in cœlo varia directione.

De Tellure ſeu Planeta Veneris, deque ejus Spiritibus & Incolis.

105. Planeta Veneris in idea Spirituum & Angelorum apparet ad ſiniſtrum paulo retro, ad aliquantam diſtantiam a noſtra Tellure: in idea ſpirituum dicitur, quia nulli ſpiritui apparet Sol mundi, nec aliquis Planeta, ſed Spiritus modo habent ideam quod ſint; ex ſola idea de illis ſiſtitur Sol mundi a tergo ſicut caliginoſum quid, planetæ non ſicut in mundo errantes, ſed in ſuis locis conſtanter, videatur ſupra n: 42.

106. In Planeta Veneris ſunt duo hominum genera, indole ſibi contraria; ſunt qui mites & humani, & ſunt qui immites & pæne ferini; qui mites & humani, apparent a parte altera Telluris, qui immites & pæne ferini, apparent a parte ejus huc ſpectante. At ſciendum, quod ita appareant ſecundum ſtatus vitæ eorum, nam ſtatus vitæ ſiſtit omnem apparentiam ſpatii & diſtantiæ ibi.

(mm) Quod Influxus ſpiritualis ſit, & non phyſicus ſeu naturalis, ita quod influxus ſit e ſpirituali mundo in naturalem & non e naturali in ſpiritualem, n: 3219. 5119. 5259. 5427. 5428. 5477 6322. Quod appareat ſicut influxus ſit ab externis in interna hominis, ſed quod ſit fallacia, n: 3721.

107. Quidam ex illis, qui ab altera parte Planetæ apparent, & sunt mites & humani, ad me veniebant, & sistebantur mihi videndi supra caput, cum quibus varia loquutus sum; inter alia dicebant, quod, cum in mundo fuerunt, agnoverint, & quod magis nunc agnoscant Dominum nostrum pro suo Unico Deo; ajebant, quod in Tellure sua viderint Ipsum, & quoque quomodo Ipsum viderant, repræsentabant. Hi Spiritus in Maximo Homine referunt *Memoriam rerum materialium concordantem cum Memoria rerum immaterialium*, quam spiritus Mercurii referunt: quapropter spiritus Mercurii, cum his spiritibus Veneris maximopere concordant, ideo cum simul erant, sentita est ex influxu inde mutatio insignis, & operatio fortis in meo cerebro videatur supra n: 43.

108. Cum illis autem spiritibus, qui a parte huc spectante apparent, ac sunt immites & pæne ferini, non loquutus sum, sed relatum est ab angelis, quales sunt, & unde illis tam ferina natura; quod nempe ibi admodum delectentur rapinis, & quam maxime edere ex rapinis: jucunditas inde, cum cogitant de edere ex rapinis, mecum communicata fuit, & appercepta quod summa esset. Quod Incolæ tali natura ferina etiam in nostra Tellure fuerint, patet ex Historicis variarum gentium; tum ex Incolis terræ Canaanis 1 Sam: xxx: 16: & quoque ex Gente Judaica & Israelitica etiam tempore Davidis, quod quotannis excursiones fecerint, & deprædati gentes, & lætati ex præda comederint. Dictum etiam, quod Incolæ illi quoad plurem partem sint gigantes, & quod nostræ telluris homines modo ad umbilicum eorum pertingant. Tum quoque, quod sint stupidi, non quærentes quid cœlum, aut quid vita æterna, sed quod solum illa curent quæ sunt eorum terræ, & eorum pecorum.

109. Quia tales sunt, etiam cum in alteram vitam veniunt, infestantur ibi quam maxime a malis & falsis. Inferna, quæ illis, apparent juxta Tellurem, nec communicant cum Infernis malorum nostræ Telluris, ex causa quia prorsus alio genio & alia indole sunt; inde quoque mala & falsa illorum sunt ex prorsus alio genere.

110. Qui autem tales sunt, ut salvari possint, sunt in locis vastationis, ac ibi ad ultimum desperationis rediguntur; nam illius generis mala & falsa non aliter possunt domari & removeri: cum in statu desperationis sunt, clamant quod bestiæ sint, quod abominationes, quod odia, & sic quod damnati: quidam eorum, cum in tali statu sunt, etiam contra cœlum clamant; sed hoc illis ignoscitur, quia ex desperatione; Dominus moderatur, ne in vituperia se effundant nisi ad statos limites. Hi cum extrema passi sunt, quia corporea tunc apud illos quasi mortua sunt, demum salvantur. De his quoque dictum est, quod, cum in sua Tellure vixerunt, crediderint in quendam summum Creatorem absque Mediatore, sed cum salvantur, etiam instruuntur, quod Dominus sit Solus Deus, Salvator & Mediator. Vidi quosdam ex illis, postquam extrema passi sunt, sublatos in cœlum, & cum ibi recepti sunt, appercepi teneritudinem lætitiæ ab illis talem, ut exprimeret lachrymas ex oculis meis.

De

De Spiritibus & Incolis Lunæ.

Des es bitan Dem A. (9

111. Aliqui Spiritus apparebant ſupra caput, & inde auditæ ſunt voces ſicut tonitrua, nam non aliter tonabant voces eorum, quam ſicut e nubibus tonitrua poſt fulmina: autumabam, quod eſſet ingens multitudo ſpirituum, qui callebant arte voces edere cum tali ſonitu. Spiritus ſimpliciores, qui apud me erant, illos irridebant; quod valde miratus ſum: cauſa irriſionis mox detegebatur, quæ erat, quod Spiritus, qui tonabant, non multi eſſent ſed pauci, & quoque parvi ſicut pueri; & quod illi eis prius per tales ſonitus terrorem incuſſerint, & tamen prorſus nihil damni poſſent inferre. Ut ſcirem, quales eſſent, demiſerunt ſe quidam ab alto ubi tonabant; & quod mirum, unus portabat alterum a tergo, & ſic appropinquabant bini ad me: apparebant facie non invenuſta, ſed longiori quam facies reliquorum ſpirituum; ſtatura ſimili ſtaturæ pueri ſeptem annorum, ſed corpore robuſtiore; ita erant homunciones. Dicebatur mihi ab angelis, quod eſſent e Luna. Qui portatus ab altero veniebat ad me, ſe applicans ſiniſtro lateri ſub ulna, & inde loquebatur, dicens, quod cum vocem edunt, ita tonent; & quod ſic ſpiritus, qui illis malum inferre volunt, territent, & quoſdam in fugam agant, & quod ita tuti vadant quo volunt. Ut pro certo ſcirem, quod talis illorum ſonus eſſet, recedebat ille a me ad quoſdam alios, ſed non plane extra conſpectum, & ſimiliter tonabat. Et porro oſtendebant, quod vox eorum ex abdomine ad inſtar eructationis emiſſa ita intonaret. Perceptum eſt, quod hoc inde exiſteret, quia incolæ Lunæ non ita ex pulmone, ſicut incolæ aliarum tellurum, ſed ex abdomine loquantur, & ſic ex aliquo aere ibi collecto; ex cauſa, quia Luna non ſimili Athmoſphæra, qua aliæ tellures, circumfuſa eſt. Inſtructus ſum, quod ſpiritus Lunæ in Maximo Homine referant Cartilaginem ſcutiformem ſeu Xiphoiden, cui anterius annectuntur Coſtæ, & e qua deſcendit Faſcia alba, quæ eſt fulcrum muſculis abdominis.

112. Quod etiam in Luna ſint Incolæ, ſciunt ſpiritus & angeli, pariter quod in Lunis ſeu Satellitibus circum tellurem Jovis, & tellurem Saturni. Qui non ſpiritus inde viderant, ac cum illis loquuti ſunt, uſque non dubitant, quin etiam ſuper illis homines ſint, quia æque ſunt tellures; & ubi tellus ibi eſt homo; homo enim eſt finis propter quem tellus, & a Summo Creatore nihil ſine fine factum eſt: quod finis creationis ſit Humanum genus, ut ex eo Cœlum, cuivis, qui ex ratione aliquantum illuſtrata cogitat, conſtare poteſt.

Cauſæ

Causæ cur Dominus in nostra Tellure, & non in alia, nasci voluit.

113. QUOD Domino placuerit nasci, & Humanum assumere in nostra Tellure; & non in alia, sunt plures causæ, de quibus e cœlo informatus sum. Causa principalis *fuit propter Verbum, quod hoc in nostra Tellure potuerit conscribi; & scriptum dein per universam Tellurem vulgari; & semel vulgatum conservari in omnem posteritatem; & quod sic manifestari potuerit, quod Deus Homo factus sit, etiam omnibus in altera vita.*

114. *Quod Causa principalis fuerit propter Verbum*, est quia Verbum est ipsum Divinum Verum, quod docet hominem, quod Deus sit, quod Cœlum sit & quod Infernum, quod vita post mortem; & insuper docet, quomodo vivet & credet, ut in cœlum veniat, & sic in æternum felix sit. Hæc omnia absque Revelatione, ita in hac Tellure absque Verbo, prorsus ignota fuissent, & tamen homo ita creatus est, ut quoad interiora sua non mori possit *(nn)*.

115. *Quod Verbum in nostra Tellure potuerit conscribi*, est quia ars scribendi hic ab antiquissimo tempore fuit, primum super codicibus, dein super membranis, postea super chartis, & demum vulgari typis. Hoc provisum est a Domino propter Verbum.

116. *Quod Verbum dein per universam hanc tellurem vulgari potuerit*, est quia commercium omnium gentium hic datur, non modo per peregrinationes, sed etiam per navigationes ad omnia loca totius orbis; inde Verbum semel conscriptum transferri potuit ab una gente ad alteram, & ubivis doceri.

117. *Quod Verbum semel conscriptum potuerit conservari in omnem posteritatem*, proinde in millia & millia annorum, & quoque quod conservatum sit, notum est.

118. *Quod sic manifestari potuerit, quod Deus Homo factus sit*; hoc enim primum & essentialissimum est propter quod Verbum; nam nemo potest credere in Deum, & amare Deum, quem non sub aliqua specie comprehendere potest, quapropter qui invisibile & sic incomprehensibile agnoscunt, labuntur

(nn) Quod ex solo lumine naturali nihil sciatur de Domino, de Cœlo & Inferno, de vita hominis post mortem, ac de Divinis Veris, per quæ homini vita spiritualis & æterna, n: 8944. 10318. 10319. 10320. Quod id constare possit ex eo, quod plures, ac inter eos eruditi, non credant illa, tametsi nati sunt, ubi Verbum, ac per id instructio de illis, n: 10319. Quod ideo necessum fuerit, ut revelatio esset e cœlo, quia homo ad cœlum natus est, n: 1775.

labuntur cogitatione in naturam, & ſic in nullum Deum credunt: quapropter placuit Domino hic naſci, & hoc manifeſtum facere per Verbum, ut non modo id notum fieret in hoc orbe, ſed etiam ut *per id manifeſtum fieret Spiritibus & Angelis etiam ex aliis Telluribus, & quoque gentibus ex noſtra (oo).*

119. Sciendum eſt, quod Verbum in noſtra Tellure per cœlum a Domino datum, ſit unio cœli & mundi; ob quem finem eſt correſpondentia omnium quæ in litera in Verbo cum Divinis in cœlo; & quod Verbum in ſupremo ac intimo ſuo ſenſu agat de Domino, de Regno Ipſius in cœlis & in terris, deque amore & fide ab Ipſo & in Ipſum, proinde de vita ab Ipſo & in Ipſo; talia ſiſtuntur angelis in cœlo, quando Verbum noſtræ telluris legitur & prædicatur *(pp).*

120. In omni alia Tellure manifeſtatur Verum Divinum oretenus per Spiritus & Angelos, ſicut in præcedentibus, ubi de Incolis Tellurum in Solari hoc mundo, dictum eſt, ſed hoc fit intra familias; nam Humanum genus in pleriſque Telluribus diſtinctum habitat ſecundum familias; quapropter Verum Divinum per Spiritus & Angelos ita revelatum non transfertur longe ultra familias, & niſi jugiter ſuccedat nova Revelatio, id pervertitur vel perit: aliter in noſtra Tellure, ubi Divinum Verum, quod eſt Verbum, manet in ſua integritate in perpetuum.

121. Sciendum eſt, quod Dominus omnes, e quacunque Tellure ſint, agnoſcat & recipiat, qui Deum ſub Humana forma agnoſcunt & colunt, quoniam Deus ſub Humana forma eſt Dominus: & quia Dominus incolis in Telluribus in forma Angelica, quæ eſt forma humana, apparet, ideo cum Spiritus & Angeli ex illis Telluribus audiunt a noſtræ telluris Spiritibus & Angelis, quod Deus actualiter Homo ſit, recipiunt id Verbum, agnoſcunt, & gaudent quod ita ſit.

122. Ad cauſas quæ ſupra allatæ ſunt, accedit, quod incolæ & ſpiritus noſtræ telluris referant in Maximo Homine Senſum naturalem & externum, ac ſenſus naturalis & externus eſt ultimum in quod deſinunt interiora vitæ, & in quo ut in ſuo communi requieſcunt: ſimile eſt Divinum Verum in litera, quod vocatur Verbum, quod ob illam cauſam etiam

---

(oo) Quod Gentes in altera vita inſtruantur ab Angelis, & quod illi, qui ſecundum religioſum ſuum bene vixerunt, recipiant vera fidei, & agnoſcant Dominum, n: 2049. 2595. 2598. 2600. 2601. 2603. 2661. 2863. 3263.

(pp) Quod Verbum aliter intelligatur ab angelis in cœlis, quam ab hominibus in terris, & quod illis ſit ſenſus internus ſeu ſpiritualis, his autem externus ſeu naturalis, n: 1769 ad 1772. 1887. 2143. 2333. 2396. 2540. 2541. 2545. 2551. Quod Verbum ſit uniens cœli & terræ, n: 2310. 2495. 9212. 9216. 9357. 10375. Quod Verbum ideo per meras correſpondentias ſcriptum ſit, n: 1404. 1408. 1409. 1540. 1619. 1659. 1709. 1783. 8615. 10687. Quod in ſenſu intimo Verbi agatur unice de Domino ac de Ipſius Regno, n: 1873. 2249. 2523. 7014. 9357.

etiam in hac Tellure, & non in alia, datum est *(qq)*: & quia Dominus est Verbum, & ejus Primum & Ultimum, ut omnium secundum ordinem existerent, etiam ideo voluit in hac Tellure nasci, & fieri Verbum; secundum hæc apud Johannem, "In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum: omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil quod factum est: *Et Verbum Caro factum est, & habitavit inter nos, & vidimus gloriam Ipsius, gloriam ut Unigeniti a Patre.* Deum nemo vidit usquam, Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ipse exposuit," I: 1. 2. 3. 4. 14. 18; Verbum est Dominus quoad Divinum Verum, ita Divinum Verum a Domino *(rr.)* Sed hoc arcanum est, quod in intellectum modo pauciorum cadit.

(qq) Quod Verbum in sensu literæ sit naturale, n: 8783: Ex causa, quia naturale est ultimum, in quod desinunt spiritualia & cœlestia, & super quo sicut super suo fundamento subsistunt, & quod alioquin Verbi sensus internus seu spiritualis absque externo seu naturali foret sicut domus absque fundamento, n: 9430. 9433. 9824. 10044. 10436.

(rr) Quod Verbum sit Dominus quoad Divinum Verum, ita Divinum Verum a Domino, n: 2859. 4692. 5075. 9987. Quod per Divinum Verum omnia creata & facta sint, n: 2803. 2884. 5272. 7835.



DE



DE
Telluribus in Coelo Astrifero.

123. QUI in Cœlo ſunt, illi loqui & converſari poſſunt cum Angelis & Spiritibus, qui non ſolum ex Telluribus in Solari hoc Mundo ſunt, ſed etiam cum illis qui ex Telluribus extra hunc Mundum in Univerſo; nec modo cum Spiritibus & Angelis ibi, ſed etiam cum ipſis incolis, ſed modo cum illis quibus interiora aperta ſunt, ut poſſint audire loquentes e cœlo: ſimiliter poteſt homo cum vivit in mundo, cui datum eſt a Domino loqui cum Spiritibus & Angelis; nam homo eſt ſpiritus quoad interiora ſua, corpus quod in mundo circumfert, modo inſervit ei pro functionibus in naturali ſeu terreſtri hac ſphæra, quæ eſt ultima. Sed cum angelis & ſpiritibus nulli datur ſicut ſpiritus loqui, niſi talis ſit, ut conſociari poſſit angelis quoad fidem & amorem; nec conſociari poteſt, niſi fides & amor ſint in Dominum, nam homo per fidem & amorem in Ipſum, hoc eſt, per vera doctrinæ, & per bona vitæ ab Ipſo, conjungitur; & cum conjunctus eſt, tutus eſt ab inſultu malorum ſpirituum qui ab inferno: apud alios interiora uſque adeo aperiri nequeunt, quoniam non in Domino ſunt. Hæc cauſa eſt, quod pauci ſint hodie, quibus datur loqui & converſari cum Angelis; cujus rei manifeſtum indicium eſt, quod vix credatur hodie quod ſpiritus & angeli ſint, minus quod ſint apud unumquemque hominem; & quod per illos nexus ſit homini cum cœlo, & per cœlum cum Domino; & quod adhuc minus credatur, quod homo, cum quoad corpus moritur, vivat ſpiritus, etiam in humana forma ſicut prius.

124. Quia hodie in Eccleſia apud multos nulla fides eſt de vita poſt mortem, & vix aliqua de cœlo, nec de Domino quod ſit Deus cœli & terræ; ideo interiora, quæ ſunt ſpiritus mei, a Domino aperta ſunt, ut poſſim, dum in corpore ſum, ſimul cum angelis in cœlo eſſe, & non modo loqui cum illis, ſed etiam ibi videre ſtupenda, & eadem deſcribere; ne forte poſthac etiam dicturi ſint, quis ex cœlo ad nos venit & narravit, quod ſit, & quæ ibi. Sed ſcio, quod qui corde prius negaverunt Cœlum & Infernum, ac vitam poſt mortem, etiam contra illa ſe obfirmaturi ſint, & negaturi; nam facilius eſt corvum album facere, quam efficere ut credant qui ſemel corde rejecerunt fidem, cauſa eſt, quia de talibus ſemper cogitant ex negativo, & non ex affirmativo. Sint uſque hæc, quæ de Angelis & Spiritibus hactenus dicta ſunt, & ulterius dicenda, pro paucis illis qui in fide ſunt: ut autem reliqui etiam perducantur ad aliquid agnitionis, conceſſum

eſt memorare talia, quæ delectant & allectant hominem ſciendi cupidum, quæ nunc quoque erunt de Telluribus in Cœlo Aſtrifero.

125. Qui non ſcit arcana Cœli, non credere poteſt quod homo poſſit videre Tellures tam diſſitas, & per experientiam ſenſualem aliquid de illis referre: ſed ſciat, quod ſpatia & diſtantiæ, & inde progreſſiones, quæ exiſtunt in mundo naturali, in ſua origine & prima cauſa ſint mutationes ſtatus interiorum, & quod apud Angelos & Spiritus ſecundum eas appareant *(ss)*; & quod illi ſic per eas apparenter transferri poſſint ab uno loco in alterum, & ab una tellure ad alteram, etiam ad tellures quæ in fine univerſi: Similiter etiam homo quoad ſuum ſpiritum, manente uſque corpore ejus in ſuo loco. Ita mecum factum eſt; quoniam, ex Divina Domini Miſericordia, mihi datum eſt converſari cum ſpiritibus ſicut ſpiritus, & ſimul cum hominibus ſicut homo. Quod homo quoad ſpiritum ita transferri poſſit, ſenſualis homo non capere poteſt, quoniam is in ſpatio & in tempore eſt, & progreſſiones ſuas ſecundum illa menſurat.

126. Quod plures Mundi ſint, unicuivis conſtare poteſt ex eo, quod tot Sidera in univerſo appareant; & notum eſt in Erudito Orbe, quod unumquodvis Sidus ſit inſtar Solis in ſuo loco, manet enim fixum ſicut Sol noſtræ telluris in ſuo; & quod diſtantia faciat ut appareat in parva forma ſicut Stella: conſequenter quod ſimiliter ac Sol noſtri mundi circum ſe habeat planetas, quæ ſunt tellures; & quod hæ non appareant coram noſtris oculis, eſt ex immenſa diſtantia, & ex luce ſolum ex ſua ſtella, quæ lux non iterum poteſt uſque huc reflecti. Ad quid aliter tantum Cœlum cum tot Aſtris; finis enim creationis univerſi eſt homo, ut ex homine ſit Cœlum Angelicum; quid pro Infinito Creatore foret Genus Humanum, & inde Cœlum Angelicum ex una Tellure, pro Quo non ſatis eſſent mille Tellures, imo nec myriades. Calculus initus eſt, ſi forent 1000,000 Tellures in Univerſo, & in unaquavis Tellure homines numero 300,000,000, ſeu 300 Milliones, & 200 generationes intra 6000 annos, & cuique homini ſeu ſpiritui daretur ſpatium 3 ulnarum cubicarum, quod numerus tot hominum ſeu ſpirituum in unam ſummam collectus non uſque impleret ſpatium milleſimæ partis hujus Telluris, ita forte ſpatium unius ſatellitis circum Planetam Jovis vel Saturni, quod foret ſpatium in univerſo parvitatis inconſpicuæ, nam ſatelles coram nudo oculo vix apparet: quid hoc pro Creatore Univerſi, Cui non ſatis foret ſi totum Univerſum foret impletum, eſt enim Infinitus. De his cum Angelis loquutus ſum, qui dixerunt, quod illi ſimilem ideam de paucitate Generis humani reſpective ad Infinitatem Creatoris habeant, ſed uſque quod illi non ex ſpatiis, ſed ex ſtatibus, cogitent, & quod ſecundum eorum ideam Tellures numero tot myriadum, quot uſquam cogitari poſſent, uſque prorſus nihil forent ad Dominum. Verum de Telluribus in Cœlo Aſtrifero in nunc

(ss) Quod motus, progreſſiones, & mutationes loci in altera vita ſint mutationes ſtatus interiorum vitæ, & quod uſque realiter appareat ſpiritibus & angelis ſicut actualiter ſint, n: 1273 ad 1277. 1377. 3356. 5606. 10734.

nunc ſequentibus ex ipſa experientia dicetur; ex qua etiam conſtabit, quomodo tranſlationes illuc quoad ſpiritum meum, manente corpore in ſuo loco, factæ ſunt.

De Prima Tellure in Cœlo Aſtrifero, & de ejus ſpiritibus & incolis; ex auditis & viſis.

127. Ducebar per Angelos a Domino ad Tellurem quandam in Cœlo Aſtrifero, ubi datum eſt inſpicere in ipſam Tellurem, ſed non loqui cum incolis ibi, verum cum Spiritibus qui inde; omnes incolæ ſeu homines cujuſcunque Telluris, poſt tranſactam vitam in mundo, fiunt ſpiritus, & manent juxta ſuam Tellurem: ex illis tamen informatio datur de Tellure, & de ſtatu incolarum ibi; nam homines, qui decedunt e corpore, ſecum ferunt omnem vitam priorem, & omnem memoriam *(tt)*. Duci ad Tellures in Univerſo, non eſt duci & transferri illuc quoad corpus ſed quoad ſpiritum, & ſpiritus ducitur per variationes ſtatus vitæ interioris, quæ apparent ei ſicut progreſſiones per ſpatia *(ss)*. Appropinquationes etiam fiunt ſecundum ſtatuum vitæ convenientias ſeu ſimilitudines, nam vitæ convenientia ſeu ſimilitudo conjungit, & diſconvenientia & diſſimilitudo disjungit. Inde conſtare poteſt quomodo tranſlatio fit quoad ſpiritum, & ejus appropinquatio ad diſſita, manente uſque homine in ſuo loco. Sed ducere ſpiritum per variationes ſtatus interiorum ejus extra ſuum orbem, & facere ut variationes progrediantur ſucceſſive uſque ad ſtatum convenientem ſeu ſimilem illis ad quos ducitur, in potentia ſolius Domini eſt; erit enim directio continua & prævisio a primo ad ultimum, cis & retro; imprimis ut hoc fiat cum homine, qui adhuc quoad corpus in mundi natura eſt, & per id in ſpatio. Quod ita factum ſit, illi qui in ſenſualibus corporeis ſunt, & ex illis cogitant, non induci poſſunt ad credendum; cauſa eſt, quia ſenſualia corporea non poſſunt capere progreſſiones abſque ſpatiis: at uſque illi qui ex ſenſuali ſpiritus ſui aliquantum remoto ſeu ſubducto a ſenſuali corporis, ita interius in ſe, cogitant, poſſunt induci ad credendum & capere, quoniam in idea cogitationis interioris non eſt ſpatium nec tempus, ſed pro illis talia ex quibus ſpatia & tempora. Pro his itaque ſint hæc quæ ſequuntur de Telluribus in Cœlo Aſtrifero, & non pro aliis, niſi tales ſint ut ſe inſtrui patiantur.

128. In ſtatu vigili ducebar quoad ſpiritum per angelos a Domino ad quandam Tellurem in Univerſo, comitantibus ſpiritibus quibuſdam ex hoc

(tt) Quod homo poſt mortem ſecum habeat memoriam omnium ſuarum rerum in mundo, n: 2476 ad 2486

orbe: progressio fiebat dextrorsum, & perstabat duabus horis. Circa finem Mundi nostri Solis apparuit primum nubes candicans, sed densa; & post illam fumus igneus ascendens ex magno hiatu: erat ingens Vorago separans ab illa parte Mundum nostrum solarem a Mundis quibusdam Cœli siderei: igneus ille fumus ad satis multam distantiam apparuit. Trans illum medium ferebar; & tunc apparuerunt subter in Hiatu illo seu Voragine perplures homines, qui erant spiritus; (Spiritus enim apparent omnes in humana forma, & actualiter sunt homines) audivi etiam illos inter se loquentes; sed unde erant, & quales, non scire dabatur: unus tamen ex illis mihi dicebat, quod essent Custodiæ, ne Spiritus transeant ab hoc Mundo in alterum in Universo absque data copia. Quod ita esset, etiam confirmabatur; aliqui enim Spiritus, qui in comitatu erant, quibus non permissum fuit transire, cum ad Magnam illam intercapedinem venerunt, cæperunt clamare valde quod pereant: erant enim sicut illi qui in agone cum morte luctantur, quare ab illa parte Voraginis illius subsistebant, nec ulterius transferri potuerunt; igneus enim fumus exhalatus ex voragine occupabat illos, ac ita cruciabat.

129. Postquam per magnum illum Hiatum translatus fui, tandem perveni ad locum ubi morabar; & tunc apparebant mihi Spiritus superne, cum quibus loqui datum est: ex loquela eorum, & ex genio appercipiendi res & exponendi illas, clare animadverti quod essent ex alia Tellure, nam prorsus differebant a spiritibus mundi nostri Solis: illi etiam ex mea loquela appercipiebant, quod e longinquo essem.

130. Postquam de variis aliquantisper loquuti sumus; quærebam quem Deum colerent, dicebant quod aliquem Angelum, qui sicut Divinus homo illis apparet, fulget enim ex luce; & quod is instruat illos, & det appercipere quid faciendum. Dicebant porro, quod sciant quod Maximus Deus sit in Sole Cœli Angelici, & quod Is appareat Angelo suo, & non sibi; & quod Ille major sit, quam ut ausint Ipsum adorare. Angelus, quem colebant, erat Societas angelica, cui a Domino datum est præesse illis, ac docere viam justi & recti; ideo illis lux est ex quadam flamma, quæ instar faculæ apparet, satis ignea & flava; causa venit ex eo, quod non adorent Dominum, inde non est lux illis ex Sole Cœli angelici, sed ex Societate angelica; nam Societas angelica, cum datur a Domino, talem lucem potest sistere spiritibus qui in regione inferiore sunt. Societas illa Angelica etiam mihi visa est, erat alte supra illos; & quoque visum est ibi flammeum unde lux.

131. Cæteroquin erant modesti, aliquantum simplices, sed usque satis bene cogitabant. Ex luce apud illos concludi potuit, quale illis intellectuale, nam secundum receptionem lucis, quæ in cœlis, est intellectus, quoniam Divinum Verum procedens a Domino ut Sole est quod ibi lucet & dat angelis non modo videre sed etiam intelligere *(uu)*.

132. In-

(uu) Quod Lux magna in cœlis sit, n: 1117. 1521. 1522. 1533. 1619. ad 1632. 4527. 5400. 8644. Quod omnis Lux in cœlis sit a Domino ut Sole ibi, n: 1053. 1521.

132. Instruebar, quod incolæ & spiritus illius telluris referant in Maximo Homine aliquid in Liene, de quo confirmatus sum per influxum in Lienem, quum mecum loquebantur.

133. Interrogati sunt de Sole mundi eorum, qui illuminat Tellurem eorum, dicebant quod Sol ibi appareat flammeus; & cum magnitudinem Solis nostræ Telluris repræsentarem, ajebant, quod minor sit; nam Sol illis est coram nostris oculis Stella; & ab angelis audivi, quod esset Stella inter minores. Dicebant etiam, quod e tellure sua quoque cœlum stelliferum videatur: & quod Stella reliquis major appareat illis versus occidentem, dictum e cœlo, quod illa sit noster Sol.

134. Postmodum aperiebatur mihi visus, ut aliquantum spectare possem in ipsam Tellurem; & apparebant prata plura, ac sylvæ cum arboribus foliaceis; tum lanigeræ oves. Postea videbam aliquot incolas, qui ex viliore sorte erant, amicti vestitu pœne quali rustici in Europa. Visus etiam est Vir cum sua muliere; hæc apparebat pulchra statura, & gestu decoro; Vir similiter; sed quod mirabar, ille ambulabat magnificus, gressu quasi fastuoso; sed mulier vicissim gressu humili: dicebatur ab angelis, quod talis mos in illa Tellure sit, & quod viri, qui tales, amentur, quia usque boni sunt. Dictum porro, quod non liceat illis plures uxores habere, quia id contra leges. Mulier quæ visa, ante pectus habebat latum indumentum, post quod se abscondere potuit, quod ita factum erat, ut inserere brachia posset, ac illo se induere, & sic abire; id quoad inferiorem partem subduci potuit, & subductum & corpori applicatum apparuit instar pectoralis, quale fœminis nostræ Telluris: sed idem etiam inserviebat viro pro indumento, visum quod sumeret id a muliere, & applicaret tergo suo, & solveret inferiorem partem, quæ sic defluebat ad pedes sicut toga, & ita ambulabat vestitus. Quæ visa sunt in Tellure illa, non visa sunt oculis corporis mei, sed oculis spiritus mei, & spiritus potest videre illa quæ in Tellure sunt, quando id datur a Domino.

135. Quoniam scio, quod dubitaturi sint, num usquam possibile sit, quod homo oculis spiritus sui possit videre aliquid in tellure tantum distante, licet dicere quomodo res se habet: Distantiæ in altera vita non sunt sicut distantiæ in Tellure; distantiæ in altera vita se habent prorsus secundum status interiorum cujusvis; qui in simili statu sunt, illi simul sunt in una societate & in uno loco; omne præsens ibi est ex similitudine status, & omne distans ex dissimilitudine ejus; inde erat, quod juxta illam tellurem essem, cum a Domino perductus sum in statum similem statui spirituum & incolarum ibi, & quod tunc præsens loquerer cum illis: inde patet, quod Tellures in mundo spirituali non distent sicut in mundo naturali, sed modo apparenter secundum

---

1521. 3195. 3341. 3636. 4415. 9548. 9684. 10809. Quod Divinum Verum procedens a Domino appareat in Cœlis & Lux, n: 3195. 3222. 5400. 8644. 9399. 9548. 9684. Quod Lux illa illuminet angelorum ac spirituum & visum & intellectum: n: 2776. 3138. Quod Lux cœli etiam illuminet intellectum hominis, n: 1524. 3138. 3167. 4408. 6608. 8707. 9126. 9399. 10569.

ſecundum ſtatus vitæ incolarum & ſpirituum ibi: ſtatus vitæ eſt ſtatus affectionum quoad amorem & fidem. Quod ſpiritus poſſit videre illa quæ in Tellure ſunt, ſeu quod idem, homo quoad ſpiritum, licet exponere, quomodo etiam hæc res ſe habet; Spiritus non poſſunt, nec Angeli ſuo viſu videre quicquam quod in mundo; illis enim lux mundi ſeu ſolaris eſt velut denſa caligo; ſicut homo viſu ſui corporis nec videre poteſt quicquam quod in altera vita, ei enim lux cœli eſt, velut denſa caligo: ſed uſque Spiritus & Angeli, quando Domino beneplacet, poſſunt videre illa quæ in mundo per oculos hominis; ſed hoc non concedit Dominus apud alios, quam quibus dat Dominus loqui cum ſpiritibus & angelis, & eſſe ſimul cum illis: per meos oculos datum eſt illis videre illa quæ in mundo, & tam manifeſte ſicut ego; tum etiam audire homines mecum loquentes: contigit aliquoties, quod aliqui amicos ſuos, quos habuerunt in vita corporis, per me viderint ita præſentes prorſus ſicut prius, & obſtupuerunt; viderunt etiam ſuos maritos & infantes, & voluerunt dicere quod adeſſent & viderent eos, utque referrem de ſuo ſtatu in altera vita; ſed dicere illis & revelare, quod ſic viſi, mihi interdictum erat, etiam ex ea cauſa, quod dixiſſent me inſanire, aut cogitaviſſent deliria animi eſſe, quia notum mihi fuit, quod tametſi ore dicerent, uſque corde non crederent, dari ſpiritus, ac mortuos reſurrexiſſe & eſſe inter ſpiritus, & hos videre & audire poſſe per hominem. Quando primum mihi apertus fuit viſus interior, ac illi qui in altera vita per oculos meos viderunt mundum, & quæ in mundo erant, ita obſtupefacti ſunt, ut dicerent hoc miraculum miraculorum eſſe, & affecti ſunt novo gaudio, quod ſic communicatio daretur terræ cum cœlo, ac cœli cum terra; aſt hoc gaudium perſiſtebat per menſes; ſed poſtquam familiare factum eſt, nunc nihil mirantur. Inſtructus ſum, quod Spiritus & Angeli apud alios homines ne hilum videant quæ in mundo, ſed modo percipiant cogitationes & affectiones eorum, apud quos ſunt. Ex his conſtare potuit, quod homo ita creatus ſit, ut cum vivit in mundo inter homines, ſimul etiam viveret in cœlo inter angelos, & viciſſim, ſic ut Cœlum & Mundus apud hominem ſimul eſſent & unum agerent, & ſcirent homines quid in Cœlo, & Angeli quid in mundo; & cum homines decedunt, tranſirent ſic e Regno Domini in Terris in Regnum Domini in Cœlis, non ſicut in aliud, ſed ſicut in idem, in quo etiam fuerunt cum vixerunt in corpore; ſed quia homo ita corporeus factus eſt, ſibi Cœlum clauſit.

136. Ultimo loquutus ſum cum Spiritibus qui ex illa Tellure de variis in noſtra Tellure, imprimis de eo quod Scientiæ hic ſint quæ non alibi, ut Aſtronomica, Geometrica, Mechanica, Phyſica, Chymica, Medica, Optica, Philoſophica; & præterea Artes, quæ non alibi cognitæ, ut Naves conſtruendi, Metalla fundendi, ſcribendi ſuper chartis, & eadem vulgandi typis, & ſic communicandi cum aliis in Tellure, etiam conſervandi in poſteritatem millium annorum, & quod ita factum ſit cum Verbo quod a Domino, & quod ideo Revelatio conſtanter manens ſit in noſtra Tellure.

137. Tandem mihi oſtenſum eſt Infernum illorum qui ab illa Tellure, illi

qui

qui inde visi terrebant quam maxime; monstrosas eorum facies non describere ausim. Visæ etiam ibi Magæ, quæ diras exercent artes; hæ indutæ apparebant viridi, & incutiebant horrorem.

De Secunda Tellure in Cœlo Astrifero, & de ejus Spiritibus & Incolis.

De la terre p. 2:

138. Postea ductus sum a Domino ad Tellurem in Universo, quæ distabat a nostra Tellure longinquius quam Prima illa, de qua nunc actum est; quod distaret longinquius, patescebat ex eo, quod illuc quoad spiritum meum perductus sim per binos dies: erat illa Tellus ad sinistrum, prior autem ad dextrum. Quia longinquitas in mundo spirituali non est ex distantia loci, sed ex differentia status, ut supra dictum est, quapropter ex mora progressionis illuc, quæ erat duorum dierum, concludere potui, quod status interiorum apud illos, qui est status affectionum & inde cogitationum, tantum differret a statu interiorum, qui est apud spiritus e nostra Tellure. Quoniam perlatus sum illuc quoad spiritum per mutationes status interiorum, datum est observare ipsas mutationes successivas, antequam illuc perventum est: Factum est hoc cum vigil eram.

139. Quando illuc perventum est, non visa est Tellus, sed visi Spiritus ex illa Tellure; nam, ut prius quoque dictum, Spiritus cujusvis Telluris apparent circa suam Tellurem, ex causa quia simili genio sunt cum indigenis, nam ex illis sunt, utque inserviant illis. Visi sunt spiritus illi admodum alte supra caput, & inde me pervenientem perspexerunt: sciendum, quod qui in altera vita in alto stant, perspicere possint illos qui infra sunt, & quo in altiori, eo latius, & quod non modo possint perspicere illos, sed etiam loqui cum illis. Observabant inde, quod non ex eorum Tellure essem, sed e longinquo aliunde; quapropter me inde alloquuti sunt, interrogando de variis, ad quæ etiam respondere datum est; & inter alia narrabam illis ex qua Tellure essem, & qualis ea esset: & postea dicebam de Telluribus in Mundo nostro solari: & tunc quoque de spiritibus Telluris seu Planetæ Mercurii, quod illi pervagentur ad plures Tellures ad comparandas sibi cognitiones rerum variarum; cum id audiebant, dicebant quod etiam illos apud se viderint.

140. Dicebatur mihi ab Angelis e nostra Tellure, quod illius Telluris Incolæ & Spiritus referrent in Maximo Homine Aciem Visus, & quod ideo in alto appareant; & quod etiam sint acie admodum perspicaci. Quia id referebant, & quia perspicaciter videbant quæ infra erant, inter loquendum etiam illos comparabam Aquilis, quæ alte volant, ac perspicaciter & late circumspiciunt: sed ad hæc indignati sunt, putantes quod crederem illos Aquilis similes quoad rapinam, & sic quod mali essent; sed respondebam, quod non assimilarem illos Aquilis quoad rapinam, sed quoad aciem visus.

141. Inte-

141. Interrogati ſunt de Deo quem colerent, ad quod reſpondebant, quod colerent Deum viſibilem & inviſibilem, Deum viſibilem ſub Humana forma, ac Deum inviſibilem non ſub aliqua forma; & compertum eſt ex loquela eorum, & quoque ex ideis cogitationis eorum mecum communicatis, quod Deus viſibilis eſſet Ipſe noſter Dominus, & quoque Ipſum vocabant Dominum. Ad hæc reſpondere datum eſt, quod etiam in noſtra Tellure colatur Deus inviſibilis & viſibilis, & quod Deus inviſibilis dicatur Pater, & viſibilis Dominus; ſed quod uterque unum ſint, ſicut Ipſe docuit, dicendo, quod ſpeciem Patris nunquam viderint, at quod Pater & Ipſe unum ſint, & quod qui videt Ipſum videat Patrem, & quod Pater in Ipſo & Ipſe in Patre ſit; conſequenter quod utrumque id Divinum in una Perſona ſit. Quod illa Ipſius Domini verba ſint, videatur Johan: Cap: v: 37. Cap: x: 30. Cap: xiv: 7. 9. 10. 11.

142. Poſtmodum videbam alios ſpiritus ex eadem Tellure, qui apparebant in loco infra illos, cum quibus etiam loquebar; ſed illi erant idololatræ, colebant enim idolum ex ſaxo, ſimile homini ſed non pulchro: ſciendum eſt, quod omnes qui in alteram vitam veniunt, in principio cultum habeant ſimilem cultui ſuo in mundo, ſed quod ſucceſſive ab illo removeantur; cauſa quod ita fiat, eſt quia omnis cultus manet implantatus interiori vitæ hominis, e qua non removeri & eradicari niſi ſucceſſive poteſt. Cum id viſum, dicere illis dabatur, quod non oporteat adorare mortuum ſed vivum; ad quod reſpondebant, quod ſciant quod Deus vivat & non ſaxum, ſed quod cogitent de Deo Vivo, cum intuentur ſaxum ſimile homini, & quod aliter ideæ cogitationis ſuæ non poſſint figi ac determinari ad Deum inviſibilem; tunc illis dicere datum eſt, quod ideæ cogitationis poſſint figi & determinari ad Deum inviſibilem, cum ad Dominum, qui eſt Deus viſibilis in cogitatione ſub Humana forma; & ſic quod homo poſſit conjungi Deo inviſibili cogitatione & affectione, proinde fide & amore, cum conjungitur Domino, non autem aliter.

143. Quærebantur ſpiritus, qui ex alto viſi ſunt, num in Tellure vivant ſub imperiis Principum aut Regum; ad hæc reſpondebant, quod neſciant quid imperia, & quod vivant ſub ſe, diſtincti in gentes, familias, & domos: quærebantur, num ſic ſecuri, dicebant quod ſecuri, quoniam una familia alteri nihil invidet, & nihil derogare vult: indignati quod talia quærerentur, ſicut inſimularentur hoſtilitatis, aut alicujus tutelæ contra prædones; quid magis opus eſt, ajebant, quam habere victum & amictum, & ſic contenti & quieti ſub ſe habitare.

144. Porro interrogati de Tellure ſua dicebant, quod illis prata ſint, floreta, ſylvæ plenæ arboribus fructiferis, & quoque lacus in quibus piſces; quodque aves coloris cærulei cum aureis pennis; & quod animalia majora & minora; inter minora memorabant, quæ dorſum elevatum inſtar camelorum in noſtra Tellure haberent; & tamen quod non veſcantur carne eorum ſed ſolum carne piſcium; & præterea fructibus ex arboribus, & leguminibus ex terra. Dicebant porro, quod non habitent in exſtructis

domibus, ſed in Lucis, in quibus inter frondes faciunt ſibi tecta pro imbre & pro æſtu ſolis.

145. Interrogati ſunt de Sole ſuo, qui eſt Stella coram oculis ex noſtra Tellure, dicebant quod ille appareat igneus, ad viſum non major quam Caput hominis: ab angelis mihi dicebatur, quod Stella, quæ illis Sol, inter minores eſſet, non procul diſtans ab Æquatore cœli.

146. Viſi ſunt ſpiritus, qui ſimiles ſibi cum homines in ſua tellure fuerunt; erant facie non abſimili faciei hominum noſtræ Telluris, præter quod Oculi eorum parvi eſſent, & quoque Naſus parvus: hoc quia videbatur mihi ut aliquantum deforme, dicebant quod parvi oculi & parvus naſus illis pulchritudo ſint. Fœmina viſa eſt, induta toga, in qua roſæ varii coloris: quærebam unde in tellure illa ſibi parant veſtes, reſpondebant, quod legant ex herbis talia quæ contexunt in fila; & quod fila dein ſtatim componant duplici ac triplici ordine, ac humectent aqua glutinoſa, & ſic conſiſtentiam inducant; colorando illam telam poſtea ex ſuccis herbaceis. Oſtenſum quoque eſt, quomodo parant fila; ſedent deſupinatæ in ſolio, & per digitos pedum convolvunt illa, & convoluta trahunt ad ſe, & ſubigunt per manus.

147. Dicebant etiam, quod in illa Tellure Maritus ſolum unam uxorem habeat, & non plures; & quod procreent liberos ad numerum decem uſque ad quindecim. Addebant, quod etiam inveniantur ibi ſcorta, ſed quod illæ poſt vitam corporis, cum fiunt ſpiritus, ſint magæ, & conjiciantur in infernum.

De Tertia Tellure in Cœlo Aſtrifero, deque ejus Spiritibus & Incolis.

148. APparebant ſpiritus e longinquo, qui non appropinquare volebant, cauſa erat, quia non ſimul potuerunt eſſe cum ſpiritibus noſtræ Telluris, qui circum me tunc erant; inde appercepi, quod ex alia Tellure eſſent; & poſtea mihi dictum eſt, quod ex Tellure quadam in Univerſo; ſed ubi illa Tellus, non mihi indicatum eſt. Spiritus illi nolebant prorſus cogitare de ſuo corpore, ne quidem de aliqua re corporea & materiali, ſecus ac ſpiritus e noſtra Tellure; inde erat, quod non appropinquare vellent: ſed uſque poſt remotionem aliquorum ſpirituum noſtræ telluris, propius accedebant, & mecum loquebantur. Verum tunc ſentita eſt anxietas, oriunda ex colliſione ſphærarum; ſphæræ enim ſpirituales circumdant omnes ſpiritus & ſpirituum ſocietates *(cc)*, & quia emanant ex vita affectionum & inde cogitationum, ideo ubi contrariæ affectiones ſunt, fit colliſio, & inde anxietas. Narrabant noſtræ Telluris ſpiritus, quod nec illi auſint ad illos approximare, quoniam cum approximant, non modo anxietate corripiuntur, ſed etiam apparent ſibi ſicut ligati quoad manus & pedes ſerpentibus, e quibus non ſolvi poſſunt, priuſquam recedunt; quod ita appareat, cauſam ducit

ex Correspondentia; nam nostræ Telluris spiritus in Maximo Homine referunt sensum Externum, ita Sensuale corporeum, & hoc sensuale repræsentatur in altera vita per serpentes *(xx)*.

149. Quia Spiritus illius Telluris tales sunt, ideo apparent coram oculis aliorum spirituum non sicut alii in perspicua forma humana, sed sicut nubes, plerique instar nubis nigricantis, cui candidum humanum inspersum est; sed dicebant, quod intus candidi sint, & quod cum angeli fiunt, nigricans illud vertatur in pulchrum cæruleum; quod etiam mihi ostendebatur. Interrogabam num in tali idea de corpore suo etiam fuerint, cum vixerunt homines in mundo; dicebant quod homines telluris suæ nihili faciant corpora sua, sed modo spiritum in corpore, quia sciunt hunc victurum in æternum, at corpus periturum: ajebant etiam, quod plures in tellure sua credant, spiritum corporis ab æterno fuisse, infusum corpori dum concepti; sed addebant, quod nunc sciant non ita esse, & quod pæniteat illos in tali falsa opinione etiam fuisse.

150. Cum quærerem num vellent videre aliqua in nostra Tellure, & quod id posset fieri per meos oculos, (vide supra n: 135.) sed respondebant primum quod non possent, dein quod non vellent, quoniam non alia forent quæ visuri quam terrestria & materialia, a quibus cogitationes, quantum possunt, removent. Sed usque repræsentabantur coram illis magnifica Palatia, ad similitudinem eorum quæ in nostra Tellure apud Reges & Principes sunt; nam talia coram spiritibus repræsentari possunt, & cum repræsentantur apparent prorsus sicut forent; verum Spiritus ex illa Tellure nihil illa æstimabant, vocabant illa simulacra marmorea: & tunc narrabant, quod apud eos magnificentiora sint, & quod illa essent Ædes eorum sacræ, non ex lapide sed ex ligno. Quum illis dicebatur, quod ea usque essent terrestria, respondebant quod non essent, sed cœlestia, quia cum illas inspiciunt non ideam terrestrem sed cœlestem habent; credentes quod etiam visuri similia in Cœlo post mortem.

151. Repræsentabant tunc sacras suas Ædes coram spiritibus nostræ Telluris, qui dicebant quod magnificentiora non viderint; & quoniam mihi etiam visæ sunt, ideo describere eas possum: construuntur ex arboribus non cæsis, sed in nativo suo solo crescentibus; dicebant, quod in Tellure illa essent arbores admiranda proceritate & altitudine; illas a suis initiis disponunt in ordines, ut sint in porticus & in ambulacra, & ramos earum a teneris aptant & parant per sectiones & putationes, ut dum crescunt, consertent se & conjungant pro Ædis construendæ solo & pavimento, & ad latera se elevent pro parietibus, ac superne inflectant se in arcus pro tecto; inde construunt Ædem admiranda arte, elevatam alte super terram; in quam etiam ascensum parant per continuos ramos arborum exporrectos & firmiter connexos. Insuper exornant

(xx) Quod Sensuale externum hominis in mundo spirituali repræsentetur per serpentes, quia id in infimis est, & respective ad interiora apud hominem jacet humi & quasi serpit; & quod inde illi vocati sint serpentes, qui ex sensuali illo ratiocinati sunt, n: 195. 196. 197. 6398. 6949.

ornant Ædem illam extra & intra variis modis per applicationes frondium in formas: ita ædificant integros lucos. Sed quales sunt illæ Ædes intus, non videre datum est, solum dictum, quod lux solis eorum intromittatur per aperturas inter ramos, ac passim transmittatur per chrystalla, per quæ lux variegatur in colores quasi iridis circum parietes, imprimis in colores cæruleos & aurantios, quos præ reliquis amant. Hæc sunt illorum Architectonica, quæ præferunt Palatiis magnificentissimis nostræ Telluris.

152. Dicebant porro, quod incolæ non habitent in altis, sed super terra in humilibus casis, ex causa quoniam alta sunt pro Domino qui in Cœlo, & humilia pro hominibus qui in terra: etiam casæ eorum mihi ostensæ sunt, erant oblongæ, intus juxta parietes Lectus continuus, in quo cubant unus post alterum; in parte opposita ostio est locus sinuatus in rotundum, ante quem mensa, ac post illam focus, ex quo illuminatur tota illa camera: in foco illo non est ignis ardens, sed est lignum luminosum, quod ex se tantum luminis effundit, quantum flamma focalis; ajebant quod ligna illa ad vesperas appareant sicut in illis esset ignis prunosus.

153. Dicebant, quod non vivant societates, sed domus per se; & quod societates sint quando conveniunt ad cultum; & quod tunc infra Ædem ambulent qui docent, ac reliqui in porticibus ad latera; & quod in conventibus illis sint iis gaudia interiora, ex conspecta Æde, & ex cultu in illa.

154. De Cultu Divino dicebant, quod agnoscant Deum sub Humana forma, ita Dominum nostrum; nam quicunque Deum universi sub Humana forma agnoscunt, acceptantur a Domino nostro & ducuntur, reliqui non duci possunt, quia cogitant absque specie. Addebant, quod incolæ telluris eorum instruantur de rebus cœli per commercium aliquod immediatum cum angelis & spiritibus, in quod facilius quam alii a Domino induci possunt, quia ex cogitatione & affectione sua rejiciunt corporea. Quæsivi, quid fit cum illis, qui apud eos mali sunt; dicebant, quod in Tellure sua non liceat improbum esse; at si quis male cogitat & male facit, quod increpetur a spiritu quodam, qui ei denuntiat mortem, si in illis persistit; & quum persistit, quod moriatur per deliquium; & quod eo modo homines illius telluris conserventur a contagiis malorum. Quidam etiam talis spiritus ad me missus est, mecum loquens sicut cum illis; is insuper induxit regioni abdominis mei aliquid doloris, dicens quod sic faciat illis qui male cogitant & male faciunt, & quibus denuntiat mortem si persistant. Dicebant, quod graviter puniantur illi qui sancta prophanant: & quod antequam venit spiritus punitor, appareat illis in visione rictus leonis latus, lividi coloris, qui videtur quasi velle deglutire caput, & divellere id a corpore, inde horror occupat eos: spiritum punitorem vocant diabolum.

155. Quia desiderabant scire, quomodo cum Revelatione se habet in nostra Tellure, dicebam quod id fiat per scripturam & prædicationem ex Verbo, & non per immediatum commercium cum spiritibus & angelis; & quod scriptura possit typis vulgari, ac ab universis cætibus legi & comprehendi, & sic vita emendari: mirabantur valde, quod talis ars, ignotissima alibi, detur:

ſed comprehendebant, quod in hac Tellure, ubi corporea & terreſtria tantum amantur, Divina e Cœlo non aliter poſſint influere & recipi; & quod diſcriminoſum foret illis loqui cum angelis.

156. Apparent ſpiritus illius Telluris ſuperne in plano Capitis, verſus dextrum: omnes ſpiritus dignoſcuntur ex ſitu reſpective ad corpus humanum; quod fit, quia univerſum cœlum correſpondet omnibus hominis *(f)*; hi ſpiritus ſe tenent in illo plano, & ad illam diſtantiam, quia correſpondentia illorum non eſt cum externis apud hominem, ſed cum interioribus. Actio illorum eſt in ſiniſtrum Genu, ſupra & infra paulum, cum quadam vibratione perquam ſenſibili; quod ſignum eſt, quod correſpondeant *Conjunctioni Naturalium & Cœleſtium.*

De Quarta Tellure in Cœlo Aſtrifero, deque ejus Spiritibus & Incolis.

157. PErductus ſum adhuc ad aliam Tellurem quæ in Univerſo extra Mundum noſtrum Solarem, quod factum eſt per mutationes ſtatus mentis meæ, ita quoad ſpiritum; nam, ut prius aliquoties dictum eſt, ſpiritus non aliter perducitur e loco in locum quam per mutationes ſtatus interiorum ejus, quæ mutationes apparent ei prorſus ſicut promotiones e loco in locum ſeu ſicut profectiones: perſtabant illæ mutationes continue per decem horas circiter, antequam pervenirem a ſtatu vitæ meæ ad ſtatum vitæ illorum; ita antequam quoad ſpiritum meum illuc productus ſum. Ferebar verſus orientem, ſiniſtrorſum, & videbar ſenſim elevari a plano horizontali: etiam obſervare dabatur perſpicue progreſſionem & promotionem a priori loco, uſque tandem ut non apparerent amplius illi a quibus diſceſſi: ac interea cum ſpiritibus, qui una mecum erant, de variis loquutus ſum. Quidam Spiritus etiam nobiſcum erat, qui dum in mundo vixit, Antiſtes & Prædicator fuerat, & quoque Scriptor valde patheticus: ex idea de illo in me putabant ſpiritus comites, illum fore Chriſtianum corde præ reliquis; nam in mundo capitur idea, & judicatur ex prædicatione & ſcriptis, & non ex vita ſi hæc non exſtat, & ſi aliquid vitæ non concordantis apparet, uſque excuſatur; nam idea ſeu cogitatio & perceptio de aliquo trahit omnia in partes ſui.

158. Poſtquam animadverti me eſſe in Cœlo Aſtrifero quoad Spiritum longe extra mundum noſtri Solis; hoc enim animadverti poteſt ex mutationibus ſtatus & inde apparente progreſſione continua, quæ erat, pæne decem horarum; tandem audivi Spiritus loquentes juxta aliquam Tellurem, quæ poſtea etiam mihi viſa eſt: ad quos cum appropinquavi, poſt aliquam colloquutionem, dicebant, quod ad illos quandoque hoſpites aliunde veniant, qui loquuntur cum illis de Deo, & confundunt ideas cogitationis eorum: monſtrabant etiam viam per quam veniunt, ex qua perceptum, quod

eſſent

eſſent ex ſpiritibus e noſtra Tellure: interrogabantur tunc in quo confunderent, ajebant per id quod dicant credendum eſſe in Divinum diſtinctum in tres Perſonas, quas uſque vocant unum Deum; & cum explorant ideam cogitationum eorum, ſiſtitur illa ſicut Trinum non continuum ſed diſcretum, & apud quoſdam ſicut tres Perſonæ inter ſe loquentes, unus ad alterum, & apud quoſdam ut bini aſſidentes, unus prope alterum, & tertius audiens illos & ab illis vadens; & tametſi unamquamvis Perſonam vocant Deum, & de unaquavis aliam ideam habent, uſque dicunt Unum Deum: queſti valde, quod per id confundant eos, quod cogitent tres & dicant unum, cum tamen cogitandum ſit ſicut dicitur, & dicendum ſicut cogitatur. Spiritus, qui in mundo antiſtes & prædicator fuerat, & quoque mecum erat, tunc etiam explorabatur, qualem ille ideam de uno Deo & tribus Perſonis haberet, repræſentabat tres Deos, at illos unum per continuum; ſed ſiſtebat Trinum hoc Unum ut inviſibile quia Divinum; & cum hoc ſiſtebat, perceptum eſt quod tunc modo cogitaret de Patre & non de Domino, & quod idea ejus de Deo inviſibili non alia eſſet quam ſicut de natura in ſuis primis, ex qua reſultabat quod intimum naturæ ei fuerit ſuum Divinum, & ſic quod inde facile perduci poſſet ad agnoſcendum naturam pro Deo. Sciendum eſt, quod idea cujuſvis de quacunque re in altera vita ſiſtatur ad vivum, & quod per id exploretur unuſquiſque, qualis ei cogitatio & perceptio de rebus fidei eſt; & quod idea cogitationis de Deo ſit principalis omnium; nam per illam, ſi genuina, conjunctio fit cum Divino, & inde cum Cœlo. Interrogati dein qualem illi ideam haberent de Deo, reſpondebant quod non concipiant Deum inviſibilem, ſed Deum viſibilem ſub Humana forma; & quod hoc non modo ſciant ex interiore perceptione, ſed etiam ex eo quod apparuerit illis ut Homo; addentes, quod ſi ſecundum quorundam advenarum ideam conciperent Deum ut inviſibilem, ita abſque forma & quali, nequaquam poſſent cogitare de Deo, quoniam inviſibile tale non cadit in ideam cogitationis. His auditis, dicere illis dabatur, quod bene faciant quod cogitent de Deo ſub Humana forma, & quod multi ex noſtra Tellure ſimiliter cogitent, imprimis cum de Domino; & quod antiqui non aliter cogitaverint; narrabam tunc de Abrahamo, de Lotho, de Gideone, deque Manoacho & ejus uxore, & quid de illis memoratur in noſtro Verbo, quod nempe viderint Deum ſub Humana forma, & viſum agnoverint pro Creatore Univerſi, & vocaverint Jehovam, & hoc quoque ex interiore perceptione: ſed quod hodie interior illa perceptio in Orbe Chriſtiano perierit, ac modo remaneat apud ſimplices qui in fide.

159. Antequam hæc dicta ſunt, crediderunt quod etiam noſter comitatus eſſet inter illos qui vellent confundere eos per ideam Trium de Deo, quapropter his auditis gaudio affecti ſunt & dixerunt, quod a Deo, Quem tunc vocabant Dominum, etiam miſſi ſint qui docent eos de Ipſo, & quod non admittere velint advenas qui perturbant eos; imprimis per tres Perſonas in Divinitate, quoniam ſciunt quod Deus unus ſit, proinde quod Divinum unum, & non ex Tribus unanimum, niſi velint cogitare de Deo ſicut de

Angelo,

Angelo, in quo Intimum vitæ eſt quod inviſibile ex quo cogitat & ſapit, & Externum vitæ quod viſibile ſub humana forma ex quo videt & agit, & Procedens vitæ quod eſt ſphæra amoris & fidei ab illo, nam ab unoquovis Spiritu & Angelo procedit ſphæra vitæ, ex qua ad diſtantiam noſcitur *(cc)*; & quoad Dominum, quod Procedens vitæ ab Ipſo ſit Ipſum Divinum quod implet Cœlos & facit illos, quia procedit ex Ipſo Eſſe vitæ Amoris & Fidei; dicebant, quod ſic non aliter poſſint percipere Trinum & Unum ſimul. His auditis dicere dabatur, quod talis idea de Trino & ſimul Uno concordet cum idea Angelica de Domino; & quod ſit ex ipſa Doctrina Domini de Se Ipſo; nam docet quod Pater & Ipſe unum ſint, quod Pater in Ipſo & Ipſe in Patre; quod qui videt Ipſum videat Patrem; ac qui credit in Ipſum credat in Patrem & cognoſcat Illum; tum quod Paracletus, quem vocat Spiritum veritatis, ut & Spiritum Sanctum, procedat ab Ipſo, & non loquatur a Se ſed ab Ipſo, per quem intelligitur Divinum procedens. Porro, quod idea de Trino & ſimul Uno concordet cum Eſſe & Exiſtere vitæ Domini cum fuit in mundo; Eſſe vitæ Ipſius fuit Ipſum Divinum, nam conceptus eſt a Jehovah; & Eſſe vitæ cujuſvis eſt a quo concipitur; Exiſtere vitæ ex illo Eſſe eſt Humanum in forma; eſſe vitæ cujuſvis hominis quod ei a patre, vocatur Anima, & exiſtere vitæ inde vocatur Corpus; Anima & Corpus unum hominem conſtituunt; ſimilitudo inter utrumque eſt ſicut inter id quod eſt in Conatu & quod eſt in Actu inde, eſt enim actus conatus agens, & ſic duo unum: Conatus in homine vocatur Voluntas, & conatus agens vocatur actio; Corpus eſt inſtrumentale per quod Voluntas quæ eſt principale agit, ac inſtrumentale & principale in agendo unum ſunt; ita Anima & Corpus: talem ideam de anima & corpore habent Angeli in Cœlo; inde ſciunt, quod Dominus Humanum ſuum fecerit Divinum ex Divino in Se quod fuit Ipſi Anima ex Patre. Fides etiam recepta ubivis in Chriſtiano Orbe nec diſſentit, nam illa docet, "*Quamvis Chriſtus eſt Deus & Homo, uſque tamen non eſt duo, ſed unus Chriſtus; imo eſt prorſus unus & unica Perſona; quia ſicut Corpus & Anima ſunt unus homo, ita quoque Deus & Homo eſt unus Chriſtus* *(yy)*. Quia talis unio fuit, ſeu tale Unum in Domino, ideo non modo quoad animam, ſed etiam quoad corpus, quod in mundo glorificavit, reſurrexit, ſecus ac ullus homo; de quo etiam inſtruit diſcipulos, dicens, "*Palpate Me & videte, nam Spiritus Carnem & Oſſa non habet, ſicut Me videtis habere*" *(zz)*. Hæc bene intellexerunt Spiritus illi, nam talia cadunt in intellectum Spirituum Angelicorum; addebant tunc, quod Soli Domino ſit poteſtas in Cœlis, & quod Cœli ſint Ipſius; ad quæ reſpondere datum eſt, quod etiam id ſciat Eccleſia in noſtra Tellure ex Ipſius Domini ore antequam aſcendit

(yy) Ex Athanaſii ſymbolo.

(zz) Quod homo ſtatim poſt mortem reſurgat quoad ſpiritum; & quod ille ſit in humana forma, & quod ſit homo quoad omnia & ſingula, n: 4527. 5006. 5078. 8939. 8991. 10594. 10597. 10758. Quod homo reſurgat tantum quoad ſpiritum, & non quoad corpus, n: 10593. 10594. Quod Solus Dominus etiam quoad Corpus reſurrexerit, n: 1729. 2083. 5078. 10825.

ascendit in Cœlum, dixit enim tunc "*Data est Mihi omnis potestas in Cælo & in Terra.*"

160. Postea loquutus sum cum Spiritibus illis de sua Tellure; nam hoc sciunt omnes Spiritus, quando memoria eorum naturalis seu externa aperitur a Domino; hanc enim secum habent e mundo, sed non aperitur nisi ex beneplacito Domini. Dicebant tunc Spiritus de Tellure sua, e qua erant, quod, cum illis venia datur, appareant incolis Telluris suæ, ac loquantur cum illis sicut homines; & quod id fiat per id quod mittantur in memoriam suam naturalem seu externam, & inde cogitationem in quali fuerunt cum vixerunt in mundo, & quod incolis tunc aperiatur visus interior seu visus spiritus illorum, ex quo illi videntur: addebant, quod incolæ non aliter sciant, quam quod sint homines suæ telluris, & quod tunc primum appercipiant quod non sint, quando ex oculis eorum subito auferuntur. Dicebam illis, quod similiter in nostra Tellure antiquis temporibus factum sit, sicut coram Abrahamo, Sarah, Lotho, Incolis Sodomæ, Manoacho & ejus uxore, Joschua, Maria, Elisabetha, ac in genere coram Prophetis: & quod Dominus similiter apparuerit, & qui viderunt non sciverint aliter quam quod homo telluris esset, antequam Se revelavit. Sed quod hodie hoc raro fiat, ex causa ne homines per talia cogantur ad credendum, nam fides coacta, qualis est quæ intrat per miracula, non inhæret, & quoque damno foret illis apud quos fides per Verbum in statu non coacto implantari potest.

161. Spiritus qui in mundo fuerat Antistes & Prædicator, prorsus non credebat quod aliæ Tellures darentur quam nostra, ex causa quia cogitaverat in mundo, quod Dominus solum in hac Tellure natus sit, & nulli absque Domino salus; quapropter redactus est in similem statum, in quem rediguntur spiritus quando apparent in Tellure sua sicut homines, de quo mox supra, & sic missus est in Tellurem illam, ut non modo videret eam, sed etiam loqueretur cum incolis ibi: quo facto, dabatur etiam communicatio inde mecum, ut similiter viderem incolas, & quoque aliqua super Tellure illa: (videatur supra n: 135) Apparebant tunc quatuor Genera hominum, sed unum genus post alterum successive; primum visi sunt homines vestiti; dein nudi colore humano carneo: postea nudi sed corpore inflammato: demum nigri.

162. Cum Spiritus qui fuerat Antistes & Prædicator, erat apud illos qui vestiti erant, apparebat fæmina perquam bella facie, induta veste simplici, tunica pendente a tergo decenter, inducta etiam super brachia; tegumentum capitis ejus pulchrum erat in forma serti ex floribus: Spiritus ille visa ea virgine delectabatur valde, & loquebatur cum illa, & quoque prehendebat ejus manum; sed quia illa appercipiebat quod spiritus esset; & non ex illa Tellure, proripiebat se ab illo: postea apparebant ei a dextro plures aliæ fœminæ, quæ pascebant oves & agnos, quos tunc ducebant ad canalem potatorium, in quem aqua deducta erat per fossulam ex aliquo lacu; illæ similiter vestitæ erant, manibus tenentes baculos pastoritios, per quos ducebant oves & agnos ad potum; dicebant quod oves illuc vadant quo baculis suis monstrant: Oves, quæ visæ, erant grandes, caudis lanigeris, latis & protensis.

Facies fœminarum visæ sunt propius, erunt plenæ & pulchræ. Viri etiam visi sunt, eorum facies erant colore humano carneo, sicut in nostra Tellure; sed cum differentia, quod inferior pars faciei eorum loco barbæ esset nigra, & nasus plus niveo colore quam carneo. Postea Spiritus, qui ut dictum, in mundo fuerat prædicator, perducebatur ulterius, sed invito, quia adhuc in cogitatione illius fœminæ, qua delectabatur, erat, quod patebat ex eo quod usque aliquid umbræ ex illo appareret in priori loco; veniebat tunc ad illos qui Nudi erant: hi visi sunt bini & bini ambulantes una, erant maritus & uxor, cincti velamine circum lumbos, ac quodam tegmine circum caput: Spiritus ille, cum apud hos erat, perducebatur in statum, in quo fuit in mundo cum vellet prædicare, & tunc dixit, quod coram illis vellet prædicare Dominum crucifixum, sed dicebant quod non vellent audire tale, quia nesciunt quid hoc, & quod sciant quod Dominus vivat: ajebat tunc, quod prædicare vellet Dominum vivum, sed hoc quoque recusabant, dicentes quod apperciperent in loquela ejus non cœleste, quia multum propter se, sui famam & honorem, & quod audiant ex ipso sono loquelæ num ex corde, vel non; & quia talis, quod non docere eos posset; quapropter tacebat: fuerat in mundo, cum vixit, maxime patheticus, sic ut perquam movere potuerit auditores ad sanctum; sed patheticum illud fuerat arte acquisitum, ita a se & e mundo, & non e cœlo.

163. Dicebant porro, quod perceptionem habeant, num Conjugiale sit apud illos ex sua gente qui nudi sunt; & ostendebatur quod id percipiant ex idea spirituali de Conjugio, quæ mecum communicata erat talis, ut similitudo interiorum esset formata per conjunctionem boni & veri, ita amoris & fidei, & quod ex illa conjunctione defluente in corpus existat amor conjugialis; nam omnia quæ animi sunt, sistuntur in aliqua specie naturali in corpore, ita in specie amoris conjugialis, cum interiora duorum se mutuo amant, & quoque ex amore illo desiderant velle & cogitare unus sicut alter, ita quoad interiora quæ mentis simul esse & conjungi; inde affectio spiritualis quæ mentium fit naturalis in corpore, ac induit se sensu amoris conjugialis: affectio spiritualis quæ mentium est affectio boni & veri, ac conjunctionis eorum, nam omnia mentis, seu cogitationis & voluntatis, se referunt ad verum & bonum. Dicebant etiam, quod prorsus non conjugiale detur inter unum virum & plures uxores, quoniam conjugium boni & veri, quod est mentium, non dabile est quam inter binos.

164. Deinde veniebat Spiritus, de quo supra, ad illos qui erant nudi sed corpore inflammato: & ultimo ad illos qui nigri, quorum aliqui erant nudi, aliqui vestiti: sed hi & illi alibi in eadem Tellure habitabant: spiritus enim momento potest duci in dissita Telluris, quoniam non progreditur & fertur sicut homo per spatia sed per mutationes status, vide supra n: 125. 127 *(ss)*.

165. Demum loquutus sum cum spiritibus illius Telluris de fide incolarum nostræ Telluris de Resurrectione, quod non possint concipere, quod homines statim post mortem in alteram vitam veniant, & tunc appareant ut homines quoad faciem, corpus, brachia, pedes, & quoad omnes sensus externos & internos;

internos; & adhuc minus quod vestibus tunc sint induti; & quod mansiones & habitacula illis sint; & hoc solum ex causa, quia plerique ibi ex sensualibus quæ sunt corporis cogitant, ac ideo credunt nihil esse quæ non vident & tangunt: & quod pauci eorum subduci a sensualibus externis queant ad interiora, & sic elevari in lucem cœli, in qua talia percipiuntur: inde est, quod de Anima seu Spiritu suo non aliquam ideam hominis habere possint, sed ideam sicut de vento, aere aut pneumate nullius formæ, in quo tamen aliquid vitale: hæc causa est, quod non credant se resurrecturos quam in fine mundi, quem ultimum Judicium vocant, & tunc quod corpus tametsi collapsum in pulverem & dissipatum in omnes ventos, reducendum sit & conjungendum Animæ suæ seu spiritui suo: addebam, quod hoc permittatur illis credere, quoniam non aliter capere possunt, qui ex sensualibus externis, ut dictum est, cogitant, quam quod anima seu spiritus ejus non possit vivere homo in humana forma, nisi recipiat id corpus quod circumtulit in mundo; quare nisi diceretur id resurgere, Doctrinam de Resurrectione & de Vita æterna ut incomprehensibilem e corde rejicerent. Sed usque illa cogitatio de Resurrectione secum id utile habet, quod credant vitam post mortem, ex qua fide sequitur, quod cum jacent ægroti in lecto, & non ex mundanis & corporeis, ita non ex sensualibus, ut prius, cogitant, tunc credant se statim post obitum victuros; loquuntur etiam tunc de cœlo, ac de spe vitæ ibi statim post mortem remotive a Doctrinali de Ultimo Judicio: narrabam porro, quod aliquoties miratus sim, quod quando illi qui in fide sunt loquuntur de vita post mortem, deque suis qui obeunt vel obiverunt, & tunc non simul cogitant de Ultimo Judicio, credant illos victuros aut vivere homines statim post obitum; sed hæc idea, ut primum influit cogitatio de Ultimo Judicio, mutatur in ideam materialem de terrestri suo corpore, quod iterum conjungendum suæ animæ sit: nesciunt enim, quod unusquisque homo sit spiritus quoad interiora sua, & quod ille sit qui vivit in corpore & in singulis ejus, & non corpus ex se; & quod spiritus cujusvis sit, ex quo corpus formam suam humanam habet, consequenter qui principaliter homo est, & in simili forma, sed invisibili coram oculis corporis, at visibili coram oculis spirituum: inde etiam, cum aperitur visus spiritus hominis, quod fit per remotionem visus corporis, apparent Angeli ut homines: ita Angeli apparuerunt antiquis, de quibus in Verbo. Loquutus etiam sum aliquoties cum Spiritibus, quos, cum vixerunt homines in mundo, novi, quærendo num velint reindui terrestri suo corpore, sicut cogitaverunt prius, quo audito ad solam ideam conjunctionis ejus longe aufugerunt, perculsi stupore, quod in mundo ex cæca fide absque omni intellectu ita cogitaverint.

166. Præterea in Tellure illa visa sunt eorum habitacula, quæ erant Domus humiles in longum productæ, cum fenestris a lateribus secundum numerum mansionum seu camerarum in quas erant divisæ; tectum erat rotundum; & janua utrinque in extremitate; dicebant quod exstructæ essent ex humo, & tectæ cespitibus; & quod fenestræ ex filis gramineis, ita contextæ, ut lux transpareret. Infantes quoque visi sunt, dicebant quod vicini ad illos veniant,

imprimis propter infantes, ut in conſortio ſint cum infantibus aliis ſub conſpectu & auſpicio parentum. Apparebant etiam agri tunc albeſcentes ex meſſe pæne matura; oſtenſa ſunt ſemina ſeu grana iſtius meſſis, quæ ſimilia erant granis tritici Chinenſis: oſtenſi etiam ſunt panes ex illis, qui parvi in fruſtis quadratis. Præterea etiam apparebant campi graminei cum floribus ibi; & quoque arbores cum fructibus qui ſimiles malogranatis; tum arbuſta, quæ non vites, ſed uſque ferentia baccas, ex quibus vinum præparant.

167. Sol ibi, qui nobis ſtella, apparet ibi flammeus, magnitudine fere quartæ partis noſtri Solis; Annus illis eſt 200 dierum circiter, ac Dies 15 horarum reſpective ad tempus dierum in noſtra Tellure: ipſa Tellus inter minimas eſt in Cœlo aſtrifero, vix 500 milliarium Germanicorum in circumferentia: hæc dixerunt Angeli ex comparatione facta cum talibus in noſtra Tellure, quæ in me ſeu in mea memoria videbant; concludebant illa per ideas angelicas, per quas illico ſciuntur menſuræ ſpatiorum & temporum in juſta ratione reſpective ad ſpatia & tempora alibi: ideæ angelicæ quæ ſpirituales, in talibus immenſum excedunt ideas humanas, quæ naturales.

De Quinta Tellure in Cœlo Aſtrifero, deque ejus Spiritibus & Incolis.

168. PErductus ſum iterum ad aliam Tellurem, quæ extra Mundum noſtrum ſolarem in Univerſo erat, & hoc quoque per mutationes ſtatus pæne duodecim horis continuatas. In comitatu mecum erant Spiritus & Angeli ex noſtra Tellure plures, cum quibus in via ſeu progreſſione illa loquebar: ferebar nunc oblique ſurſum & oblique deorſum, continue verſus dextrum, quod in altera vita eſt verſus meridiem; modo in duobus locis videbam Spiritus, & in uno cum illis loquebar. In via ſeu in progreſſione illa obſervare dabatur, quam immenſum eſſet cœlum Domini quod pro angelis & ſpiritibus; ex non habitatis enim concludere dabatur, quod tam immenſum eſſet, ut ſi darentur plures myriades Tellurum, & in qualibet tanta multitudo hominum quanta in noſtra, quod uſque habitatio foret pro illis in æternum, & nuſquam impleretur: hoc concludere potui ex comparatione facta cum extenſione cœli quod circum noſtram Tellurem & pro illa, quæ extenſio erat tam parva reſpective, ut non æquaret unam myriadis myriadum partem extenſionis non habitatæ.

169. Cum Spiritus Angelici, qui ab illa Tellure, venerunt in conſpectum, alloquebantur nos, quærentes quinam eſſemus, & quid vellemus, dicebamus quod peregrinationis cauſa, & quod illuc delati, & ne timeant a nobis: timebant enim quod eſſemus ex illis qui perturbant eos de Deo, de Fide, & de ſimilibus, propter quos in illam plagam ad Tellurem ſuam ſe contulerunt, fugientes eos quocunque poſſent. Interrogati per quæ perturbant, reſpondebant per ideam Trium, & per ideam Divini abſque Humano, in Deo, cum

tamen

tamen ſciunt & percipiunt quod Deus ſit Unus, & quod ſit Homo. Perceptum tunc quod illi qui perturbarunt eos, & quos fugerunt, fuerint ex noſtra Tellure; tum ex eo quod ex noſtra Tellure ſint qui ita circumvagantur in altera vita ex ſtudio & jucundo peregrinationis quod contraxerunt in mundo; in aliis enim Telluribus non tales peregrinationes ſunt: compertum dein eſt, quod eſſent Monachi, qui ex ſtudio convertendi gentes in noſtro Orbe peregrinati ſunt: quapropter dicebamus eis, quod bene faciant quod fugiant illos, quia intentio illorum non eſt docere, ſed lucrari & dominari; & quod per varia primum captare animos ſtudeant, ſed dein ſubjicere illos ſibi ut ſervos. Præterea, quod bene faciant, quod non patiantur ideam ſuam de Deo a talibus perturbari. Porro dicebant, quod etiam confundant illos per id, quod dicant ſe oportere fidem habere ac credere quæ dicunt: at quod reſponderint illis, quod non ſciant quid Fides ſeu quid ſit credere, quum in ſe percipiunt quod ita ſit; erant e Regno cœleſti Domini, ubi omnes ex interiore perceptione ſciunt vera, quæ apud nos vocantur fidei; ſunt enim in illuſtratione a Domino; ſecus ac illi qui in Regno ſpirituali ſunt. Quod ſpiritus angelici illius Telluris ex Regno cœleſti eſſent, videre etiam dabatur ex flammeo, ex quo ideæ eorum; lux enim flammea eſt in Regno cœleſti, & lux candida in Regno ſpirituali. Qui e Regno cœleſti ſunt, illi cum ſermo eſt de Veris, non plus dicunt quam ita ita, vel non non, & nuſquam ratiocinantur de illis num ita ſit vel non ita ſit; illi ſunt, de quibus Dominus dicit, "*Sermo veſter erit ita ita, non non, quod ultra eſt ex malo eſt*;" inde eſt quod ſpiritus illi dixerint, quod non ſciant quid ſit fidem habere ſeu credere; conſiderant hoc, ſicut ſi aliquis diceret ad ſocium, qui oculis ſuis videt domos aut arbores, quod fidem habere debeat ſeu credere quod ſint domus ac arbores, cum clare videt quod ita ſit: tales ſunt qui e Regno cœleſti Domini ſunt, & tales erant hi ſpiritus angelici *(aaa)*. Dicebamus illis, quod pauci in noſtra Tellure ſint qui interiorem perceptionem habent, ex cauſa quia in juventute ſua diſcunt vera & non faciunt illa: ſunt enim binæ facultates homini, quæ vocantur Intellectus & Voluntas; qui non ultra quam in memoriam & inde aliquantum in Intellectum admittunt vera, & non in vitam, hoc eſt, in voluntatem, illi quia in nulla illuſtratione aut interiori viſu a Domino poſſunt eſſe, dicunt quod credenda ſint ſeu quod fides habenda, & quoque ratiocinantur de illis num vera ſint vel non, imo nec volunt ut percipiantur aliquo viſu interiori ſeu quadam illuſtratione per intellectum; ita dicunt, quia vera apud illos ſunt abſque luce e cœlo, & illis, qui abſque luce e cœlo vident, falſa

(aaa) Quod Cœlum in duo Regna diſtinctum ſit, quorum unum vocatur Regnum cœleſte, alterum Regnum ſpirituale, n: 3887. 4138. Quod Angeli in Regno cœleſti innumerabilia ſciant & immenſum ſapiant præ angelis in Regno ſpirituali, n: 2718. Quod Cœleſtes Angeli non cogitent & loquantur ex fide prout Angeli ſpirituales, ſed ex perceptione interna, quod ita ſit, n: 202. 597. 607. 784. 1121. 1387. 1398. 1442. 1919. 7680. 7877. 8780. Quod Angeli cœleſtes de veris fidei modo dicant ita ita, aut non non, at quod Angeli ſpirituales ratiocinentur num ita ſit vel non ita ſit, n: 202. 337. 2715. 3246. 4448. 9196.

possunt apparere ut vera, ac vera ut falsa: inde plures ibi tanta occupavit cæcitas, ut tametsi homo non faciat vera, seu vivat secundum illa, usque dicant eum per solam fidem posse salvari, sicut quod homo non foret homo ex vita & secundum illam, sed ex scientia talium quæ fidei absque vita. Postea loquebamur cum illis de Domino, de amore in Ipsum, de amore erga proximum, deque regeneratione; dicendo, quod amare Dominum sit amare præcepta, quæ ab Ipso, quod est, ex amore vivere secundum illa *(bbb)*. Quod amor erga proximum sit velle bonum & inde facere bonum Concivi, Patriæ, Ecclesiæ, Regno Domini, non propter se ut videatur vel ut mereatur, sed ex affectione boni *(ccc)*. De Regeneratione, quod illi qui regenerantur a Domino, & immittunt vera illico in vitam, in interiorem perceptionem de illis veniant; at quod illi qui recipiunt vera primum in memoria, & dein volunt illa & faciunt illa, sint qui in fide sunt; nam ex fide, quæ tunc vocatur conscientia, agunt. Hæc dixerunt se percipere quod ita sit, proinde etiam quid fides. Loquutus sum cum illis per ideas spirituales, per quas sisti & comprehendi possunt talia in luce.

170. Hi Spiritus, cum quibus nunc loquutus sum, erant a parte septentrionali suæ Telluris: dein perductus sum ad alios, qui erant a parte occidentali; hi quoque volentes explorare quinam essem & qualis, statim dicebant, quod apud me nihil nisi quam malum esset, cogitabant quod sic deterrerer a proprius accedendo; apperceptum, quod ita ad omnes, qui adveniunt, primum dicant: sed respondere dabatur, quod sciam bene quod ita sit, & quod apud illos similiter nihil nisi quam malum sit, ex causa quia omnis nascitur in malum, & ideo quicquid ab homine, spiritu, & angelo ut a suo seu proprio venit, non est nisi quam malum, quoniam omne bonum, quod apud unumquemvis, est a Domino: inde appercipiebant, quod in veritate essem, & admittebar ad loquendum cum illis: tunc ostendebant mihi suam ideam de malo apud hominem, & de bono a Domino, quomodo ab invicem separantur; ponebant unum juxta alterum, pœne ut contigua, sed usque distincta, at quasi vincta ineffabili modo, ita ut bonum duceret malum & frænaret illud; ut non liceret ei agere ex lubitu, & quod bonum sic flecteret malum, quo vellet, præterquam quod malum id resciret: ita sistebant dominium boni super malum, & simul statum liberum. Deinde interrogabant, quomodo Dominus apparet apud Angelos e nostra Tellure, dicebam quod appareat in Sole ut Homo, circumdatus ibi Igneo solari, ex quo est omnis Lux angelis in Cœlis, & quod Calor qui procedit inde sit Divinum Bonum, & quod Lux quæ inde sit Divinum Verum, utrumque ex Divino Amore, qui est Igneum apparens circum Dominum in illo Sole: sed quod Sol ille modo Angelis in Cœlo appareat, & non spiritibus qui infra sunt, quoniam hi remotiores sunt

(bbb) Quod amare Dominum sit vivere secundum præcepta Ipsius, n: 10143. 10153. 10310. 10578. 10648.

(ccc) Quod amare proximum sit facere bonum, justum & rectum in omni opere & in omni functione ex affectione boni, justi & recti, n: 8120. 8121. 8122. 10310. 10336. Quod vita amoris erga proximum sit vita secundum præcepta Domini, n: 3249.

ſunt a receptione boni amoris & veri fidei, quam angeli qui in cœlis (vide ſupra n: 40). Quod quæſiverint de Domino, & de Ipſius apparentia coram Angelis a noſtra Tellure, dabatur illis, quoniam tunc placuit Domino ſe præſentem ſiſtere apud illos, ac in ordinem redigere illa quæ ex ſpiritibus malis ibi deturbata ſunt, de quibus conqueſti ſunt; ut hæc viderem, cauſa etiam erat quod illuc perductus ſim.

171. Viſa tunc eſt Nubes obſcura verſus ortum ex alto deſcendens, quæ in deſcendendo apparebat per gradus lucida & in Humana forma, tandem Hæc in Jubare flammeo, circum quod ſtellulæ ejuſdem coloris: ſic Dominus præſentem ſe ſtitit apud Spiritus cum quibus loquebar. Ad præſentiam tunc congregabantur ab undique omnes Spiritus qui ibi, ac cum venerunt, ſeparabantur boni a malis, boni ad dextrum & mali ad ſiniſtrum, & hoc illico ſicut ſua ſponte; & qui ad dextrum, ordinabantur ſecundum quale boni, & qui ad ſiniſtrum ſecundum quale mali, apud illos; qui boni erant, relicti ſunt, ut Societatem cœleſtem inter ſe formarent; mali autem conjecti ſunt in inferna. Poſtea videbam, quod flammeum illud Jubar deſcenderet in inferiora terræ ibi ſatis profunde, & tunc illud apparebat nunc in flammeo vergente ad lucidum, nunc in lucido vergente ad obſcurum, & nunc in obſcuro; & dicebatur mihi ab Angelis, quod apparentia illa ſit ſecundum receptionem veri a bono, ac falſi a malo, apud illos qui inferiora terræ illius incolunt, & prorſus non quod Jubar flammeum tales varietates ſubiret; dicebant etiam quod inferiora terræ illius incolerentur tam a bonis quam a malis, ſed probe ſeparati, ob cauſam ut mali regerentur per bonos a Domino; addebant, quod boni per vices inde eleventur in Cœlum a Domino, & loco illorum alii ſuccedant, & ſic jugiter. In deſcenſu illo ſeparabantur ſimiliter boni a malis, & redigebantur omnia in ordinem: mali enim per varias artes & aſtutias ſe intulerunt ibi in domicilia bonorum, ac infeſtaverunt illos; ob quam cauſam illa Viſitatio. Nubes illa, quæ in deſcendendo apparebat per gradus lucida & in Humana forma, & dein ut Jubar flammeum, erat Societas Angelica, in cujus medio Dominus. Inde ſcire dabatur, quid intelligitur per Domini verba, ubi de Ultimo Judicio, apud Evangeliſtas, "*Quod Venturus ſit cum Angelis in nubibus cœli cum gloria & virtute*".

172. Poſtea viſi ſunt ſpiritus Monachales, qui nempe fuerunt Monachi peregrinatores ſeu Miſſionarii in mundo, de quibus ſupra dictum eſt, & quoque viſa eſt Turba ſpirituum, qui erant ex illa Tellure, plerique mali, quos in ſui partes traxerunt & ſeduxerunt: hi viſi ſunt ad plagam orientalem illius Telluris, e qua abegerunt bonos qui ſe ad ſeptentrionale latus Telluris, de quibus prius, contulerunt: illa turba una cum ſuis ſeductoribus in unum collecta eſt ad aliquot millia, & ſeparata, mali ex illa conjecti ſunt in inferna. Cum uno ſpiritu Monacho dabatur etiam loqui, & quærere quid faceret ibi, dicebat ut illos doceret de Domino; quid porro, de Cœlo & Inferno; quid porro, de Fide omnium quæ dicturus; quid porro, de Poteſtate remittendi peccata, ac aperiendi & claudendi Cœlum; explorabatur tunc quid ſciret de Domino, de veris fidei, de remiſſione peccatorum, de ſalvatione hominis, ac

de cœlo & inferno, & compertum eſt, quod vix aliquid ſciret, & quod eſſet in obſcuro & in falſo de omnibus & ſingulis; & quod ſolum inſideret ei lucrandi & dominandi cupiditas, quam in mundo contraxit, & inde ſecum tulit; quare dicebatur ei, quod quia ex illa cupiditate uſque illuc peregrinatus eſt, & quia talis eſt quoad doctrinam, non aliter potuiſſet quam apud ſpiritus illius Telluris auferre lucem cœleſtem, & inferre tenebras inferni, & ſic efficere quod infernum apud illos dominaretur, & non Dominus. Præterea aſtutus erat in ſeducendo, ſed ſtupidus quoad illa quæ cœli: is quia talis erat, dein conjectus eſt in infernum. Ita ſpiritus illius Telluris ab illis liberati ſunt.

173. Spiritus illius Telluris inter alia quoque dicebant, quod advenæ illi, qui ut dictum eſt, erant ſpiritus Monachi, omni ſtudio perſuaſerint ut in ſocietate ſimul viverent, & non ſeparati & ſolitarii: ſpiritus enim & Angeli habitant & cohabitant ſimiliter ut in mundo; qui congregati habitaverunt in mundo, etiam congregati in altera vita habitant, & qui ſeparati in domos & familias, etiam ſeparati ibi habitant; hi Spiritus in tellure ſua, cum ibi vixerunt homines, habitaverunt ſeparati, domus & domus, familiæ & familiæ, & ſic gentes & gentes, & inde neſciverunt quid eſſet habitare in ſocietate ſimul: quare cum dicebatur illis, quod advenæ illi ita perſuaderent ob cauſam ut imperarent ſeu dominarentur ſuper illos, & quod non aliter poſſent ſubjicere illos ſibi & facere illos ſervos; reſpondebant, quod prorſus neſciant quid ſit imperare & dominari; quod fugiant ad ſolam ideam imperii & dominatus, animadvertebam ex eo, quod unus ex illis, qui nos comitabatur retro, cum oſtenderem illi urbem, in qua habitabam, ad primum aſpectum ejus aufugeret, & amplius non viſus.

174. Tunc loquutus ſum cum Angelis, qui apud me erant, de Dominiis, quod duo genera dominii ſint, unum amoris erga proximum, & alterum amoris ſui; & quod dominium amoris erga proximum ſit inter illos qui ſeparati in domos, familias, & gentes habitant; at dominium amoris ſui inter illos qui in ſocietate ſimul habitant: inter illos qui ſeparati in domos, familias & gentes vivunt, dominatur ille qui Pater gentis eſt, & ſub illo Patres familias, & ſub his Patres cujuſvis domus: Pater gentis dicitur, ex quo familiæ, & ex familiis domus; ſed omnes illi dominantur ex amore, ſicut Patris erga liberos, docet illos quomodo vivent, benefacit illis, & quantum poteſt ex ſuo illis dat; & nuſquam in animum ejus venit ſubjicere illos ſibi ut ſubditos aut ſicut famulos, ſed amat ut obediant illi ſicut filii patri ſuo; & quia hic amor creſcit in deſcendendo, ut notum eſt, ideo Pater gentis ex interiori amore agit quam ipſe pater ex quo filii proxime ſunt: tale etiam dominium eſt in cœlis, quoniam tale dominium eſt Domini; eſt enim dominium Ipſius ex Divino Amore erga univerſum genus humanum. At dominium amoris ſui, quod oppoſitum eſt dominio amoris erga proximum, incepit cum homo ſe abalienavit a Domino; nam quantum homo Dominum non amat & colit, tantum ſe amat & colit, & tantum quoque amat mundum: ex neceſſitate tunc, ut tuti eſſent, contulerunt ſe gentes cum familiis

&

& domibus in unum; & iniverunt Regimina ſub variis formis; quantum enim ille amor crevit, tantum increverunt omnis generis mala, ſicut inimicitiæ, invidiæ, odia, vindictæ, ſævitiæ, doli, contra omnes qui ſe opponebant; a proprio enim, in quo ſunt qui in amore ſui, non aliud ſcaturit quam malum, nam proprium hominis non eſt niſi quam malum, & proprium quia malum, non recipit bonum e cœlo; inde amor ſui, dum eſt regnans, eſt pater omnium talium malorum *(ddd)*: & quoque ille amor talis eſt, ut quantum ei laxantur fræna, ruat, uſque tandem ut unuſquiſque talis dominari velit ſuper omnes alios in univerſo terrarum orbe, & unuſquiſque velit poſſidere omnia aliorum bona; imo nec hoc ſatis eſt, dominari vult ſuper univerſum cœlum; ut conſtare poteſt ex hodierna Babylonia. Hoc nunc eſt dominium amoris ſui, a quo tantum differt dominium amoris erga proximum, quantum Cœlum ab Inferno. Sed quantumvis dominium amoris ſui tale eſt in ſocietatibus, ſeu in Regnis & Imperiis, uſque tamen datur dominium amoris erga proximum etiam in illis, apud eos qui ſapientes ſunt ex fide & amore in Deum, hi enim amant proximum: quod hi etiam in Cœlis habitent diſtincti in gentes, familias, & domos, tametſi in ſocietatibus ſimul, ſed ſecundum affinitates ſpirituales, quæ ſunt boni amoris & veri fidei, alibi, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur.

175. Poſtea interrogabam Spiritus illos de variis quæ in Tellure, e qua erant; primum de Cultu eorum Divino, & de Revelatione; de Cultu dicebant, quod Gentes cum familiis ſuis quovis trigeſimo die ad unum locum conveniant, & audiant prædicationes; & quod Prædicator tunc e Pulpito aliquantum e terra elevato doceat illos Vera Divina, quæ ducunt ad bonum vitæ. De Revelatione ajebant, quod illa fiat tempore matutino in ſtatu medio inter ſomnum & vigiliam, quando in luce interiore nondum interpolata a ſenſibus corporeis & a mundanis ſunt; & quod tunc audiant Angelos Cœli loquentes de Veris Divinis, ac de vita ſecundum illa; & quod cum in vigiliam veniunt, appareat illis Angelus in veſte alba ad lectum, qui tunc ſubito ab oculis illorum diſparatur; & quod inde ſciant, quod ex Cœlo ſint quæ audiverunt: ita internoſcitur Viſio Divina a viſione non Divina, nam in viſione non Divina Angelus non apparet: addebant quod tali modo Revelationes fiant apud Prædicatores eorum, quandoque etiam apud alios.

176. Ad

(ddd) Quod hominis proprium, quod trahit a parentibus, non ſit niſi quam denſum malum, n: 210. 215. 731. 874. 876. 987. 1047. 2307. 2318. 3518. 3701. 3812. 8480. 8550. 10283. 10284. 10286. 10731. Quod hominis proprium ſit amare ſe præ Deo, & mundum præ cœlo, & nihili facere proximum reſpective ad ſe, niſi modo propter ſe, ita ſemet, ſic quod ſit amor ſui & mundi, n: 694. 731. 4317. 5660. Quod ex amore ſui & mundi, dum prædominantur, omnia mala, n: 1307. 1308. 1321. 1594. 1691. 3413. 7255. 7376. 7480. 7488. 8318. 9335. 9348. 10038. 10742. Quæ ſunt contemtus aliorum, inimicitia, odium, vindicta, ſævitia, dolus, n: 6667. 7372. 7373. 7374. 9348. 10038. 10742: & quod ex his malis omne falſum, n: 1047. 10283. 10284. 10286.

176. Ad interrogationem de domibus eorum, dicebant, quod illæ humiles sint, ex lignis, cum tecto plano, circum quod limbus obliquatus deorsum; & quod anterius ibi habitent Maritus & Uxor, in contiguo proximo liberi, post ancillæ & famuli. De Cibo dicebant, quod bibant lac cum aqua; & quod lac illis sit ex vaccis, quæ lanigeræ sicut oves. De vita eorum dicebant, quod ambulent nudi, & quod nuditas illis non pudori sit: tum quod conversationes illorum sint cum illis qui intra familias.

177. De Sole illius telluris narrabant, quod ille appareat incolis flammeus; quod tempus annuum illis sit 200 dierum; & quod dies æquet 9 horas nostri temporis; quod ex diuturnitate dierum nostræ telluris in me percepta concludere potuerunt: & porro, quod illis vernum & æstivum perpetuum sit, & inde quod campi floreant, & arbores fructus ferant perenniter: causa quod ita sit, est quia Annus eorum tam brevis est, æquans modo tempus 75 dierum nostri anni; & ubi anni tam breves sunt, ibi non frigus moratur hyeme, nec æstus ætate, unde vernat humus continue.

178. De Desponsationibus & Conjugiis in illa Tellure referebant, quod Filia circa ætatem ejus nubilem teneatur domi, nec liceat ei exire usque ad diem quo maritanda; & quod tunc perducatur ad domum quandam connubialem, quo etiam plures aliæ adolescentulæ, quæ nubiles, deductæ sunt, ac ibi ponantur post tabulatum usque ad mediam corporis eorum partem elevatum; apparentes sic nudæ quoad partem pectoralem & faciem: & quod tunc Juvenes illuc veniant, ut sibi eligant aliquam in uxorem; & cum Juvenis videt quandam sibi conformem, ad quam animus ejus illum trahit, manu illam prehendit; si illa tunc sequitur, ducit illam in domum præparatam, & fit ejus uxor: ex faciebus enim vident, num animis conveniant, nam facies cujusvis ibi est index animi, nihil simulat & mentitur. Ut omnia decenter fiant, & absque lascivia, post puellas virgines sedet vir senex, & ad latus mulier vetula, & observant. Talia loca sunt plura, ad quæ adolescentulæ ducuntur; & quoque stata tempora, ut juvenibus sit electio; si enim non in uno loco puellam sibi convenientem vident, abeunt in alium; & si non eo tempore, sequenti redeunt. Porro dicebant, quod Maritus modo unam uxorem habeat, & nusquam plures, quia hoc contra ordinem Divinum.

F I N I S.

DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO.



AMSTELODAMI:

M DCCLXIII.



PRÆFATIO.

Nte aliquot annos edita ſunt quinque Opuſcula, quæ ſunt 1. De Cælo et Inferno. 2. Doctrina novæ Hierosolymæ. 3. De ultimo Judicio. 4. De Equo albo. 5. De Planetis et Telluribus in universo: in quibus manifeſtata ſunt plura, quæ hactenus ignota fuerunt. Nunc ex mandato Domini, qui mihi revelatus eſt, publico ſiſtenda ſunt ſequentia.

Doctrina Novæ Hierosolymæ de Domino.

Doctrina Novæ Hierosolymæ de Scriptura Sacra.

Doctrina vitæ pro Nova Hierosolyma ex Præceptis Decalogi.

Doctrina Novæ Hierosolymæ de Fide.

Continuatio de Ultimo Judicio.

Sapientia Angelica de Divina Providentia.

Sapientia Angelica de Divina Omnipotentia, Omnipraesentia, Omniscientia, Infinitate et Æternitate.

Sapientia Angelica de Divino Amore et de Divina Sapientia.

Sapientia Angelica de Vita.

Dicitur Doctrina Novæ Hierosolymæ, ac intelligitur Doctrina pro Nova Ecclesia, quæ hodie a Domino instauranda est, vetus enim Ecclesia ad finem suum pervenit, ut constare potest ex illis, quæ in Opusculo de Ultimo Judicio n. 33. ad 39, dicta sunt, & quæ in Sequentibus Opusculis mox nominatis ulterius dicenda sunt. Quod per Novam Hierosolymam, quæ in Apocalypsi Cap. XXI. prædicitur ventura post Judicium, intelligatur Nova Ecclesia, videatur hic infra in ultimo Articulo.



DOCTRI-



DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO.



Quod universa Scriptura Sacra sit de Domino; & quod Dominus sit Verbum.

1. Egitur apud Johannem. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil quod factum est. In Ipso Vita erat, & vita erat Lux hominum: & Lux in tenebris apparet, sed tenebræ illam non comprehenderunt. Cæterum Verbum Caro factum est, & habitavit inter nos, & vidimus gloriam Ipsius, gloriam sicut Unigeniti a Patre, plenus gratia & veritate;* I: 1. 2. 3. 4. 5. 14. Aput Eundem, *Lux venit in mundum, sed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim opera eorum mala*, III: 19: & alibi apud Eundem, *Quousque Lucem habetis, credite in Lucem, ut filii Lucis sitis. Ego Lux in mundum veni, ut omnis qui credit in Me, in tenebris non maneat*, XII: 36. 46. Ex his patet, quod Dominus sit ab æterno Deus, & quod Ipse Ille Dominus sit, qui natus est in mundo; dicitur enim, Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; tum sine Ipso factum est nihil quod factum est: & postea, quod Verbum Caro factum sit, & viderint Ipsum. Quod Dominus dicatur Verbum, parum in

Ecclesia intelligitur; sed dicitur Verbum, quia Verbum significat Divinum Verum seu Divinam Sapientiam, & Dominus est Ipsum Divinum Verum seu Ipsa Divina Sapientia, quare etiam vocatur Lux, de qua etiam dicitur quod in mundum venerit. Quia Divina Sapientia & Divinus Amor unum faciunt, & in Domino unum ab æterno fuerant, ideo etiam dicitur, *in Ipso vita erat, & vita erat lux hominum*, Vita est Divinus Amor, & Lux est Divina Sapientia. Hoc unum est, quod intelligitur per quod in *principio esset Verbum apud Deum, & quod Deus esset Verbum*; apud Deum est in Deo, nam sapientia est in amore, & amor in sapientia; similiter alibi apud Johannem, *Glorifica me Tu Pater apud Te Ipsum, gloria, quam habui antequam mundus esset apud Te*, XVII: 5; apud Te Ipsum est in Te Ipso; quare etiam dicitur, & Deus erat Verbum: & alibi, quod Dominus sit in Patre & Pater in Ipso, tum quod Pater & Ipse unum sint. Nunc quia Verbum est Divina Sapientia Divini Amoris, sequitur quod sit Ipse Jehovah, ita Dominus, a Quo omnia facta sunt quæ facta, nam ex Divino Amore per Divinam Sapientiam omnia creata sunt.

2. Quod sit idem Verbum, quod manifestatum est per Mosen & Prophetas, & per Evangelistas, quod hic in specie intelligitur, manifeste constare potest ex eo, quod illud sit ipsum Divinum Verum, ex quo omnis sapientia est Angelis, & intelligentia spiritualis hominibus; est enim idem hoc Verbum, quod est apud homines in mundo, etiam apud Angelos in cælis, at in mundo apud homines est illud naturale, in cælis autem est spirituale: & quia est Divinum Verum, est etiam Divinum procedens, & hoc non modo est a Domino, sed etiam est Ipse Dominus. Quia illud est Ipse Dominus, ideo omnia & singula Verbi de solo Ipso scripta sunt; ab Esaia usque ad Malachiam non datur aliquid quod non de Domino, aut in opposito sensu contra Dominum. Quod Ita sit, nemo adhuc viderat, sed usque omnis id videre potest, modo id scit, & dum legit, id cogitat, ac insuper scit, quod in Verbo non modo sit sensus naturalis, sed etiam spiritualis, & quod in hoc sensu per nomina Personarum & Locorum significetur aliquid Domini, & inde aliquid cæli & Ecclesiæ ab Ipso, aut aliquod oppositum. Quoniam omnia & singula Verbi de Domino sunt, & Verbum est Dominus quia est divinum Verum, patet cur dicitur, *Et Verbum Caro factum est, & habitavit inter nos, & vidimus gloriam Ipsius.* Tum cur dicitur, *Quousque Lucem habetis, credite in Lucem, ut filii Lucis sitis: Ego Lux in mundum veni, qui credit in Me, in tenebris non manet*; Lux est Divinum Verum, ita Verbum. Propter hoc, omnis, etiam hodie, qui Dominum solum adit, dum legit Verbum, & orat ad Ipsum, illustratur in eo.

3. Paucis hic etiam dicetur, quid de Domino apud omnes Prophetas Veteris Testamenti, ab Esaja usque ad Malachiam in genere & in specie agitur I. Quod Dominus in mundum venerit in plenitudine temporum, quæ erat quando Ipse non amplius a Judæis cogoscebatur, & ex eo quando non aliquid Ecclesiæ supererat, & nisi tunc Dominus in Mundum venisset & se revelavisset, homo morte æterna periisset; dicit Ipse apud Johannem, *Nisi credideritis quod Ego sim, moriemini in peccatis vestris*, VIII: 24. II. Quod Dominus in mundum venerit, ut Ultimum Judicium faceret, & per id Inferna tunc dominan-

tia

tia subjugaret, quod factum est per Pugnas, seu per Tentationes in Humanum suum a Matre, admissas, & per continuas tunc victorias: quæ nisi subjugata fuissent, nullus homo potuisset salvari. III. Quod Dominus in Mundum venerit, ut glorificaret Humanum, hoc est, uniret illud Divino, quod in Ipso ex conceptione erat. IV. Quod Dominus in mundum venerit, ut novam Ecclesiam instauraret, quæ Ipsum agnosceret Redemptorem & Salvatorem, ac per amorem & fidem in Ipsum redimeretur & salvaretur. V. Quod simul tunc ordinaret Cælum, ut unum faceret cum Ecclesia. VI. Quod Passio crucis fuerit ultima pugna seu tentatio, per quam plene vicit Inferna, & plene glorificavit Humanum suum. Quod Verbum non de aliis rebus agat, videbitur in sequente Opusculo de Scriptura sacra.

4. Ad confirmandum quod ita sit, velim in Primo hoc Articulo solum adducere loca e Verbo, ubi dicitur DIES ILLE, in DIE ILLO, inque TEMPORE ILLO, in quibus per Diem & per Tempus intelligitur Adventus Domini. Apud ESAJAM: Fiet in POSTERITATE DIERUM, stabilis erit mons Jehovæ in capite montium. Exaltabitur Jehovah solus in DIE ILLO. DIES JEHOVÆ Zebaoth super omnem magnificum & altum. In DIE ILLO projiciet homo idola argenti & auri sui. Cap. II. 2. 11. 12. 20. In DIE ILLO removebit Dominus Jehovih ornatum: Cap. III. 18. In DIE ILLO erit germen Jehovæ in decus & gloriam; Cap. IV. 2. Fremet contra eum in DIE ILLO, ac despiciet in terram, quæ ecce tenebræ, anxietas, & lux obtenebrescet in ruinis; Cap. V. 30. Fiet in DIE ILLO, sibilabit Jehovah muscæ in extremitate fluviorum Ægypti. In DIE ILLO detondebit Dominus in transitibus fluvii. In DIE ILLO vivificabit. Erit in DIE ILLO omnis locus in senticetum & vepretum; Cap. VII. 18. 20. 21. 23. Quid facietis in DIE visitationis, qui veniet. In DIE ILLO Israel innitetur Jehovæ, Sancto Israelis in veritate; Cap. X. 3. 20. Fiet in DIE ILLO, radicem Jischaji, quæ stans in signum populorum, Gentes quærent, & erit quies Ipsius gloria. Imprimis in DIE ILLO Dominus requiret reliquias populi sui; Cap. XI. 10. 11. Dices in DIE ILLO, confitebor tibi Jehovah. Dicetis in DIE ILLO, confitemini Jehovæ, invocate Nomen Ipsius; Cap. XII. 1. 4. Propinquus est DIES JEHOVAE, sicut devastatio a Schaddai veniet. Ecce DIES JEHOVAE venit crudelis, & indignationis, & excandescentiæ, & iræ. Commovebo Cælum, & trepidabit terra e loco suo, in DIE excandescentiæ iræ Ipsius. Propinquum est TEMPUS Ipsius, & veniet, & dies non extrahentur; Cap. XIII. 6. 9. 13. 22. Fiet in DIE ILLO, attereretur gloria Jacobi. In DIE ILLO respiciet homo ad Factorem suum, & oculi ad Sanctum Israelis. In DIE ILLO erunt urbes refugii in derelicta sylvæ, Cap. XVII. 4. 7. 9. Dicet habitator insulæ in DIE ILLO, ecce exspectatio nostra. In DIE ILLO erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes labia Canaanis. In DIE ILLO erit Altare Jehovæ in medio Ægypti. In DIE ILLO erit semita ex Ægypto in Aschutem, & Israël erit in medio terræ: Cap. XX: 6. 18. 21. 24. DIES tumultus, & conculcationis & perplexitatis Domino Jehovih Zebaoth; Cap. XXII. 5. 11. In DIE ILLO visitabit Jehovah super exercitum altitudinis, & super reges terræ. Post multitudinem DIERUM visitabuntur, tunc erubescet Luna, & pudefiet Sol; Cap. XXIV. 21. 23. Jehovah dicet in DIE ILLO, ecce Deus noster

ſter hic, quem expectavimus, ut liberet nos; Cap. XXV. 9. In DIE ILLO cantabitur Canticum hoc in terra Jehovæ, urbs valida nobis; Cap. XXV. 1. In DIE ILLO viſitabit Jehovah gladio ſuo. In DIE ILLO reſpondete illi vinea meri. Cap. XXVII. 1. 2. 12. 13. In DIE ILLO erit Jehovah Zebaoth in coronam ornatus & in cidarim; Cap. XXVIII. 5. Tunc audient in DIE ILLO ſurdi verba Libri, eque tenebris oculi cæcorum videbunt; Cap. XXIX. 18. Erunt ductus aquarum in DIE cædis magnæ, cum cadent turres, & lux lunæ ſicut lux ſolis. In DIE quo obligabit Jehovah fracturam populi ſui; Cap. XXX. 25. 26. In DIE ILLO rejicient vir idola argenti & auri ſui Cap. XXXI. 7. DIES vindictæ Jehovæ, ANNUS retributionum Ipſius; Cap. XXXIV. 8. Venient tibi duo illa in uno DIE, orbitas & viduitas; Cap. XLVII. 9. Cognoſcet populus meus nomen meum, & in DIE ILLO Ego Ille, qui loquens, ecce Me; Cap. LII. 6. Unxit Jehovah me, ad proclamandum ANNUM bene placiti Jehovæ & DIEM vindictæ Deo noſtro, ad conſolandum omnes lugentes; Cap. LXI. 1. 2. DIES vindictæ in corde meo, & ANNUS redemptorum meorum venit; Cap. LXIII. 4.

Apud JEREMIAM. In DIEBUS ILLIS non dicetis amplus Arca fæderis Jehovæ. In TEMPORE illo vocabunt Hieroſolymam thronum Jehovæ. In DIEBUS ILLIS ibunt domus Jehudæ ad domum Iſraelis; Cap. III. 16. 17. 18. In DIE ILLO peribit cor regis, & cor principum, & obſtupeſcent ſacerdotes & prophetæ; Cap. IV. 9. Ecce DIES VENIENTES, quibus in vaſtitatem evadet terra; Cap. VII. 32. Cadent inter cadentes in DIE viſitationis eorum; Cap. VIII. 12. Ecce DIES VENIENTES, viſitabo omnem circumciſum in præputio; Cap. IX. 24. In TEMPORE viſitationis eorum peribunt; Cap. X. 5. Reliquiæ non erunt eis, adducam malum ſuper illos ANNO viſitationis illorum; Cap. XI. 13. Ecce DIES VENIENTES, quibus non dicetur amplius, Cap. XVI. 14. Cervice & non faciebus reſpiciam eos in DIE exitii illorum; Cap. XVIII. 17. Ecce DIES VENIENTES, quibus dabo locum hunc in devaſtationem; Cap. XIX. 6. Ecce DIES VENIENTES, quibus ſuſcitabo Davidi germen juſtum, qui regnet Rex. In DIEBUS ILLIS ſalvabitur Jehudah, & Iſrael habitabit ſecure. Quare ecce DIES VENIENTES, quibus non dicent amplius. Adducam ſuper illos malum ANNO viſitationis illorum. In EXTREMITATE DIERUM intelligetis intelligentiam; Cap. XXIII. 5. 6. 7. 12. 20. Ecce DIES VENIENTES, quibus converſurus. Heu magnus DIES HIC, & non erit ſicut ille. Fiet in DIE ILLO frangam jugum & vincula avellam; Cap. XXX. 3. 7. 8. DIES erit, quo clamabunt cuſtodes in monte Ephraim, ſurgite, aſcendamus Sionem, ad Jehovam Deum noſtrum. Ecce DIES VENIENTES, quibus pangam fædus novum. Ecce DIES VENIENTES, quibus ædificabitur urbs Jehovæ; Cap. XXXI. 6 27. 31. 38. DIES VENIENTES, quibus ſtabiliam verbum bonum. In DIEBUS ILLIS, & in TEMPORE ILLO germinare faciam Davidi germen juſtum. In DIEBUS ILLIS ſalvabitur Jehudah; Cap. XXXIII. 14. 15. 16. Adducam verba contra urbem hanc in malum in DIE ILLO. Te autem eripiam in DIE ILLO; Cap. XXXIX. 16. 17. DIES ILLE Domino Jehovih Zebaoth DIES ultionis, vindictam ſumet de hoſtibus ſuis. DIES exitii venit ſuper eos, TEMPUS viſitationis eorum; Cap. XLVI. 10. 21. Propter DIEM VENIENTEM ad vaſtandum; Cap. XLVII. 4. Adducam ſuper illum

ANNUM visitationis. Reducam tamen captivitatem ejus in EXTREMITATE DIERUM; Cap. XLVIII. 44. 47. Exitium adducam super eos TEMPORE visitationis eorum. Cadent juvenes ejus in plateis, & omnes viri belli exscindentur in DIE ILLO. In EXTREMITATE DIERUM reducam captivitatem illorum; Cap. XLIX. 8. 26. 39. In DIEBUS ILLIS & in TEMPORE ILLO venient filii Israelis & filii Jehudæ simul, & Jehovam Deum suum quærent. In DIEBUS ILLIS & in TEMPORE ILLO quæretur iniquitas Israelis, & non illa. Væ illis, quia venit DIES illorum, TEMPUS visitationis illorum: Cap. L. 4. 20. 27. 31. Vanitas illa, opus errorum, in TEMPORE visitationis illorum peribunt; Cap. LI. 18.

Apud EZECHIELEM. Finis venit, venit finis, venit mane super te, venit TEMPUS, propinquus est DIES tumultus. Ecce DIES, ecce venit, exivit mane, effloruit virga, germinavit violentia. Advenit DIES, advenit TEMPUS super omni multitudine ejus. Non argentum & aurum eripient illos in DIE iræ JEHOVÆ; Cap. VII. 6. 7. 10. 12. 19. Dicebant de Propheta, visio quam ille videns, fiet post dies multos; in TEMPORA LONGINQUA ille prophetans; Cap. XII. 27. Non stabunt in bello in DIE iræ Jehovæ; Cap. XIII. 5. Tu confossus impius, princeps Israelis, cujus venit DIES, in TEMPORE iniquitatis finis; Cap. XXI. 30. 34. Urbs effundens sanguinem in medio tui, ut veniat TEMPUS ejus; & appropinquare fecisti dies, ut venias ad amores tuos; Cap. XXII. 3. 4. Nonne in DIE, quo abstulero ab iis robur; in DIE ILLO veniet ereptus ad te ad informationem aurium. In DIE ILLO aperietur os tuum cum erepto; Cap. XXIV. 25. 26. 27. In DIE ILLO crescere faciam cornu domui Israelis; Cap. XXIX. 21. Ejulate, heu DIEM, nam propinquus DIES JEHOVÆ, propinquus DIES JEHOVÆ, DIES nubis, TEMPUS gentium erit. In DIE ILLO exibunt nuntii a Me; Cap. XXX. 2. 3. 9. In DIE, quo descensurus es in infernum, Cap. XXXI. 15. Ego quæram gregem meum, in DIE quo erit in medio gregis tui, & eripiam eos ex omnibus locis quo dispersi fuerunt. In DIE nubis & caliginis; Cap. XXXIV. 11. 12. In DIE, quo mundavero vos ab omnibus iniquitatibus vestris; Cap. XXXVI. 33. Propheta & dic, nonne in DIE ILLO, quo sedebit populus meus Israel secure, cognosces. In POSTERITATE dierum deducam te in terram meam. In DIE ILLO, in DIE quo veniet Gog super terram. In zelo meo, in DIE indignationis meæ, si non in DIE HOC fuerit terræ motus magnus super terra Israelis; Cap. XXXVIII. 14. 16. 18. 19. Ecce venit, HIC DIES de quo loquutus sum. Fiet in DIE ILLO dabo Gogo locum sepulchro in terra Israelis; ut cognoscat domus Israelis, quod Ego Jehovah Deus illorum ex DIE ILLO & deinceps; Cap. XXXIX. 8. 11. 12.

Apud DANIELEM. Deus in Cœlis revelavit arcana, quid futurum in POSTERITATE DIERUM; Cap II. 28. TEMPUS advenit, ut Regnum confirmarent sancti; Cap. VII. 22. Attende, quia ad TEMPUS FINIS visio. Dixit, ecce ego notum faciam tibi, quod futurum in EXTREMITATE iræ, quia ad statum TEMPUS FINIS. Visio vesperæ & mane veritas est; tu reconde visionem, quia in DIES MULTOS; Cap. VIII. 17. 19. 26. Veni ad faciendum te intelligere, quid obveniet populo tuo in EXTREMITATE DIERUM, quia adhuc visio in dies; Cap. X. 14. 15. Intelligentes probabuntur ad purgandum & mundandum, usque ad

TEMPUS FINIS, nam adhuc ad ſtatum TEMPUS; Cap. XI. 35. In TEMPORE ILLO ſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui, & erit TEMPUS anguſtiæ, quale non fuit, ex quo gens. In TEMPORE HOC tamen eripietur populus tuus, omnis qui invenietur ſcriptus in Libro; Cap. XII. 1. Tu Daniel occlude verba, & obſigna librum uſque ad TEMPUS FINIS. A TEMPORE vero, quo removebitur juge, & dabitur abominatio devaſtans, dies mille ducenti nonaginta. Surges in ſortem tuam ſub FINEM DIERUM, Cap. XIII 4. 9 11. 13.

Apud HOSCHEAM. FINEM faciam regni domus Iſraelis. In DIE ILLO frangam arcum Iſraelis. Magnus DIES Iſraelis; Cap. I. 5. 11. In DIE ILLO, vocabis, marite mi. Feriam illis fædus in DIE ILLO. In DIE ILLO exaudiam; Cap. II. 16. 18. 21. Rervertentur filii Iſraelis, & quærent Jehovam Deum, & Davidem Regem ſuum in EXTREMITATE DIERUM; Cap. III. 5. Ecce in DIEBUS ILLIS, & in tempore illo, quibus reducam; Cap. IV. 1. Ite & revertamur ad Jehovam, vivificabit nos poſt biduum, & in DIE TERTIO eriget nos, & vivemus coram Ipſo; Cap. VI. 1. 2. Venerunt DIES viſitationis, venerunt DIES retributionis; Cap. IX. 7.

Apud JOELEM. Heu DIES, quia propinquus DIES JEHOVÆ, & ſicut devaſtatio a Schaddai veniet; Cap. I. 15. Venit DIES JEHOVÆ. propinquus DIES tenebrarum & caliginis, DIES nubis & obſcuritatis. Magnus DIES JEHOVÆ & terribilis valde, & quis ſuſtinebit illum; Cap. II. 1. 2. 11. Super ſervos & ancillas in DIEBUS ILLIS effundam ſpiritum meum. Sol vertetur in tenebras, & luna in ſangvinem, antequam venit DIES JEHOVÆ magnus & terribilis; Cap. III. 2. 4. In DIEBUS ILLIS, & in TEMPORE ILLO congregabo omnes gentes. Propinquus eſt DIES JEHOVÆ. Fiet in DIE ILLO ſtillabunt montes muſtum; Cap. IV. 1. 14. 18.

Apud OBADIAM. In DIE ILLO perdam ſapientes ex Edomo. Ne læteris ſuper illis in DIE interitus eorum, in DIE anguſtiæ eorum. Propinquus namque DIES JEHOVÆ ſuper omnes gentes; Verſ. 8. 12. 13. 14. 15.

Apud AMOSUM. Fortis corde ſuo fugiet nudus in DIE ILLO; Cap. II. 16. In DIE quo viſitaturus prævaricariones Iſraelis ſuper illum; Cap. III. 14. Væ deſiderantibus DIEM JEHOVÆ: quid vobis DIES JEHOVÆ, ille tenebrarum & non lucis. Nonne tenebræ erit DIES JEHOVÆ, & non lux, & caligo, non autem ſplendor illi; Cap. V. 13. 18. 20. Ejulabunt cantica Templi in DIE ILLO. In DIE ILLO occidere faciam ſolem in meridie: & obtenebrabo terram in die lucis. In DIE ILLO deficient virgines pulchræ & juvenes ſiti; Cap. VIII. 3. 9. 13. In DIE ILLO erigam tentorium Davidis collapſum. Ecce DIES VENIENTES ut ſtillent montes muſtum; Cap. IX. 11. 3.

Apud MICHAM. In DIE ILLO lamentabitur, vaſtando vaſtati ſumus; Cap. II. 4. In EXTREMITATE DIERUM erit mons domus Jehovæ conſtitutus in caput montium. In DIE ILLO colligam claudum; Cap. IV. 1. 6. In ILLO DIE exſcindam equos tuos & currus tuos; Cap. V. 9. DIES ſpeculatorum tuorum, viſitatio tua venit. DIES adeſt ad ædificandum macerias: DIES hic uſque ad te veniet; Cap. VII. 5. 11. 12.

Apud HABAKUK. Adhuc viſio in TEMPUS conſtitutum, & effatur in finem; ſi morabitur, exſpecta illud quia veniendo veniet, nec procraſtinabitur; Cap. II. 3. Je-

3. Jehovah, in MEDIO ANNORUM fac opus tuum; in MEDIO ANNORUM notum facias; Deus veniet; Cap. III. 2.

Apud ZEPHANIAM. Propinquus eſt DIES JEHOVÆ. In DIE ſacrificii Jehovæ viſitabo ſuper principes, & ſuper filios regis. In DIE ILLO erit vox clamoris. In TEMPORE ILLO perſcrutabor Hieroſolymam lucernis. Propinquus DIES JEHOVÆ magnus. DIES excandeſcentiæ DIES HIC. DIES anguſtiæ & coarctationis. DIES vaſtationis & devaſtationis. DIES tenebrarum & caliginis. DIES nubis & obnubilationis. DIES buccinæ & clangoris. In DIE excandeſcentiæ Jehovæ commedetur tota terra, & conſummationem feſtinatam faciet cum omnibus habitatoribus terræ; Cap. I. 7. 8. 9. 10. 12. 14 15. 16. 18. Cum nondum venit ſuper nos DIES iræ Jehovæ. Forte abſcondemini in DIE iræ Jehovæ; Cap. II. 2. 3. Exſpectate Me uſque ad DIEM ſurgere meum ad prædam, nam judicium meum. In DIE ILLO non pudefies ab operibus tuis. In DIE ILLO dicetur Hieroſolymæ, ne time. Conficiam oppreſſores tuos in TEMPORE ILLO. In TEMPORE ILLO adducam vos. In TEMPORE ILLO congregabo vos, quia dabo vos in nomen & in laudem; Cap. III. 11. 16. 19. 20.

Apud SACHARIAM. Removebo iniquitatem terræ in DIE UNO. In DIE ILLO clamabitis vir ad ſocium ſuum, ſub vitem & ſub ficum; Cap. III. 9. 10. Tunc adhærebunt gentes multæ Jehovæ in DIE ILLO; Cap. II. 15. In DIEBUS ILLIS apprehendent decem viri alam viri Judæi; Cap. VIII. 23. Servabit illos Jehovah Deus illorum in DIE ILLO ſicut gregem populum ſuum; Cap. IX. 16. Fædus meum ruptum eſt in DIE ILLO; Cap. XI 11. In DIE ILLO ponam Hieroſolymam lapidem oneris omnibus populis. In DIE ILLO percutiam omnem equum ſtupore. In DIE ILLO ponam duces Jehudæ ſicut fornacem ignis in lignis. In DIE ILLO proteget Jehovah habitatores Hieroſolymæ. In DIE ILLO quæram perdere omnes gentes. In DIE ILLO creſcet planctus in Hieroſolyma; Cap. XII. 3. 4. 6. 8. 9. 11. In DIE ILLO fons erit apertus domui Davidis & habitatoribus Hieroſolymæ. Fiet in DIE ILLO exſcindam nomina idolorum in terra. In DIE ILLO pudefient prophetæ; Cap XIII. 1. 2-4. Ecce DIES veniens JEHOVÆ. Stabunt pedes Ipſius in DIE ILLO ſuper monte olivarum. In DIE ILLO non erit lux & ſplendor. DIES UNUS qui notus erit Jehovæ, non dies non nox, circa tempus veſperæ erit lux. In DIE ILLO exibunt aquæ vivæ ex Hieroſolyma. In DIE ILLO erit Jehovah unus, & nomen Ipſius unum. In DIE ILLO erit tumultuatio Jehovæ magna. In DIE ILLO erit ſuper tintinnabulis equorum ſanctitas Jehovæ. Non erit amplius Cananæus in domo Jehovæ in DIE ILLO; Cap. XIV. 1. 4. 6. 7. 8. 13. 20. 21.

Apud MALACHIAM. Quis ſuſtinet DIEM adventus Ipſius, & quis conſiſtet cum apparuerit. Ut ſint mihi in DIE, quem facio, in peculium. Ecce DIES VENIENS ardens ſicut clibanus. Ecce Ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam venit DIES JEHOVÆ magnus & terribilis; Cap. III 2. 17. 19. 23.

Apud DAVIDEM. Florebit in DIEBUS IPSIUS juſtus & multa pax; & dominabitur a mari ad mare, & a fluvio uſque ad fines terræ; Pſalm. LXXII. 7. 8. præter alibi.

5. In his locis per DIEM & per TEMPUS, intelligitur Adventus Domini: per

DIEM aut TEMPUS Tenebrarum, Caliginis, Obscuritatis, non Lucis, Devastationis, Iniquitatis finis, Interitus, intelligitur Adventus Domini, quando non amplius cognoscebatur, & inde quando non amplius aliquid Ecclesiæ supererat. Per DIEM Crudelem, Terribilem, Excandescentiæ, iræ, tumultus, visitationis, sacrificii, retributionis, angustiæ, belli, clamoris, intelligitur Adventus Domini ad Judicium. Per DIEM, quo exaltabitur Jehovah solus: quo unus erit & nomen Ipsius unum: quo erit germen Jehovæ in decus & gloriam: quo florebit justus: quo vivificabit: quo quæret gregem suum: quo feriet fædus novum: quo stillabunt montes mustum: quo exibunt aquæ vivæ ex Hierosolyma: quo respicient ad Deum Israelis, & plura similia, intelligitur Adventus Domini ad instaurandam Ecclesiam novam, quæ Ipsum agnoscet Redemptorem & Salvatorem.

6. His adjicere licet aliqua loca quæ apertius de Adventu Domini loquuntur, quæ sunt: *Dat Dominus Ipse vobis signum, ecce virgo concipiet & pariet Filium, & vocabit Nomen Ipsius* DEUS NOBISCUM, Esaj. VII. 14. Matth. I. 22. 23. *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super cujus humero principatus: & vocabit nomen Ipsius, Mirabilis, Consiliarius, Deus, Heros, Pater æternitatis, Princeps pacis: multiplicanti principatum & pacem non erit finis, super throno Davidis, & super Regno ejus, ad stabiliendum illud in judicio & justitia, a nunc & usque in æternum*; Esaj. IX. 5. 6. *Exibit virga de trunco Jishaji, & surculus e radicibus ejus fructum feret; quiescet] super Eo spiritus Jehovæ, spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consilii & virtutis. Erit justitia cingulum lumborum Ejus, & veritas cingulum feminum Ejus. Fiet ergo in die illo, Radicem Jishaji, quæ stans in signum populorum, gentes quærent; & erit quies Ejus gloria*; Esaj. XI 1. 2. 5. 10. *Mittite Agnum Dominatoris terræ de petra versus desertum, ad montem filiæ Zionis. Firmatus est per misericordiam Thronus, & sedit super eo in veritate in tabernaculo Davidis, judicans & quærens judicium, & festinans justitiam*; Esaj. XVI. 1. 5. *Dicetur in die illo, ecce Deus noster Hic, quem exspectavimus ut liberet nos*; HIC JEHOVAH, *quem exspectavimus; exultemus & lætemur in salute Ipsius*; Esaj. XXV. 9. *Vox clamantis in deserto, parate viam* JEHOVÆ, *complanate in solitudine semitam* DEO NOSTRO: *Revelabitur enim gloria* JEHOVÆ, *& videbunt omnis caro simul. Ecce* DOMINUS JEHOVIH *in forti venit, & brachium Ipsius dominabitur Ipsi; ecce merces Ipsius cum Ipso: sicut Pastor gregem suum pascet*; Esaj. XL. 3. 5. 10. 11. *Electus meus, in quo beneplacitum habet anima mea. Ego* JEHOVAH *vocavi Te in Justitia, & dabo Te in fædus populo, in lucem gentium, ad aperiendum oculos cæcos, ad educendum e carcere vinctum, e domo claustri sedentes in tenebris: Ego* JEHOVAH, *hoc nomen meum, gloriam meam non alteri dabo*; Esaj. XLII. 1. 6. 7. 8. *Quis credidit verbo nostro, & brachium Jehovæ super quo revelatum est: non forma Ipsi, vidimus Ipsum, sed non aspectus: morbos nostros Ille tulit, & dolores nostros portavit*; Esaj. LIII. ad fin. *Quis Hic, qui venit ex Edom, conspersus vestes ex Bozra, incedens in multitudine roboris sui, qui loquor in Justitia, magnus ad salvandum: nam dies vindictæ in corde meo, & annus redemptorum meorum venit; ideo factus est illis in Salvatorem*; Esaj. LXIII. 1 ad 8. *Ecce dies venientes, cum suscitabo Davidi germen justum, qui regnet Rex, & prosperetur, faciatque judicium & justitiam in terra: & hoc nomen*

men Ipsius, quod vocabunt Ipsum, JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA; Jerem. XXIII. 5. 6. Cap. XXXIII. 15. 16. *Exulta valde, filia Zionis, clange filia Hierosolymæ, ecce Rex tuus venit tibi, justus & servatus Ille; loquetur pacem gentibus; dominari Ipsius a mari ad mare, & a flumine usque ad fines terræ;* Sach. IX. 9. 10. *Jubila & lætare filia Zionis; ecce Ego venio, ut habitem in medio tui; tunc adhærebunt gentes multæ* JEHOVÆ *in die illo, et erunt Mihi in populum,* Sachar. II. 14. 15. *Tu Bethlechem Ephratæa, parum est ut sis inter millenas Jehudæ; ex te Mihi exibit, qui erit Dominator in Israele, & cujus exitus ab antiquo, a diebus æternitatis. Stabit & pascet in robore* JEHOVÆ; Mich. V. 1. 3. *Ecce Ego mitto Angelum meum, qui parabit viam ante Me, & subito veniet ad Templum suum* DOMINUS, Quem vos *quæritis, & Angelus fæderis, quem vos desideratis, ecce venit; quis sustinet diem adventus Ipsius. Ecce Ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam venit dies Jehovæ magnus & terribilis;* Malach. III. 1. 2. 23. *Vidi & ecce cum nubibus cælorum sicut Filius hominis veniens fuit: Huic datum est dominium, & gloria, & regnum, & omnes populi, gentes & linguæ Ipsum colent: dominium Ipsius dominium sæculi, quod non transibit, & regnum Ipsius, quod non peribit: & omnia dominia colent Ipsum, & obedient Ipsi,* Dan. VII. 13. 14. 27. *Septimanæ septuaginta decisæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctitatis tuam, ad consummandum prævaricationem, & ad obsignandum visionem & prophetam, & ad ungendum Sanctum sanctorum. Scito ergo & percipito, ab exitu Verbi usque ad restituendum & ad ædificandum Hierosolymam, usque ad Messiam Principem, septimanæ septem;* Dan. IX. 24. 25. *Ponam in mari manum Ipsius, & in fluviis dextram Ipsius: Ille vocabit me, Pater meus Tu, Deus meus, & Petra salutis meæ. Etiam Ego Primogenitum dabo Ipsum, altum regibus terræ. Ponam in æternum semen Ipsius, & Thronum Ipsius sicut dies cælorum;* Psalm. LXXXIX. 26. 27. 28. 30. *Dictum* JEHOVÆ *ad* DOMINUM *meum, sede ad dextram meam, usque dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Sceptrum roboris Tui mittet* JEHOVAH e *Zione, dominare in medio inimicorum tuorum. Tu Sacerdos in æternum juxta modum Malchizedechi,* Psalm. CX. 1. 2. 4. Matth. XXII. 44. Luc. XX. 41. *Ego innunxi Regem meum super Zionem, montem sanctitatis meæ: annuntiabo de statuto,* JEHOVAH *dixit ad me, Filius meus Tu, Ego hodie genui Te, dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ. Osculami Filium ne irascatur, ne pereatis in via, beati omnes confidentes in Ipso;* Psalm. II. 6. 7. 8. 12. *Carere quidem Ipsum fecisti paululum præ Angelis; sed gloria & honore coronasti Ipsum; dominari fecisti Ipsum super opera manuum tuarum; omnia posuisti sub pedes Ipsius;* Psalm. VII. 6. 7. *memento* JEHOVAH *Davidis, qui juravit* JEHOVÆ, *vovit forti Jacobi; si intravero intra tentorium domus meæ, si ascendero super spondam strati mei, si dedero somnum oculis meis, usque dum invenero locum* JEHOVÆ, *habitacula forti Jacobi: ecce audivimus de Eo in Ephrata, invenimus Eum in agris sylvæ: intrabimus in habitacula Ejus, incurvabimus nos scabello pedum Ejus: sacerdotes tui induantur justitia; & sancti tui jubilent;* Psalm. CXXXII. 1 ad 9. Sed hæc pauca sunt quæ allata.

7. Quod universa Scriptura sacra de solo Domino scripta sit, plenius ex sequentibus constabit, imprimis ex illis, quæ in Opusculo de Scriptura sacra afferenda sunt: inde & non aliunde est sanctitas Verbi; hoc quoque intelligitur per hæc in Apocalypsi, *Testimonium Jesu est spiritus Prophetiæ,* XIX. 10.

Quod Dominus impleverit omnia Legis, ſit quod impleverit omnia Verbi.

8. Creditur a multis hodie, quod ubi dicitur de Domino, quod impleverit Legem, intelligatur quod impleverit omnia præcepta decalogi, & quod ſic Juſtitia factus ſit, ac juſtificaverit homines mundi etiam per illud fidei. Attamen non intelligitur illud, ſed quod impleverit omnia quæ de Ipſo ſcripta ſunt in Lege & Prophetis, hoc eſt, in univerſa Scriptura ſacra, quia hæc de Solo ipſo agit, ut in ſuperiore Articulo dictum eſt. Quod multi aliter crediderint, eſt cauſa, quia non ſcrutati ſunt ſcripturas, & viderunt quid per Legem ibi intelligitur. Per Legem ibi intelliguntur in ſtricto ſenſu decem præcepta decalogi; in latiori ſenſu omnia quæ a Moſe in quinque ejus Libris ſcripta ſunt; & in latiſſimo ſenſu omnia Verbi. Quod *per Legem in ſtricto ſenſu intelligantur decem præcepta decalogi*, notum eſt.

9. *Quod per Legem in latiori ſenſu intelligantur omnia quæ a Moſe in quinque ejus Libris ſcripta ſunt*, patet ex his ſequentibus: apud Lucam,, Abraham dixit ad divitem in inferno, habent *Moſen & Prophetas*, audiunto illos; ſi *Moſen & Prophetas* non audiant, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, perſuadebuntur, XVI. 29. 31. Apud Johannem,, Philippus dixit ad Nathanaelem, quem ſcripſit *Moſes in Lege*, & *Prophetæ*, invenimus,, I. 46. Apud Matthæum,, Nolite putare, quod venerim ad ſolvendum *Legem & Prophetam*, non veni ad ſolvendum, ſed ſed ad implendum,, V. 17. 18. Apud Eundem,, Omnes *Prophetæ & Lex* uſque ad Johannem prophetarunt,, XI. 13. Apud Lucam,, *Lex & Prophetæ* uſque ad Johannem, abhinc Regnum Dei evangelizatur,, XVI. 17. Apud Matthæum,, Omnia quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis, hæc eſt *Lex & Prophetæ*,, VII. 12. Apud Eundem,, Jeſus dixit, amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & amabis proximum tuum ut teipſum: ex his duobus mandatis *Lex & Prophetæ* pendent,, XXII. 35. 37. 38. In illis locis per Moſen & Prophetas, tum per Legem & Prophetas intelliguntur omnia quæ in Libris Moſis & in Libris Prophetarum ſcripta ſunt. Quod per Legem in ſpecie intelligantur omnia quæ per Moſen ſcripta ſunt, patet adhuc ex his: apud Lucam,, Impleti ſunt dies purificationis juxta *Legem Moſis*, deduxerunt Jeſum Hieroſolymam, ut ſiſterent Domino, quemadmodum ſcriptum eſt in *Lege Domini*, quod omnis maſculus aperiens uterum ſanctum Domino vocandus eſſet, ac ut darent ſacrificium juxta quod dictum eſt in *Lege Domini*, par turturum & duos pullos columbarum. Et adducebant parentes Jeſum in Templum, ut facerent juxta conſuetum *Legis* pro Ipſo. Cum perfeciſſent omnia quæ juxta *Legem Domini*,, II. 22. 23. 24. 27. 39 Apud Johannem,, In *Lege* Moſes præcepit tales lapidare,, VIII. 5. apud Eundem,, *Lex per Moſen* data eſt,, I. 17. inde patet, quod nunc Lex nunc Moſes nominetur, ubi agitur de talibus, quæ in Libris ejus ſcripta ſunt, ut quoque Matth. VIII. 4. Marc X. 2. 3. 4. Cap. XII. 19 Luc. XX. 28. 37. Johan. III. 14. Cap. VII. 19. 51. Cap. VIII. 17. Cap.

XIX.

XIX. 7. Plura etiam a Mose dicuntur *Lex*, quæ mandata sunt, ut de Holocaustis, Levit. VI. 2. Cap. VII. 37. De Sacrificiis, Levit. VI. 18. Cap. VII. 1-11. De Mincha, Levit. VI 7. De Lepra, Levit. XIV. 2. De Zelotypia, Num. V. 29. 30. De Naziræatu, Num. VI. 13. 21. Et ipse Moses vocat Libros suos *Legem*,, Scripsit Moses *Legem hanc*, & dedit eam sacerdotibus filiis Levi portantibus arcam fæderis Jehovæ: & dixit illis, accipiendo *Librum Legis* hujus, ponite eum a latere Arcæ fæderis Jehovœ ,, Deut. XXXI. 9. 11. 26; a latere positus est, intus enim in Arca erant Tabulæ lapideæ, quæ in stricto sensu sunt Lex. Libri Mosis vocantur Liber Legis postea,, Dixit Chilkia sacerdos magnus ad Schaphanem Scribam, *Librum Legis* inveni in domo Jehovæ: cum audivit Rex verba *Libri Legis*, rupit vestes suas,, II Reg. XXII 8. 10. Cap. XXIII. 24.

10. *Quod omnia Verbi per Legem in latissimo sensu intelligantur*, constare potest ex his locis,, Jesus dixit, nonne scriptum est in *Lege Vestra*, Ego dixi, dii estis, Joh. X. 34. hoc scriptum est Psalm. LXXI. 6. Respondit turba, nos audivimus ex *Lege*, quod Christus maneat in æternum, Joh. XII 34. hoc scriptum est Psalm. LXXXIX. 30. Psalm. CX. 4. Dan. VII. 14.,, Ut impleretur verbum scriptum in *Lege illorum*, odio habuerunt Me sine causa, Joh. XV. 25; hoc scriptum est Psalm. XXXV. 19.. Dixerunt Pharisæi, num quis ex Principibus credidit in Ipsum, sed turba hæc quæ non novit *Legem*, Joh. VII. 48. 49. Facilius est cælum & terram transire, quam *Legis* unum apicem cadere, Luc. XVI. 17. Per Legem ibi intelligitur tota Scriptura Sacra.

11. Quod Dominus impleverit omnia Legis, sit quod impleverit omnia Verbi, patet a locis, ubi dicitur, quod ab Ipso impleta sit Scriptura, & quod omnia consummata sint, ut ex his:,, Jesus intravit in Synagogam, & surrexit ad legendum, tunc traditus est Ipsi Liber Esajæ Prophetæ, & evolvit Librum, & invenit locum scriptum; Spiritus Domini super Me, propter quod unxit Me, ad evangelizandum pauperibus misit Me, ad sanandum contritos corde, ad evangelizandum vinctis remissionem, & cæcis visum, ad prædicandum annum Domini acceptum: postea convolvens Librum, & dixit, *hodie impleta est Scriptura hæc* in auribus vestris, Luc. IV. 16 ad 21. Scrutamini *Scripturas*, atque illi testantur de Me, Joh. V. 39. Ut *scriptura impleretur*, qui comedit Mecum panem, sustulit super Me calcaneum, Joh. XIII. 18., Nemo ex illis periit, nisi filius perditionis, ut *Scriptura impleretur*, Joh. XVII. 12 Ut *impleretur Verbum*, quod dixit, quos dedisti Mihi, non perdidi ex illis unum, Joh. XVIII. 19. Dixit Jesus Petro, absconde tuum gladium in loco, quomodo ergo *implerentur Scripturœ*, quod sic oporteat fieri. Hoc totum factum est ut *implerentur Scripturæ Prophetarum*, Matth. XXVI. 54 56. Filius hominis abit, sicut Scriptum est de Ipso, ut *impleantur Scripturæ*, Marc. XIV. 21. 24. Sic *impleta est Scriptura*, quæ dixit, cum impiis reputatus est, Marc. XV. 28. Luc. XXII. 37. Ut *Scriptura impleretur*, diviserunt vestimenta sua sibi, & super tunicam meam jecerunt sortem, Joh. XIX. 24. Post hoc sciens Jesus, quod omnia jam consummata essent, ut *impleretur Scriptura*, Joh. XIX. 28. Cum accepisset acetum Jesus, dixit *consummatum est*, hoc est *impletum*, Joh. XIX. 30. Facta

hæc

hæc ſunt, ut *Scriptura impleretur*, os non confringetis Ipſius: & rurſus *alia Scriptura dicit*, videbunt, quem transfoderunt, Joh. XIX. 36. 37. præter alibi, ubi loca Prophetarum adducuntur, & non ſimul dicitur, quod Lex ſeu Scriptura impleta ſit. Quod omne Verbi de Ipſo ſcriptum ſit, & quod in Mundum venerit ut illud impleret, docuit etiam Diſcipulos antequam abivit, his verbis,,, Jeſus ad diſcipulos, ſtulti & tardi corde ad credendum omnibus, quæ loquuti ſunt Prophetæ; nonne hoc oportebat pati Chriſtum, & ingredi in gloriam: incipiens porro a *Moſe & ab omnibus Prophetis*, interpretatus eſt illis in *omnibus Scripturis de Ipſo*, Luc. XXIV. 25. 26. 27. Porro, ,, Jeſus dixit diſcipulis, hæc ſunt verba, quæ loquutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiscum, *quod oporteret impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moſis & Prophetis & Pſalmis de Me*, Luc. XXIV. 44. 45. Quod Dominus in Mundo impleverit omnia Verbi, uſque ad ſingulariſſima ejus, patet ab his Ipſius verbis, ,, Amen dico vobis, uſque dum prætereat cælum & terra, *jotha una*, *aut unum corniculum non præteribit de Lege*, *donec omnia fiant*, Matth. V. 18. Ex his nunc clare videri poteſt, quod per id quod Dominus impleverit omnia Legis, non intelligatur quod impleverit omnia præcepta decalogi, ſed quod omnia Verbi.

Quod Dominus in Mundum venerit, ut ſubjugaret Inferna & glorificaret Humanum; & quod Paſſio crucis fuerit ultima pugna, per quam plene vicit inferna & plene glorificavit Humanum ſuum.

12. Notum eſt in Eccleſia, quod Dominus vicerit Mortem, per quam intelligitur Infernum, & quod poſtea cum gloria aſcenderit in cælum; ſed nondum notum eſt, quod Dominus per Pugnas, quæ ſunt Tentationes, vicerit Mortem ſeu Infernum, & ſimul per illas glorificaverit Humanum ſuum, & quod Paſſio crucis fuerit Ultima Pugna ſeu Tentatio, per quam vicit & glorificavit. De his, multis agitur apud Prophetas & apud Davidem, ſed non ita multis apud Evangeliſtas; apud hos, Tentationes, quas a pueritia ſuſtinuit, in ſumma deſcriptæ ſunt per Tentationes Ipſius in deſerto, & poſtea a diabolo, ac ultimæ per illa quæ paſſus eſt in Gethſemane & ſuper Cruce. De Tentationibus Ipſius in deſerto, & poſtea a diabolo, videatur apud Matthæum Cap. IV. 1. ad II. Apud Marcum, Cap. I. 12. 13. & apud Lucam Cap. IV. 1 ad 13; ſed per illas intelliguntur omnes uſque ad ultimas; non plura de illis revelavit diſcipulis, nam dicitur apud Eſajam, ,, *Exactionem ſuſtinuit, non tamen aperuit os ſuum: ſicut Agnus ad mactationem, & ſicut ovis coram tonſoribus ſuis, obmuteſcit, & non aperuit os ſuum*, LIII. 7. de Tentationibus Ipſius in Gethſemane, videatur apud Matthæum Cap. XXVI. 36 ad 44. apud Marcum Cap, XIV. 31 ad

ad 41. & apud Lucam, Cap. XXII. 39 ad 46. Et de Tentationibus super-cruce, apud Matthæum Cap. XXVII. 33 ad 57. apud Marcum Cap. XV. 22 ad 38. apud Lucam Cap. XXIII. 33. ad 49. & apud Johannem Cap. XIX. 17 ad 37. Tentationes non aliud sunt quam pugnæ contra Inferna: de Tentationibus seu pugnis domini, videatur in Opusculo de NOVA HIEROSOLYMA & ejus DOCTRINA CÆLESTI, Londini edita, n. 201 & 302; & de Tentationibus in genere n. 189 ad 200 ibi.

13. Quod Dominus per Passionem crucis plene vicerit Inferna, docet Ipse apud Johannem,, Nunc judicium est Mundi hujus, *nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras*, XII, 31; hæc loquutus est Dominus, cum instabat Passio crucis. Apud Eundem, *Princeps hujus* mundi judicatus est: Cap. XVI. 11. Apud Eundem,, Confidite, *Ego vici mundum*, XVII. 33. & apud Lucam,, Dixit Jesus, Vidi *Satanam sicut fulmen e cælo cadentem*,, X. 18; per mundum, principem mundi, satanam & diabolum, intelligitur infernum.

Quod Dominus per Passionem Crucis etiam plene glorificaverit Humanum suum, docet apud Johannem,, Postquam Judas exivit, dixit Jesus, nunc *glorificatus est Filius hominis*, & *Deus glorificatus est* in Ipso: si Deus *glorificatus* est in Ipso, etiam Deus *glorificabit* Ipsum in se Ipso, & statim *glorificabit* Ipsum, Cap. XIII. 31. 32. Apud Eundem,, Pater venit hora, *glorifica* Filium tuum, ut etiam Filius tuus *glorificet* Te, XVII. 1. 5. Apud Eundem,, Nunc anima mea turbata est, & dixit, Pater *glorifica* nomen tuum, & exiit vox e Cælo, & *glorificavi*, & rursus *glorificabo*, XII. 27. 28. Apud Lucam,, Nonne hoc oportebat pati Christum, & ingredi in *gloriam suam*, XXIV. 26; hæc dicta sunt de Passione; Glorificatio est Unitio Divini & Humani, quare dicitur, & Deus glorificabit Ipsum in se Ipso.

14. Quod Dominus in mundum venerit, ut omnia in cælis & inde in terris in ordinem redigeret, & quod hoc factum sit per pugnas contra Inferna, quæ tunc infestabant omnem hominem venientem in mundum & exeuntem e mundo, & quod per id Justitia factus sit, ac salvaverit homines, qui absque eo non salvari potuerunt, multis in locis apud Prophetas prædicitur, quorum modo aliqua afferrentur. Apud Esajam,, *Quis Hic qui venit ex Edom, conspersus vestes ex Bozra; Hic honorabilis in vestitu suo, incedens in multitudine roboris sui: Ego qui loquor in Justitia, magnus ad salvandum. Quare rubicundus quoad vestem tuam, & vestis tua sicut calcantis in torculari, torcular calcavi solus, & de populo non vir Mecum: propterea calcavi illos in ira mea, & conculcavi eos in excandescentia mea, inde sparsa est victoria eorum super vestes meas; nam dies vindictæ in corde meo, & annus redemptorum meorum venit. Salutem præstitit Mihi brachium meum; descendere feci in terram victoriam eorum. Dixit, ecce populus meus illi, filii, ideo factus est illis in Salvatorem, ob Amorem suum, & ob Clementiam suam ille redemit eos*, LXIII. 1 ad 9; hæc de pugnis Domini contra Inferna: per vestem in qua honorabilis fuit & quæ rubicunda, intelligitur Verbum, cui violentia a populo Judaico illata est; ipsa pugna contra Inferna, & victoria super illa, describitur per quod calcaverit illos in ira sua, & conculcaverit in excandescentia sua; quod solus & ex propria potentia pugnaverit, describitur per hæc, de populo non vir

Mecum; salutem præstitit mihi brahium meum, descendere feci in terram victoriam eorum; quod per id salvaverit & redemerit describitur per hæc, ideo factus est illis in Salvatorem, ob amorem & clementiam suam Ille redemit eos; quod hoc fuerit causa Adventus Ipsius, describitur per hæc, dies vindictæ in corde meo, & annus redemptorum meorum venit. Apud Esaiam, *Vidit quod non quisquam, & obstupuit quod non esset intercedens, ideo salutem præstitit Ipsi brachium suum, & Justitia Ipsius suscitavit Ipsum: inde induit Justitiam sicut loricam, & galeam Salutis super caput suum, & induit vestes vindictæ, & texit se sicut pallio zelo: tunc venit Zioni Redemptor*, LIX. 16. 17. 20; hæc quoque de pugnis Domini, cum fuit in mundo, contra inferna: quod solus ex propria potentia pugnaverit contra illa, intelligitur per hæc,, vidit quod non quisquam; ideo salutem præstitit Ipsi brachium suum: quod inde justitia factus sit, per hæc,, justitia Ipsius suscitavit Ipsum, unde induit justitiam sicut loricam; quod ita redemerit, per hæc,, tunc venit Zioni Redemptor. Apud Jeremiam,, *Illi consternati sunt, fortes eorum contusi sunt, fugam fugerunt, nec respexerunt: Dies ille Domino Jehovih Zebaoth, dies ultionis, ut vindictam sumat de hostibus suis, comedatque gladius, & saturetur*, XLVI. 5 10; pugna Domini cum Infernis & victoria super illa, describitur per quod consternati sint, quod fortes eorum contusi fugam fugerint, & non respexerint; fortes eorum & hostes sunt Inferna, quia omnes ibi odio habent Dominum; adventus Ipsius in mundum propterea, intelligitur per hæc, dies ille Domino Jehovih Zebaoth, dies ultionis ut vindictam sumat de hostibus suis. Apud Jeremiam,, *Cadent juvenes in plateis, & omnes viri belli exscindentur in Die illo*, XLIX. 26. Apud Joelem,, *Jehovah edidit vocem coram Exercitu suo; magnus dies Jehovæ, terribilis valde, quis ergo sustinebit illum*, II. 11. Apud Zephaniam,, *In die sacrificii Jehovæ visitabo super principes, super filios regis, super omnes indutos indumento alienigenæ: Dies hic, dies angustiæ, dies buccinæ & clangoris*, I. 8. 9. 15. 16. Apud Sachariam,, *Jehovah exibit, & pugnabit contra gentes, juxta diem pugnare Ipsum in die prælii. Stabunt pedes Ipsius in Die illo super monte Olivarum, quæ ante facies Hierosolymæ. Tunc fugietis in vallem montium meorum. In die illo non erit lux & splendor. Jehovah autem erit in Regem super tota Terra: in Die illo erit Jehovah unus, & Nomen Ipsius unum*, XIV. 3. 4. 5. 6. 9: in his locis etiam agitur de Pugnis Domini: per Diem illum intelligitur Adventus Ipsius: Mons olivarum, qui ante facies Hierosolymæ erat, ubi Dominus solito commoratus est, videatur Marc. XIII. 3. 4. Cap. XIV. 26. Luc. XXI. 37. Cap. XXII. 39. Joh. VIII. 1: & alibi. Apud Davidem, *Circumdederunt Me funes mortis, funes Inferni circumdederunt Me, prævenerunt Me laquei mortis: ideo misit tela, & fulmina multa, & conturbavit illos. Persequar hostes meos, & comprehendam eos, nec revertar usque dum consumsero, percussero eos, ut resurgere non possint. Accinges Me robore ad bellum, & dabis hostes in fugam, conteram eos sicut pulverem coram faciebus venti, sicut cænum platearum attenuabo eos*, Psalm XVIII. 5. 15. 38. 39. 41. 43; funes & laquei mortis, qui circumdederunt & prævenerunt, significant tentationes, quæ quia ab Inferno sunt, etiam vocantur funes inferni: hæc & reliqua in toto illo Psalmo agunt de pugnis & de victoriis Domini, quare etiam dicitur,, Pones Me

in

in caput gentium, populus non noveram, servient Mihi,, Vers. 44. 45. Apud Davidem,, *Accinge gladium super femur, Potens; tela tua acuta, populi cadent sub Te, e corde hostes Regis. Thronus tuus in sæculum & in æternum: amasti Justitiam, propterea unxit Te Deus*,, Psalm, XLV. 4. 5. 6. 7; hæc quoque de pugna cum Infernis, & de subjugatione illorum, nam in toto ille Psalmo agitur de Domino, nempe de Ipsius pugnis, de Ipsius glorificatione, & de salvatione fidelium ab Ipso. Apud Davidem,, *Ignis coram Ipso ibit, inflammabit circumcirca hostes Ipsius, videbit & timebit terra: montes sicut cera liquefient coram Domino totius terræ. Annuntiabunt cæli justitiam Ipsius, & videbunt omnes populi gloriam Ipsius*,, Psalm. XCVII. 3. 4. 5. 6; pariter in hoc Psalmo agitur de Domino, & de similibus. Apud Davidem,, *Dictum Jehovæ ad Dominum meum, sede ad dextram meam, usque dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum; dominare in medio inimicorum tuorum: Dominus ad dextram tuam, percussit in die iræ suæ reges; implevit cadaveribus, percussit caput super terram multam*,, Psalm. CX. 1 ad fin: quod hæc de Domino dicta sint, constat ex Ipsius Domini verbis apud Matthæum Cap. XXII. 44: apud Marcum Cap. XII. 36: & apud Lucam Cap. XX. 42: per sedere ad dextram, significatur omnipotentia; per inimicos significantur inferna; per reges, illi ibi qui in falsis mali sunt; per ponere illos scabellum pedum, percutere in die iræ, implere cadaveribus, significatur destruere potentiam illorum, & per percutere caput super terram multam, significatur destruere omnem. Quoniam Dominus solus vicit Inferna, cum nulla ope alicujus Angeli, ideo vocatur Heros & Vir bellorum, Esaj. XLII. 15. Rex gloriæ, Jehovah fortis, Heros belli, Psalm. XIV. 8. 10. Fortis Jacobi, Psalm. CXXXII. 2: ac multis in locis Jehovah Zebaoth, hoc est, Jehovah exercituum belli. Et quoque vocatur Adventus Ipsius Dies Jehovæ terribilis, crudelis, indignationis, excandescentiæ, iræ, vindictæ, exitii, belli, buccinæ, clangoris, tumultus, ut ex locis supra n. 4 allatis videri potest. Quoniam Ultimum Judicium a Domino, cum fuit in mundo, factum est per pugnas cum Infernis, & per subjugationem illorum, ideo multis in locis agitur de Judicio quod facturus est, ut apud Davidem,, *Jehovah venit ad judicandum terram, judicabit orbem in justitia, & populos in veritate*,, Psalm. XCV. 13, sic pluries alibi. Hæc e Propheticis Verbi. In Historicis Verbi autem similia repræsentata sunt per bella filiorum Israelis cum variis gentibus: nam in Verbo tam Prophetico, quam Historico, omne quod scriptum est, de Domino scriptum est; inde Verbum est Divinum. In Ritualibus Ecclesiæ Israeliticæ, ut in Holocaustis & Sacrificiis, tum in Sabbathis & Festis ejus, ac in Sacerdotio Aharonis & Levitarum, multa Arcana glorificationis Domini continentur; similiter in reliquis apud Mosen, quæ vocantur Leges, Judicia, & Statuta; quod etiam intelligitur per Domini verba ad Discipulos, *quod oporteret Ipsum implere omnia quæ de Ipso scripta sunt in Lege Mosis*, Luc. XXIV. 45. tum ad Judæos,, *quod Moses de Ipso scripserit*,, Joh. V. 46. Ex his nunc patet, quod Dominus in mundum venerit, ut subjugaret Inferna, & glorificaret Humanum suum; & quod Passio crucis fuerit ultima Pugna, per quam plene vicit Inferna, & plene glorificavit Humanum. Sed plura de hac re vide-

videbuntur in sequente Opusculo de Scriptura sacra, ubi in unum colligentur omnia loca e Verbo Prophetico, quæ de Pugnis Domini cum Infernis, & de victoriis super ea, seu quod idem, quæ de Ultimo Judicio ab Ipso facto, cum fuit in Mundo, agunt, tum quæ de Passione & de Glorificatione Humani Ipsius, quæ tot sunt, ut si adducerentur, implerent membranas.

Quod Dominus per Passionem crucis non abstulerit peccata, sed quod portaverit illa.

15. SUnt quidam intra Ecclesiam, qui credunt, quod Dominus per Passionem crucis peccata abstulerit, ac satisfecerit Patri, & sic redemerit: quidam etiam, quod peccata illorum, qui fidem in Ipsum habent, in se transtulerit, portaverit, ac in profundum maris, hoc est, in Infernum conjecerit: confirmant illa apud se per Johannis verba de Jesu, *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi*, Joh. I. 29. & per Domini verba apud Esajam, *Ille morbos nostros tulit, & dolores nostros portavit: confossus ob prævaricationes nostras, contusus ob iniquitates nostras, castigatio pacis nostræ super Illo: vulnere Ipsius sanitas data est nobis. Jehovah incurrere fecit in Ipsum iniquitates omnium nostrum. Exactionem sustuit, atque afflictus est, non tamen aperuit os suum, sicut agnus ad mactationem ducitur. Excisus est e terra viventium ob prævaricationem populi mei, plagam illis, ut daret impios in sepulchro suo, & divites in mortibus suis; ex labore animæ suæ videbit, saturabitur. Per scientiam suam justificabit multos, eo quod iniquitates eorum Ipse portaverit. Exinanivit ad mortem usque animam suam, & cum prævaricatoribus numeratus est, & peccatum multorum tulit, & pro prævaricatoribus intercessit*,, LIII. 1 ad fin: hæc & illa dicta sunt de Tentationibus Domini & de Passione Ipsius, ac per tollere peccata & morbos, perque incurrere facere in Ipsum iniquitates omnium, simile intelligitur quod per portare dolores & iniquitates. Primum itaque dicetur, quid intelligitur per portare iniquitates, & postea quid per tollere illas; per portare iniquitates non aliud intelligitur, quam graves tentationes sustinere, tum suffere ut Judæi cum Ipso facerent quemadmodum fecerunt cum Verbo, & quod Ipsum similiter tractarent, quia Ipse fuit Verbum: fuit enim Ecclesia, quæ tunc erat apud Judæos, prorsus devastata, & devastata erat per id, quod perverterint omnia Verbi, adeo ut non aliquod verum residuum esset, quare nec agnoverunt Dominum: hoc intellectum & significatum est per omnia Passionis Domini. Similiter factum est cum Prophetis, quia illi repræsentabant Dominum quoad Verbum & inde quoad Ecclesiam, & Dominus fuit Ipse Propheta. Quod Dominus fuerit Ipse Propheta constare potest ex his locis; Jesus dixit, non est Propheta minus honoratus, quam in patria sua, & in domo sua, Matth. XIII. 57. Marc. VI. 4. Luc. IV. 24.,, Jesus dixit, non conveniens est Prophetam interire extra Hierosolymam, Luc. XIII. 33. Dixerunt de Jesu, Ille Propheta a Nazareth, Matth. XXI. 26.,, Joh. VII. 40. 41. Cepit timor omnes, laudantes Deum, dicentes, quod Propheta magnus suscitatus sit inter illos, Luc. VII. 16.,, Quod Propheta excitaretur e medio

medio fratrum, cujus verbis obedirent, Devtr: XVIII. 15 ad 19. Quodsimile factum sit cum Prophetis, constat ex his quæ nunc seqvuntur,, Mandatum est Esajæ prophetæ, ut Ecclesiæ statum repræsentatet, per quod dissolveret saccum desuper lumbis suis, & calceum exueret desuper pede suo, ac iret nudus & discalceatus tres annos, in signum & prodigium; Esaj. XX. 2. 3. Mandatum est Jeremiæ prophetæ, ut repræsentaret statum Ecclesiæ, per quod emeret sibi cingulum, & poneret super lumbis suis, quod per aquam non duceret, & absconderet illud in foramine petræ juxta Euphratem; quod post dies invenit corruptum; Jerem. XIII. 1 ad 7. Idem etiam propheta repræsentavit statum Ecclesiæ per id, quod non acciperet sibi uxorem in loco illo, nec intraret in domum luctus, neque abiret ad plangendum, nec intraret domum convivii, Jerem. XVI. 2. 5. 8. Mandatum est Ezechieli prophetæ, ut repræsentaret statum Ecclesiæ, per quod novaculam tonsorum traduceret super caput suum, & super barbam suam, & postea divideret illa, tertiam partem combureret in medio urbis, tertiam percuteret gladio, tertiam dispergeret in ventum, & parum ex illis alligaret in alis, tandem projiceret in medium ignis, & combureret; Ezech. V. 1 ad 4. Eidem prophetæ mandatum est, ut repræsensentaret statum Ecclesiæ, per quod faceret vasa migrationis, & migraret in locum alium in oculis filiorum Israelis, & educeret vasa interdiu, & exiret in vespera per effossum parietem, ac obtegeret facies ut non videret terram; & quod sic prodigium esset domui Israelis: & diceret propheta, ecce ego prodigium vestrum, quemadmodum feci, sic fiet illis; Ezech. XII. 3 ad 7. 11. Mandatum est Hoscheæ prophetæ, ut repræsentaret statum Ecclesiæ per quod acciperet sibi meretricem in uxorem; & quoque accepit, & illa peperit ei tres filios, quorum unum vocavit Jisreel, alterum non Miserandum, & tertium non Populum; Hosch. I. 2 ad 9. Ac iterum ei mandatum est, ut abiret & amaret Mulierem amatam socio & adulteram, quam etiam sibi comparavit per quindecim argenti; Hosch. III. 2. 3. Mandatum est Ezechieli prophetæ, ut repræsentaret statum Ecclesiæ, per quod sumeret laterem, & sculperet super eo Hierosolymam, & poneret obsidionem, & daret vallum & aggerem contra illam, poneret sartaginem ferri inter se & urbem, & cubaret super latere sinistro, & postea super dextro 390 dies: Tum sumeret tritica, hordea, lentes, milium & zeas, & ex illis sibi faceret panem, quem tunc ederet, juxta mensuram. Et quoque quod faceret sibi placentam hordeorum cum stercore fimi hominis, & quia hoc deprecatus est, mandatum est ut faceret illam cum excrementis bovis; Ezech. IV 1 ad 15. Præter quod prophetæ etiam alia repræsentarent, ut Zedkiah per cornua ferri, quæ sibi fecit; 1 Reg. XXII. 11. Et alius propheta, per quod percutererur & vulneraretur, ac cinerem super oculis mitteret; 1 Reg. XX. 35. 37. In genere repræsentabant prophetæ Verbum in sensu ultimo, qui est sensus literæ, per tunicam pili, Sach. XIII. 4. quare Elias tali tunica indutus fuit, ac cinctus cingulo coriaceo circum lumbos, II. Reg. I. 6. similiter Johannes Baptista, qui habebat indumentum ex pilis cameli, & cingulum coriaceum circum lumbum suum, & comedit locustam & mel agreste; Matth. III. 4. Ex his patet, quod Prophetæ repræsentaverint

ſtatum Eccleſiæ & Verbum; qui enim unum, etiam alterum repræſentat, nam Eccleſia eſt ex Verbo, & ſecundum receptionem ejus vita & fide: quare etiam per Prophetas in utroque Teſtamento, ubi nominantur, ſignificatur doctrina Eccleſiæ ex Verbo; per Dominum autem ut maximum Prophetam, ſignificatur ipſa Eccleſia & ipſum Verbum.

16. Status Eccleſiæ ex Verbo repræſentatus in Prophetis, erat quod intelligitur per portare iniquitates & peccata populi; quod ita ſit, patet ex illis quæ dicuntur de Eſaja propheta,, *Quod iret nudus & diſcalceatus tres annos, in ſignum & prodigium*,, Eſ. XX. 3. De Ezechiele propheta, *Quod educeret vaſa migrationis, & obtegeret facies ut non videret terram, & quod ſic prodigium eſſet domui Iſraelis, & quoque diceret, ego prodigium veſtrum*,, Ezech. XII. 6. 11. Quod hoc fuerit illis portare iniquitates, manifeſte conſtat apud Ezechielem, cum ille juſſus eſt cubare 390 & 40 dies ſuper latere ſiniſtro & dextro contra Hieroſolymam, ac edere placentam hordeorum factam cum excrementis bovis, ubi hæc etiam leguntur,, *Tu cuba ſuper latere tuo ſiniſtro, & pone* INIQUITAEEM DOMUS ISRAELIS *ſuper illud, numerum dierum, quibus cubabis ſuper illo*, PORTABIS INIQUITATEM *eorum. Ego namque dabo tibi annos iniquitatis eorum juxta numerum dierum 390 dies, ut* PORTES INIQUITAEEM DOMUS ISRAELIS. *Quum vero abſolveris hos, jacebis ſuper latere tuo dextro ſecundum, ut* PORTES INIQUITATEM DOMUS JEHUDÆ 40 dies; Ezeh. IV. 4. 5. 6. Quod Propheta per quod ſic portaverit iniquitates domus Iſraelis & domus Jehudæ, non abſtulerit illas, & ſic expiaverit, ſed modo repræſentaverit & monſtraverit, patet a ſequentibus ibi,, *Sic inquit Jehovah, comedent filii Iſraelis panem ſuum immundum, inter gentes quo depulſurus ſum eos. Ecce Ego frangens baculum panis in Hieroſolyma, ut careant pane & aqua, & deſolentur vir & frater ejus, & contabeſcant propter iniquitatem eorum*,, Verſ. 13. 16. 17. in eodum Capite. Similiter cum idem Propheta obſtenderet ſe & diceret, *Ecce ego prodigium veſtrum*, etiam dicitur, *quemadmodum feci ſic fiet illis*, Ezeh. XII. 6. 11. Simile itaque intelligitur de Domino, ubi dicitur,, *Morbos noſtros Ille tulit: dolores noſtros portavit: Jehovah incurrere fecit in Illum iniquitates omnium noſtrum: per ſcientiam ſuam juſtificavit multos, eo quod iniquitates eorum Ipſe portaverit*,, Eſaj. LIII; ubi in toto Capite agitur de Paſſione Domini. Quod Ipſe ſicut Maximus Propheta repræſentaverit ſtatum Eccleſiæ quoad Verbum, patet a ſingulis Paſſionis Illius, ut *Quod a Juda proditus fuerit. Quod a principibus ſacerdotum & a ſenioribus comprehenſus & condemnatus ſit. Quod colaphos impegerint. Quod caput calamo percuſſerint. Quod impoſuerint coronam ex ſpinis. Quod veſtimenta Ipſius diviſerint, & ſuper tunicam jecerint ſortem. Quod crucifixerint. Qnod dederint Ipſi acetum ad bibendum. Quod transfoderint latus. Quod ſepultus; & tertio die reſurrexerit.* Quod a Juda proditus fuerit, ſignificabat quod a gente Judaica, apud quam tunc erat Verbum; nam Judas illam repræſentabat: quod a principibus ſacerdotum & a ſenioribus comprehenſus & condemnatus ſit, ſignificabat quod ab omni illa Eccleſia; quod flagellaverint, ſpuerint in faciem, colaphos impegerint, & caput calamo percuſſerint, ſignificabat quod ſimiliter fecerint cum Verbo quoad Divina Vera ejus, quæ omnia agunt de Domino: quod impoſuerint coronam ex ſpinis, ſignificabat quod illa falſifica-

ficaverint & adulteraverint: quod vestimenta diviserint, & super tunicam jecerint sortem, significabat quod omnia vera Verbi dispersirint, sed non sensum ejus spirituatem, tunica Domini hoc Verbi significabat: quod crucifixerint, significabat quod totum Verbum destruxerint & prophanaverint: quod præbuerint Ipsi acetum ad bibendum, significabat quod mere falsificata & falsa, quare illud non bibit, & tunc dixit, consummatum est: quod transfoderint latus, significabat quod plane exstinxerint omne verum Verbi & omne bonum ejus: quod sepultus, significabat rejectionem humani residui a matre; quod tertio die resurrexerit, significabat Glorificationem. Similia per illa significantur apud Prophetas & apud Davidem, ubi prædicta sunt. Quapropter postquam flagellatus & eductus portans spinosam coronam, & vestimentum purpureum a militibus impositum, dixit, ecce Homo,, Joh. XIX. 1. 5; hoc dictum est, quia per Hominem significatur Ecclesia; per Filium enim hominis significatur Verum Ecclesiæ, ita Verbum. Ex his nunc patet, quod per portare iniquitates, intelligatur peccata contra Divina vera Verbi, in se repræsentare & effigiare. Quod Dominus talia sustinuerit & passus sit ut Filius hominis, & non ut Filius Dei, videbitur in sequentibus; Filius hominis enim significat Dominum quoad Verbum.

17. Aliquid nunc dicetur, quid per tollere peccata intelligitur: per tollere peccata simile intelligitur, quod per redimere hominem, & salvare illum; nam Dominus in mundum venit, ut salvari posset homo, absque Ipsius adventu nemo mortalium potuit reformari & regenerari, ita salvari; sed hoc potest fieri, postquam Dominus omnem potentiam Diabolo, hoc est, Inferno ademerat, & Humanum suum glorificaverat, hoc est, univerat Divino Patris sui: si hæc non facta fuissent, nullus hominum potuisset recipere aliqnod Divinum Verum manens apud illum, & adhuc minus aliquod Divinum bonum, nam diabolus, cui prius potentia superior erat, e corde illa evulsisset. Ex his patet, quod Dominus per Passionem crucis non abstulerit peccata, sed quod auferat illa, hoc est, removeat apud illos, qui credunt in Ipsum, vivendo secundum præcepta Ipsius: ut quoque Dominus docet apud Matthæum ,, *Nolite putare, quod venerim ad solvendum Legem & Prophetas. Quisquis solverit præceptorum horum minimum, & docuerit ita homines, minimus vocabitur in Regno cælorum; qui vero facit & docet, hic magnus vocabitur in Regno cælorum*,, V. 17. 19 Quisque potest videre ex sola ratione, modo in aliqua illustratione sit, quod peccata non possint auferri homini, nisi quam per pænitentiam actualem, quæ est, quod homo videat sua peccata, ac Domini opem imploret, & desistat ab illis: aliud videre, credere & docere, non est ex Verbo, nec est ex sana ratione, sed ex cupiditate & prava voluntate, quæ sunt proprium hominis, ex quo infatuatur intelligentia.

Quod

Quod Imputatio meriti Domini non aliud sit, quam remissio peccatorum post pænitentiam.

18. IN Ecclesia creditur, quod Dominus missus sit a Patre, ut expiaret pro Genere humano, & quod hoc factum sit per impletionem Legis, & per Passionem crucis, & quod sic sustulerit damnationem & satisfecerit, & quod absque illa Expiatione, Satisfactione & Propitiatione, Genus humanum æterna morte periisset; & hoc ex Justitia, quæ ab aliquibus etiam vocatur Vindicativa. Verum est, quod absque Adventu Domini in mundum omnes periissent: sed quomodo intelligendum est, quod Dominus impleverit omnia Legis, videatur supra in suo Articulo: & cur passus est crucem, etiam supra in suo; ex quibus videri potest, quod non fuerit ex aliqua Justitia vindicativa, quia hæc non est Attributum Divinum; Attributa Divina sunt, Justita, Amor, Misericordia & Bonum, & Deus est ipsa Justitia, ipse Amor, ipsa Misericordia, & ipsum Bonum, & ubi hæc sunt, non est aliquid vindictæ, ita non Justitia vindicativa. Quoniam Impletio Legis & Passio crucis hactenus a multis non aliter intellectæ sunt, quam quod Dominus per illa bina satisfecerit pro Humano Genere, & ei damnationem prævisam aut destinatam abstulerit, ex nexu & simul ex principio, quod homo salvetur ex sola fide quod ita sit, sequutum est dogma de Imputatione meriti Domini, accipiendo illa duo, quæ fuerunt Meriti Domini, pro satisfactione: sed hoc cadit ex illis, quæ dicta sunt de Impletione legis a Domino, & de Passione crucis Ipsius; & simul tunc videri potest, quod imputatio meriti sit vox nullius rei, nisi per illam intelligatur Remissio peccatorum post pænitentiam; nam non aliquid Domini potest imputari homini, sed potest addicari salus a Domino, postquam homo pænitentiam egerat, hoc est, postquam viderat & agnoverat sua peccata, & dein desistat ab illis, & hoc ex Domino; tunc addicatur ei salus eo modo, quod homo non ex suo merito, & ex propria justitia salvetur, sed ex Domino, qui solus pugnavit & vicit inferna, & qui postea etiam solus pugnat pro homine, & vincit inferna pro illo; hæc sunt Meritum & Justitia Domini; & hæc nusquam possunt imputari homini, nam si imputarentur, forent Meritum & Justitia Domini appropriata homini sicut ejus, & hoc nusquam fit, nec fieri potest: si Imputatio dabilis foret, potuisset homo impænitens & impius imputare sibi Meritum Domini, & ex eo cogitare se justificatum, quod tamen foret conspurcare sanctum prophanis, & prophanare Nomen Domini; nam foret tenere cogitationem in Domino, & voluntatem in Inferno, & tamen voluntas est omne hominis. Est fides DEI, & est fides hominis, fidem DEI habent qui pænitentiam agunt, fidem autem hominis qui non pænitentiam agunt, & usque de imputatione cogitant; ac fides Dei est fides viva, at fides hominis est fides mortua. Quod Ipse Dominus & Discipuli Ipsius prædicaverint Pænitentiam ac Remissionem

nem peccatorum, constat ex his sequentibus: „ *Jesus incepit prædicare & dicere*, PÆNITEAT VOS, *appropinquavit enim Regnum Cælorum* „ Matth. IV. 17. „ *Jesus dixit, facite fructus dignos* PÆNITENTIA, *jamjam securis ad radicem arborum jacet: omnis arbor non faciens fructum bonum, exscinditur & in ignem conjicitur* „ Luc. III. 8. 9. „ *Jesus dixit, nisi* PÆNITENTIAM *egeritis, omnes peribitis* „ Luc. XIII. 3. 5. „ *Jesus prædicans Evangelium Regni Dei; dicens, impletum est tempus, & appropinquavit Regnum Dei*, PÆNITENTIAM *agite, & credite Evangelio* „ Marc. I. 14. 15. „ *Jesus emisit discipulos, qui exeuntes prædicarunt ut* PÆNITENTIAM *agerent* „ Marc. VI. 12. „ *Jesus dixit ad Apostolos, quod illos oporteat prædicare in Nomine Ipsius* PÆNITENTIAM & REMISSIONEM PECCATORUM, *in omnibus gentibus, incipiendo a Hierosolyma* „ Luc. XXIV. 47. „ *Johannes prædicavit Baptisma* PÆNITENTIÆ *in* REMISSIONEM PECCATORUM „ Luc. III. 3. Marc. I. 4. per Baptisma intelligitur Lavatio spiritualis, quæ est a peccatis, & vocatur Regeneratio. Describitur Pænitentia & Remissio peccatorum a Domino ita apud Johannem „ *In propria venit, sed proprii Ipsum non receperunt: quotquot vero receperunt, dedit illis potestatem, ut filii Dei essent, credentibus in Nomen Ipsius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* „ I. 11. 12. 13; per proprios intelliguntur, qui tunc ab Ecclesia, ubi erat Verbum: per filios Dei, & credentes in Nomen Ipsius, intelliguntur qui in Dominum credunt, & qui Verbo credunt: per sangvines intelliguntur falsificationes Verbi, & confirmationes falsi per illud: Voluntas carnis, est proprium voluntarium hominis, quod in se est malum: Voluntas viri, est proprium intellectuale hominis, quod in se est falsum: nati a Deo, sunt qui a Domino regenerati sunt: Ex his patet, quod illi salventur, qui in bono amoris & in veris fidei sunt a Domino, & non qui in proprio.

Quod Dominus quoad Divinum Humanum dicatur Filius Dei, & quoad Verbum dicatur Filius hominis.

19. In Ecclesia non aliud scitur, quam quod Filius Dei sit altera Persona Divinitatis, distincta a Persona Patris, inde est fides de Filio Dei nato ab æterno. Hoc quia universaliter receptum est, & de Deo, non data est copia ac venia cogitandi de eo ex aliquo intellectu, ne quidem ita, quid est nasci ab æterno; nam qui cogitat de eo ex intellectu, omnino secum dicet, hoc transcendit, sed usque dico quia dicunt, & credo quia credunt. At sciant, quod non sit Filius ab æterno, sed quod sit Dominus ab æterno: dum scitur, quid Dominus, & quid Filius, potest etiam ex intellectu cogitare de Deo Truino, & non prius. Quod Humanum Domini conceptum a Jehovah Patre, & natum a Maria virgine, sit Filius Dei, patet manifeste ex his sequentibus: apud Lucam, „ *Missus est Angelus Gabriel a Deo in urbem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph e domo Davidis, nomen autem Vir-*

ginis Maria. Quum ingressus est Angelus ad illam, dixit, salve, gratiam consequuta, Dominus tecum est, benedicta inter mulieres. Illa videns conturbata est super verbo ejus, & cogitavit, quanta esset salutatio illa. Sed dixit Angelus illi, ne timeto Maria, invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies & paries Filium, & vocabis Nomen Ipsius Jesum: Hic erit magnus & FILIUS ALTISSIMI *vocabitur. Maria vero dixit ad Angelum, quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognosco: cui respondens Angelus dixit;* SPIRITUS SANCTUS VENIET SUPER TE, & VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT *te,, unde etiam quod nascitur ex te* SANCTUM, vocabitur FILIUS DEI,, I. 26 ad 35; dicitur hic, concipies & paries Filium. Hic erit Magnus, & vocabitur FILIUS ALTISSIMI; ac iterum, Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur FILIUS DEI; ex quo patet, quod Humanum conceptum a Deo, & natum a Maria virgine, sit quod vocatur Filius Dei. Apud Esajam,, *Dat Dominus Ipse vobis signum, ecce virgo concipiet & pariet* FILIUM, *& vocabit Nomen Ipsius* DEUS NOBISCUM,, VII. 14; quod Filius natus a virgine, & conceptus a Deo, sit qui vocabitur Deus nobiscum, ita qui est Filius Dei, patet; quod sit, etiam confirmatur apud Matthæum Cap I. 22. 23 Apud Esajam,, PUER *natus est nobis,* FILIUS *datus est nobis; super cujus humero Principatus; & vocabit Nomen Ipsius, Mirabilis, Consiliarius, Deus, Heros,* PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis,,* IX. 5. 6; similiter hic, nam dicitur Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, qui non est Filius ab æterno; sed Filius natus in mundo; quod etiam patet a Prophetæ verbis vers. 6 ibi, & a Gabrielis Angeli verbis ad Mariam, Luc. I. 32. 33, quæ similia sunt. Apud Davidem,, *Annuntiabo de statuto, Jehovah dixit,* FILIUS MEUS TU, *Ego hodie genui Te. Osculamini* FILIUM, *ne irascatur, & pereatis in via,* Psalm. II. 7. 12, hic nec intelligitur Filius ab æterno, sed Filius natus in mundo, nam est Propheticum de Domino venturo, quare vocatur statutum, de quo Jehovah annuntiavit Davidi; hodie non est ab æterno, sed est in tempore. Apud Davidem,, *Ponam in mari manum Ipsius, Ille vocabit Me, Pater meus Tu, Ego* PRIMOGENITUM *dabo Ipsum,,* Psalm. LXXXIX. 27. 28. 37; in toto hoc Psalmo agitur de Domino venturo, quare intelligitur Ipse, qui vocabit Jehovam Patrem suum, & qui erit Primogenitus, ita qui est Filius Dei. Pariter alibi, ubi vocatur *Virga e trunco Jishaji*, Esaj. XI. 1. 2. 20. *germen Davidis*, Jerem. XXIII. 5. 6. *Semen Mulieris*, Gen. III. 15. *Unigenitus*, Gen. I. 18 *Sacerdos in æternum & Dominus*, Psalm. CX. 4. 5.

In Ecclesia Judaica per Filium Dei intellectus est Messias, quem exspectaverunt, de quo sciebant, quod nasceretur in Bethlechem. Quod per Filium Dei ab illis intellectus sit Messias, patet ex his locis: apud Johannem,, *Dixit Petrus, credimus & agnoscimus, quod Tu sis* CHRISTUS FILIUS DEI *viventis,,* VI. 69. Apud Eundem,, *Tu es* CHRISTUS FILIUS DEI, *qui in mundum venturus est,,* XI. 27. Apud Matthæum,, *Princeps sacerdotum interrogavit Jesum, num esset* CHRISTUS FILIUS DEI; *Jesus dixit, Ego sum,,* XXVI. 63. Marc. XI. 27. Apud Johannem,, *Hæc scripta sunt*, ut credatis, quod Jesus sit CHRISTUS FILIUS DEI,, XX. 31: tum Marc I. 1. Christus est vox græca, & significat Unctum, similiter Messias in Lingua Hebræa; quare dicit Johannes,, *Invenimus Messiam, quod est, si interpreteris,* CHRISTUS,, I. 42. Et alibi;,, *dixit Mulier, scio quod*

MESSIAS

Messias *veniat*, *qui dicitur* Christus,, IV. 25. Quod Lex & Prophetæ, seu totum Verbum Veteris Testamenti sit de Domino, in Primo Articulo indicatum est, quare non alius per Filium Dei venturum potest intelligi, quam Humanum quod Dominus suscepit in mundo. Ex quo sequitur, quod hoc intellectum sit per Filium a Jehovah e cælo dictum, cum baptizabatur, *Hic est* Filius meus dilectus, *in quo complacuit Mihi*,, Matth. XIII. 17. Marc. I. 11. Luc. III. 22.; nam Humanum Ipsius, baptizabatur. Et quando transformatus,, *Hic est* Filius meus dilectus, *in quo Mihi complacuit*, *Ipsum audite*, Matth XVII. 5. Marc. IX. 7. Luc. IX. 35. Tum etiam alibi, ut Matth. VIII. 29. Cap. XIV. 33. Cap XVIII. 43. 54. Marc. III. 11. Cap. XV. 39. Joh. I. 18. 34. 50. Cap. III. 18. Cap. V. 25. Cap. X. 36. Cap. XI. 4.

20. Quoniam per Filium Dei intelligitur Dominus quoad Humanum, quod in Mundo suscepit, quod est Divinum Humanum, patet quid intelligitur per quod Dominus toties dixerit, quod *Missus sit a Patre in mundum*, & per *quod exiverit a Patre:* per quod missus sit a Patre in mundum, intelligitur quod a Jehovah Patre conceptus sit. Quod non aliud per mitti & missum a Patre intelligatur, constat ex omnibus locis, ubi etiam dicitur, quod voluntatem Patris & opera Ipsius faceret, quæ erant, quod vinceret Inferna, glorificaret Humanum, doceret Verbum, & novam Ecclesiam instauraret; quæ non potuerunt fieri, nisi quam per Humanum conceptum a Jehovah, & natum a Virgine; hoc est, nisi Deus Homo factus sit. Evolve loca, ubi dicitur *mitti* & *missus*, & videbis, ut Matth. X. 40. Cap. XV. 24. Marc. IX. 37. Luc. IV. 43. Cap. IX. 48. Cap. X. 16. Joh. III. 17. 34. Cap IV. 34. Cap. V. 23. 24. 36. 37. 38. Cap. VI. 29. 39. 40 44. 57. Cap. VII. 16. 18. 28. 29. Cap. VIII. 16. 18. 29. 42. Cap. IX. 4. Cap. XI. 41. 42. Cap. XII. 44. 45. 49. Cap. XIII. 20. Cap. XIV. 24. Cap. XV. 21. Cap. XVI. 5. Cap. XVII 3. 8. 21. 23. 25. Cap. XX. 20. Tum etiam loca, ubi Dominus Jehovam appellat Patrem.

21. Multi hodie non aliter cogitant de Domino, quam sicut de vulgari homine, sui simili, quia solum de Humano Ipsius, & non simul de Divino, cum tamen Divinum & Humanum Ipsius non separari possunt: *Est enim Dominus Deus & Homo; ac Deus & Homo in Domino non sunt duo, sed una Persona, ita prorsus una, sicut Anima & Corpus sunt unus homo*; secundum doctrinam in toto Christiano Orbe, quæ est ex Conciliis, ac Doctrina fidei Athanasianæ vocatur. Ne itaque homo posthac cogitatione separet Divinum & Humanum in Domino, legat quæso illa, quæ ex Luca supra allata sunt; tum etiam hæc apud Matthæum,, *Jesu Christi Nativitas talis est; desponsata matre Ipsius Josepho, antequam illi congrederentur, inventa est in utero habens, ex* Spiritu Sancto. *Et Josephus sponsus ejus, quum justus esset, & non vellet illam diffamare, voluit clam dimittere illam. Verum cum ille hæc cogitaret, ecce Angelus Domini in somnio apparuit illi, dicens, Joseph, fili Davidis, ne timeas accipere Mariam sponsam tuam, nam quod in illa natum, ex* Spiritu Sancto *est: & pariet Filium, & vocabis Nomen Ipsius Jesum. Ille salvabit populum suum a peccatis eorum. Et expergefactus Josephus a somno, fecit sicut præcepit illi Angelus Domini, & accepit sponsam suam:* At non cog-

NOVIT ILLAM, *usque dum peperit Filium suum primogenitum, & vocavit nomen Ipsius Jesum*, I 18 ad 25. Ex his & ex illis quæ apud Lucam de Nativitate Domini scripta sunt, & ex supra allatis, constat, quod Filius Dei sit Jesus conceptus a Jehovah Patre, & natus a virgine Maria, de quo omnes Prophetæ & Lex usque ad Johannem prophetarunt.

22. Qui novit quid apud Dominum Filius Dei significat, & quid apud Ipsum Filius hominis, ille plura Arcana Verbi videre potest, nam Dominus nunc se vocat Filium, nunc Filium Dei, nunc Filium hominis, ubivis secundum rem, de qua agitur. Cum agitur de Divinitate Ipsius, de uno cum Patre, de Divina potestate, de Fide in Ipsum, de vita ab Ipso, tunc vocat se Filium & Filium Dei, ut Joh. V. 17 ad 26, & alibi: ubi autem agitur de Passione, de Judicio, de Adventu, & in genere de Redemptione, Salvatione, Reformatione, Regeneratione, tunc vocat se Filium hominis, causa est, quia Ipse quoad Verbum tunc intelligitur. Dominus variis nominibus insignitur in Verbo Veteris Testamenti. nominatur ibi Jehovah, Jah, Dominus, Deus, Dominus Jehovih, Jehovah Zebaoth, Deus Israelis, Sanctus Israelis, Fortis Jacobi, Schaddai, Petra, tum Creator, Formator, Salvator, Redemptor, ubivis secundum rem, de qua agitur; in Verbo Novi Testamenti similiter, ubi nominatur Jesus, Christus, Dominus, Deus, Filius Dei, Filius hominis, Propheta, Agnus, & quoque aliter, etiam ubivis secundum rem, de qua ibi agitur.

23. Ex quo Dominus vocatur Filius Dei, hactenus dictum est, nunc ex quo Dominus vocatur Filius hominis, dicetur. Vocatur Filius hominis, ubi agitur de Passione, de Judicio, de Adventu, & in genere ubi de Redemptione, Salvatione, Reformatione & Regeneratione; causa est, quia Filius hominis est Dominus quoad Verbum; ac Ipse ut Verbum, passus est, judicat, venit in mundum, redimit, salvat, reformat & regenerat. Quod ita sit, ex nunc sequentibus constare potest.

24. *Quod Dominus dicatur Filius hominis, cum agitur de Passione*, constat ex his: „ Jesus dixit ad Discipulos, ecce ascendimus Hierosolymam, & FILIUS HOMINIS tradetur Principibus Sacerdotum & scribis, qui condemnabunt Ipsum mortis, & tradent Ipsum gentibus, & flagellabunt Ipsum, & exspuent in Ipsum, & occident Ipsum; tertia tamen die resurget „ Marc. X. 33. 34. similiter alibi, ubi prædicit Passionem suam, ut Matth. XX. 18. 19. Marc. VIII. 31. Luc. IX. 22. „ Jesus dixit ad Discipulos, ecce adest hora, & FILIUS HOMINIS tradetur in manus peccatorum „ Matth. XXVI. 45. „ Angelus dixit ad mulieres venientes ad monumentum, mementote quod loquutus est vobis, quod oporteat FILIUM HOMINIS prodi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertia die resurgere „ Luc. XXIV. 6. Quod Dominus tunc se vocaverit Filium hominis, est quia passus est sibi fieri similiter, quemadmodum illi fecerunt cum Verbo, ut multis supra ostensum est.

25. *Quod Dominus dicatur Filius hominis, cum agitur de Judicio*, constat ex his „ Quando venerit FILIUS HOMINIS in gloria sua, tunc sedebit super throno gloriæ suæ, ac statuet oves a dextris, & hircos a sinistris „ Matth. XXV. 31. 33. „ Quando sedebit FILIUS HOMINIS super throno gloriæ suæ judicaturus duo-
de-

decim tribus Israelis ,, Matth. XIX. 28. ,, Venturus est FILIUS HOMINIS in gloria Patris sui, & tunc reddet unicuique secundum facta ejus ,, Matth. XVI. 27. ,, Vigilate omni tempore, ut digni habeamini ad consistendum coram FILIO HOMINIS ,, Luc. XXI. 36. Qua hora non putatis FILIUS HOMINIS venit, Matth. XXII. 44. Luc. XII. 40. Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, quia FILIUS HOMINIS est ,, Joh. V. 27 Causa, quod Dominus, cum de Judicio agitur, se dicat Filium hominis, est quia omne Judicium fit secundum Divinum Verum, quod est in Verbo; quod hoc judicet unumquemvis, dicit Ipse apud Johannem ,, Si quis non audiverit verba mea, non tamen crediderit, Ego non judico illum, non enim veni ut judicem mundum, VERBUM QUOD LOQUUTUS SUM, illud judicabit illum in extrema die ,, XII. 47. 48. Et alibi ,, non venit FILIUS HOMINIS ut judicet mundum, sed ut salvetur per Ipsum; qui credit in Ipsum non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credidit in Nomen unigeniti Filii Dei ,, III. 17. 18. Quod Dominus neminem ad Infernum judicet, seu in Infernum dejiciat, sed quod ipse malus spiritus semet, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO n. 545 ad 550. 574. per NOMEN Jehovæ, Domini, Filii dei intelligitur Divinum Verum, ita quoque Verbum, quod est ab Ipso, de Ipso, & sic Ipse.

26. *Quod Dominus dicatur Filius hominis, ubi agitur de Adventu Ipsius*, constat ex his: Discipuli dicebant ad Jesum, quodnam signum tui Adventus & Consummations sæculi, & tunc Dominus prædixit status Ecclesiæ successivos usque ad finem, & de fine ejus hæc ,, Tunc apparebit signum FILII HOMINIS: & videbunt FILIUM HOMINIS venientem in nubibus cæli cum virtute & gloria ,, Matth. XXIV. 3. 30. Marc. XIII. 26. Luc. XXI. 27; per consummationem sæculi intelligitur ultimum tempus Ecclesiæ: per adventum in nubibus cæli cum gloria, intelligitur aperitio Verbi, & manifestatio quod Verbum de Ipso solo scriptum sit. Apud Danielem ,, Vidi & ecce cum nubibus cælorum FILIUS HOMINIS veniens ,, VII. 13. In Apocalypsi ,, Ecce venit cum nubibus, & videbit Ipsum omnis oculus ,, I. 7., hoc etiam de FILIO HOMINIS, ut patet a Vers. 13, ibi. tum alibi in Apocalypsi ,, Vidi cum ecce nubes alba, & super nube sedens similis FILIO HOMINIS ., XIV. 14. Quod Dominus aliud apud se intellexerit per Filium Dei, & aliud per Filium hominis, patet a responso Ipsius ad Principem sacerdotum ,, Sacerdos magnus dixit ad Jesum, adjuro Te per Deum viventem, ut nobis dicas, num Tu sis Christus FILIUS DEI; dixit illi Jesus, tu dixisti, Ego sum; veruntamen dico vobis, a nunc videbitis FILIUM HOMINIS sedentem a dextris potentiæ, & venientem in nubibus cæli ,, Matth. XXVI. 63. 64. hic primum confessus est, quod sit Filius Dei, & postea dicit; quod visuri sint Filium hominis sedentem a dextris potentiæ, & venientem in nubibus cæli; per quæ intelligitur, quod post Passionem crucis in Divina Potentia esset aperiendi Verbum, & instaurandi Ecclesiam; quod non prius fieri potuit, quia non prius vicerat Infernum, & glorificaverat Humanum suum. Quid per sedere super nubibus cæli, & venire in gloria, significatur, in Opere de CÆLO ET INFERNO n. 1. explicatum est.

27. *Quod Dominus dicatur Filius hominis, ubi agitur de Redemptione, Salvatione, Reformatione & Regeneratione*, constat ex his ,, FILIUS HOMINIS venit, ut

det animam Redemptionem pro multis,, Matth. XX. 28. Marc. X. 45. Venit FILIUS HOMINIS ad salvandum & non ad perdendum,, Matth. XVIII. 11. Luc. IX. 56. Venit FILIUS HOMINIS ad quærendum & salvandum id quod perierat, Luc. XIX. 10. Venit FILIUS HOMINIS, ut mundus salvetur per Ipsum,, Joh. III. 17. Qui seminat bonum semen est FILIUS HOMINIS,, Matth. XIII. 37; ibi de Redemptione & Salvatione agitur, quæ quia a Domino fiunt per Verbum, ideo se vocat ibi Filium hominis. Dicit Dominus, quod FILIUS HOMINIS potestatem habeat remittendi peccata,, Marc. II. 10. Luc. V. 24, hoc est, salvandi. Tum,, Quod sit Dominus Sabbathi, quia est FILIUS HOMINIS,, Matth. XII. 8. Marc. II. 28. Luc. VI. 5, quia est Verbum, quod Ipse tunc docet. Præterea dicit apud Johannem,, Operamini cibum, non qui perit, sed cibum qui manet in vitam æternam, quem FILIUS HOMINIS vobis dabit,, VI. 27; per cibum intelligitur omne verum & bonum doctrinæ ex Verbo, ita a Domino: hoc quoque ibi intelligitur per mannam & per panem, qui e Cælo descendit; & quoque per hoc in eodem Capite,, Nisi comederitis carnem FILII HOMINIS, & biberitis Ipsius sangvinem, non habebitis vitam in vobis,, Vers. 53; caro seu panis est bonum amoris ex verbo, sanguis seu vinum est bonum fidei ex Verbo, utrumque a Domino.

Simile per Filium hominis in aliis locis, ubi dicitur, significatur; ut in his,, Vulpes foveas habent, & volucres nidos, FILIUS vero HOMINIS non habet ubi caput inclinet,, Matth. VIII. 20. Luc. IX. 58; per hoc intelligitur quod Verbum non haberet locum apud Judæos, ut quoque dicit Dominus, Joh. VIII. 37; nec esset manens apud illos, quia non agnoverunt Ipsum, Joh. V. 38. 39. Per Filium hominis intelligitur Dominus quoad Verbum, etiam in Apocalypsi,, In medio septem Candelabrorum vidi similem FILIO HOMINIS, indutum talari, & circumcinctum ad ubera Zona aurea,, I. 13 seq: ibi per varia repræsentatus est Dominus ut Verbum, quare etiam vocatur Filius hominis. Apud Davidem,, Sit manus tua pro Viro dextræ tuæ, pro FILIO HOMINIS confortasti Te; tunc non recedemus a Te, vivifica nos,, Psalm. LXXX. 18. 19. 20; Vir dextræ est quoque hic Dominus quoad Verbum, similiter Filius hominis: vocatur Vir dextræ, quia Domino ex Divino Vero, quod etiam est Verbum, est potentia, ac Ipsi Divina Potentia fuit, quando totum Verbum implevit; inde etiam dixerat, quod visuri sint FILIUM HOMINIS sedentem a dextris Patris cum potentia,, Marc. XIV. 62.

28. *Quod Filius hominis significet Dominum quoad Verbum, erat quia Prophetæ etiam dicti sunt Filii hominis*; quod Prophetæ filii hominis dicti sint, erat quia repræsentabant Dominum quoad Verbum, & inde significabant Doctrinam Ecclesiæ ex Verbo; non aliud in cælo per Prophetas, ubi nominantur in Verbo, intelligitur, significatio enim spiritualis Prophetæ, tum etiam Filii hominis, est *doctrina Ecclesiæ ex Verbo*, & cum de Domino, est *ipsum Verbum*. Quod Propheta Daniel vocatus sit Filius hominis, videatur apud illum Cap. VIII. 17. Quod Propheta Ezechiel vocatus sit Filius hominis, videatur apud illum Cap. II. 1. 3. 6. 8. Cap. III. 1. 3. 4. 10. 17. 25. Cap. IV. 1. 16. Cap. V. 1. Cap. VI. 2. Cap. VII. 2. Cap. VIII. 5. 6. 8. 12. 15. Cap. XI. 2. 4 15. Cap. XII.

2.

2. 3. 9. 18. 22. 27. Cap. XIII. 2. 17. Cap. XIV. 3. 13. Cap. XV. 2. Cap. XVI. 2. Cap. XVII. 2. Cap. XX. 3. 4. 27. 46. Cap. XXI. 2. 6. 9. 12. 14. 19. 28. Cap. XXII. 18. 24. Cap. XXIII. 2. 36. Cap. XXIV. 2. 16. 25. Cap. XXV. 2. Cap. XXVI. 2. Cap. XXVII. 2. Cap. XXVIII. 2. 12. 21. Cap. XXIX. 2. 18. Cap. XXX. 2. 21. Cap. XXXI. 1. 2. Cap. XXXII. 2. 18. Cap. XXXIII. 2. 7. 10. 12. 24. 30 Cap XXXIV. 2. Cap. XXXV. 2. Cap. XXXVI. 1. 17. Cap. XXXVII. 3. 9. 11. 16. Cap. XXXVIII. 2. 24. Cap XXXIX 1. 17. Cap. XL. 4 Cap. XLIII. 7. 10. 18. Cap. XLIV. 1. 4. Ex his nunc patet, quod Dominus quoad Divinum Humanum dicatur Filius Dei, & quoad Verbum Filius hominis.

Quod Dominus Humanum suum fecerit Divinum ex Divino in Ipso, & quod sic unum factus sit cum Patre.

29. Ex Doctrina Ecclesiæ recepta in universo Christiano Orbe est, Quod noster Dominus Jesus Christus Filius Dei, sit et Deus et homo; et quamvis est Deus et homo, usque non sunt duo, sed est unus Christus, est unus, quia Divinum suscepit ad Se Humanum; imo est prorsus unus, est enim una Persona: quoniam sicut Anima et Corpus faciunt unum hominem, ita Deus et Homo est unus Christus; hæc verba ex Doctrina fidei Athanasianæ, quæ in universo Christiano orbe recepta est, desumpta sunt; hæc ibi sunt essentialia de unitione Divini & Humani in Domino; reliqua quæ in eadem Doctrina de Domino dicuntur, in suo Articulo explicabuntur. Ex illis clare patet, quod ex Fide Ecclesiæ Christianæ sit, quod Divinum & Humanum in Domino non sint duo sed unum, sicut Anima & Corpus est unus homo, & quod Divinum in Ipso susceperit Humanum. Ex hoc sequitur, quod non Divinum ab Humano, nec Humanum a Divino possint separari; nam illa separare, foret sicut separare Animam & Corpus. Quod ita sit, etiam omnis agnoscet, qui legit illa, quæ supra n. 19 & 21 ex binis Evangelistis, nempe ex Luca Cap. I 26 ad 35, & ex Matthæo Cap. I. 18 ad 25, de Nativitate Domini, allata sunt; ex quibus manifestum est, quod Jesus conceptus sit a Jehovah Deo, & natus a Maria virgine; ita quod in Ipso fuerit Divinum, & illud Anima Ipsius. Nunc quia Anima Ipsius fuit Ipsum Divinum Patris, sequitur quod Corpus seu Humanum Ipsius etiam factum sit Divinum, nam ubi unum est, etiam erit alterum: ita & non aliter Pater & Filius unum sunt, Pater in Filio & Filius in Patre, tum omnia Filii Patris sunt & omnia Patris Filii, ut Ipse Dominus in Verbo suo docet. Sed quomodo Unitio facta est, dicetur hoc ordine; I. Quod Dominus ab æterno, sit Jehovah. II. Quod Dominus ab æterno seu Jehovah susceperit Humanum ad salvandum homines. III. Quod Humanum Divinum fecerit ex Divino in Se. IV. Quod Humanum Divinum fecerit per Tentationes in se admissas. V. Quod plena unitio Divini & Humani in Ipso facta

facta sit per Passionem crucis, quæ fuit Tentationum ultima. VI. Quod Humanum ex matre susceptum successive exuerit, & Humanum ex Divino in Ipso induerit, quod est Divinum Humanum & Filius Dei. VII. Quod ita Deus factus sit Homo, ut in Primis etiam in Ultimis.

30. *Quod Dominus ab æterno, sit Jehovah*, notum est ex Verbo; nam Dominus dixit Judæis,, Amen dico vobis, priusquam Abrahamus fuit, Ego sum,, Joh. VIII. 58. Et alibi,, Glorifica Me Tu Pater, gloria; quam habui antequam mundus esset apud Te,, Joh. XVII. 5. per quæ intelligitur Dominus ab æterno, & non Filius ab æterno, nam Filius est Humanum Ipsius conceptum a Jehovah Patre & natum a Maria virgine in tempore, ut supra ostensum est. Quod Dominus ab æterno, sit Ipse Jehovah, constat a multis locis in Verbo, ex quibus hæc pauca in præsenti adducentur,, Dicetur in die illo, DEUS NOSTER HIC, quem exspectavimus, ut liberet nos; JEHOVAH, quem exspectavimus; exultemus & lætemur in Salute Ipsius,, Esaj. XVI. 10. 14; ex quibus patet, quod Ipse Deus Jehovah exspectatus sit.,, Vox clamantis in deserto, parate viam JEHOVÆ; complanate in solitudine semitam DEO NOSTRO: revelabitur gloria JEHOVÆ; & videbit omnis caro simul. Ecce DOMINUS JEHOVIH in forti venit,, Esaj. XL. 3. 5. 10. Matth. III. 3. Marc. I. 3. Luc. III. 4; hic etiam Dominus dicitur Jehovah, qui venturus est.,, Ego Jehovah, dabo Te in fædus populo, in lucem gentium: EGO JEHOVAH, HOC NOMEM MEUM; ET GLORIAM MEAM NON ALTERI DABO,, Esaj. XLII. 6. 7. 8; fædus populo, & lux gentium est Dominus quoad Humanum; quia Hoc est a Jehovah, ac factum unum cum Jehovah, dicitur Ego Jehovah hoc Nomen meum, & gloriam meam non alteri dabo, hoc est, non alteri quam sibi Ipsi; gloriam dare est glorificare seu unire sibi.,, Subito veniet ad Templum suum DOMINUS, quem vos quæritis, Malach. III 1; per Templum intelligitur Templum Corpotis Ipsius, ut Joh. II. 19. 21.,, Visitavit nos ORTUS AB ALTO,, Luc. I. 78, ortus ab alto etiam est Jehovah, seu Dominus ab æterno. Ex his patet, quod per Dominum ab æterno, intelligatur Divinum Ipsius a Quo, quod in verbo est Jehovah: ex locis autem infra afferendis patebit, quod per Dominum & quoque per Jehovam, postquam glorificatum est Humanum Ipsius, intelligatur Divinum & Humanum simul, ut unum; & quod per Filium solum intelligatur Divinum Humanum.

31. *Quod Dominus ab æterno, seu Jehovah, susceperit Humanum ad salvandum homines*, confirmatum est ex Verbo in antecedentibus Articulis; quod homo non aliter salvari potuerit, alibi dicetur. Quod susceperit Humanum, constat etiam ex locis in Verbo, ubi dicitur, quod exiverit ex Deo, descenderit e cælo, & quod missus sit in mundum; ut ex his,, EXIVI a Patre & VENI in mundum,, Joh. XVI. 28.,, Ego a DEO EXIVI & VENIO, neque a Me Ipso veni, sed Ille Me MISIT,, Joh. VIII. 42.,, Pater vos amat, quia credidistis, quod EGO A DEO EXIVERIM,, Joh. XVI, 26. 27.,, Nemo ascendit e cælo, nisi qui E CÆLO DESCENDIT,, Joh. III. 13. Panis Dei est, qui DESCENDIT E CÆLO, & vitam dat mundo,, Joh. VI. 33. 35. 41. 50. 51. Qui DESUPER VENIT, supra omnes est; qui E CÆLO VENIT, supra omnes est,, Joh. III. 31.,, Ego

go novi Patrem, quia AB ILLO SUM, & ILLE MISIT ME,, Joh. VII. 27: quod per mitti a Patre in mundum, intelligatur suscipere Humanum, videatur supra n. 20

32. *Quod Dominus Humanum suum Divinum fecerit ex Divino in Se*, constare potest ex multis locis e Verbo, ex quo munc illa loca adducentur, quæ confirmant, *quod hoc successive factum sit*, quæ sunt,, Jesus crevit & corroboratus est spiritu & sapientia, & gratia Dei erat super Ipsum,, Luc. II. 40.,, Jesus profecit sapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines. II. *Quod Divinum operatum sit per Humanum, sicut anima per corpus*, ex his,, Non potest Filius facere a Se Ipso quicquam, nisi viderit Patrem facientem,, Joh. V. 19.,, A Me Ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater meus, hæc loquor; qui misit Me, Mecum est, non reliquit Me solum,, Joh. VIII. 28. 29. Cap. V. 30. Ego non ex Me Ipso loquutus sum, sed qui misit Me Pater, Mihi præceptum dedit, quid dicere & quid loqui debeam,, Joh. XII. 49. 50. Verba, quæ Ego loquor vobis, a Me Ipso non loquor. Pater, qui in Me manet, Ille facit opera,, Joh. XIV. 10. Non sum solus, quia Pater Mecum,, Joh. XVI. 32. III. *Quod Divinum & Humanum unanimiter operatum sit*, ex his,, Quæ Pater facit, hæc etiam Filius similiter facit,, Joh. V. 19.,, Quemadmodum Pater suscitat mortuos & vivificat, ita etiam Filius, quos vult, vivificat,, Joh. V. 21.,, Quemadmodum Pater habet vitam in Se Ipso, ita dedit etiam Filio vitam habere in Se Ipso,, Joh. V. 26. Nunc cognoverunt, quod omnia, quæ dedisti Mihi, a Te sint,, Joh. XVII. 6. IV. *Quod unitum sit Divinum Humano & Humanum Divino*, ex his,, Si cognovistis Me, etiam Patrem meum cognovistis, & vidistis Ipsum. Dixit ad Philippum volentem videre Patrem ; tantum tempus vobiscum sum, & non nosti Me, Philippe, qui vidit Me, vidit Patrem; nonne credis, quod Ego in Patre, & Pater in Me sit: credite Mihi, quod Ego in Patre & Pater in me sit,, Joh. XIV. 6 ad 11.,, Si non facio opera Patris mei, ne credite Mihi, si facio, operibus credite; ut cognoscatis & credatis, quod Pater in Me, & Ego in Patre,, Joh. X. 36. 38.,, Ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in Me, & Ego in Te,, Joh. XVII. 22.,, In illo die cognoscetis, quod Ego in Patre meo,, Joh. XIV. 20.,, Non rapiet quis oves e manu Patris mei, Ego & Pater unum sumus,, Joh. X. 30.,, Pater amat Filium, & omnia dedit in manum Ipsius,, Joh. III. 35.,, Omnia quæcunque Pater habet, Mea sunt,, Joh. XVI. 15.,, Omnia Mea Tua sunt, & Tua Mea,, Joh. XVII. 10.,, Dedisti Filio potestatem omnis carnis, Joh. XVIII. 2.,, Data est Mihi omnis potestas in Cælo & in Terra,, Matth. XXVIII. 18. V. *Quod Divinum Humanum adeundum sit*, patet ex his,, Ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem, Joh. V. 23.,, Si Me nossetis, etiam Patrem meum nossetis,, Joh. VIII. 19.,, Qui videt Me, videt Ipsum qui misit Me,, Joh. XII. 45.,, Si cognovistis Me, etiam Patrem meum cognovistis, & abhinc cognovistis Ipsum, & vidistis Ipsum,, Joh. XIV. 7.,, Qui Me suscipit, suscipit Ipsum, qui misit Me,, Joh. XIII. 20: causa est, quia nemo potest Ipsum Divinum, quod Pater vocatur, videre, sed Divinum Humanum; dicit enim Dominus,, Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ille exposuit,,

Joh. I. 18. ,, Non Patrem vidit quis, nisi qui est apud Patrem, Hic vidit Patrem,, Joh. VI. 46. ,, Non vocem Patris audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis,, Joh. V. 37. VI. *Quia Dominus Humanum suum fecit Divinum ex Divino in Se, & quia Illud adeundum est, & Hoc est Filius Dei, ideo in Dominum, qui & Pater & Filius est; credendum est*; hoc patet ex his: ,, Jesus dixit quotquot receperunt Ipsum, dedit illis potestatem ut filii Dei essent, CREDENTIBUS IN NOMEN IPSIUS,, Joh. I. 12. Ut omnis qui CREDIT IN IPSUM non pereat, sed vitam æternam habeat,, Joh. III. 15. ,, Adeo dilexit Deus mundum, ut Filium suum Unigenitum dederit, ut omnis qui CREDIT IN IPSUM, vitam æternam habeat,, Joh. III. 16 ,, Qui CREDIT IN FILIUM, non judicatur; qui autem NON CREDIT, jam judicatus est, quia NON CREDIDIT IN NOMEN UNIGENITI FILII DEI, Joh III. 18. ,, Qui CREDIT IN FILIUM, habet vitam æternam; qui vero NON CREDIT FILIO, non videbit vitam; sed ira Dei manet super illo,, Joh. III. 36. ,, Panis Dei est, qui descendit e cælo, & vitam dat mundo; qui venit ad Me, non esuriet, & qui CREDIT IN ME, non sitiet unquam., Joh. VI. 33. 35. ,, Hæc est voluntas Ipsius qui misit Me, ut omnis qui videt Filium, & CREDIT IN IPSUM, habeat vitam æternam, & resuscitem illum Ego in extremo die,, Joh VI. 40. ,, Dixerunt ad Jesum, quid faciemus ut operemur opera Dei, respondit Jesus, hoc est opus Dei, ut credatis in Eum, quem misit Ille,, Joh. VI. 28. 29. ,, Amen dico vobis, qui CREDIT IN ME, habet vitam æternam,, Joh. VI. 47. ,, Jesus clamavit dicens, si quis sitiverit, venito ad Me, & bibito, quisquis CREDIT IN ME, sicut dixit Scriptura, flumina e ventre illius fluent aquæ viventis,, Joh. VII. 37. 38. ,, NISI CREDIDERITIS quod Ego sim, moriemini in peccatis vestris,, Joh. VIII. 24 ,, Jesus dixit, Ego sum resurrectio & vita, qui CREDIT IN ME, etsi moriatur, vivet: omnis vero qui vivit, & CREDIT IN ME, non morietur in æternum, Joh. XI. 25 26. ,, Jesus dixit, Ego Lux in mundum veni, ut omnis, QUI CREDIT IN ME, in tenebris non maneat,, Joh. XII. 46. Cap. VIII. 12. ,, Quousque Lucem habetis, CREDITE IN LUCEM, ut filii Lucis sitis,, Joh. XII. 36. ,, Amen dico vobis, quod mortui audient vocem Filii Dei, & qui audient, vivent,, Joh. V. 25. ,, Manete in Me, etiam Ego in vobis; Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum; quia sine Me non potestis facere quicquam,, Joh. XV. 1 ad 5. ,, Quod mansuri sint in Domino, & Dominus in illis,, Joh. XIV. 20. Cap. XVII. 23. ,, Ego sum Via, Veritas & Vita; nemo venit ad Patrem, nisi per Me,, Joh. XIV. 6. In his locis, & in omibus aliis, ubi nominatur Pater, intelligitur Divinum, quod ex conceptione fuit in Domino, quod secundum Doctrinam fidei Christiani Orbis, fuit sicut anima in corpore apud hominem; Ipsum Humanum ex hoc Divino est Filius Dei. Nunc quia Hoc quoque Divinum factum est, ne homo adeat Patrem solum, & per id in cogitatione, fide, & inde in cultu separet Patrem a Domino, in quo est, ideo postquam Dominus docuit, quod Pater & Ipse unum sint, & quod Pater in Ipso & Ipse in Patre sit, & quod mansuri sint in Ipso; & quod nemo veniat ad Patrem nisi per Ipsum, etiam docet quod in Ipsum credendum sit, & quod homo ex fide directa in Ipsum salvetur. Quod Hu-

Humanum in Domino Divinum factum sit, in Christianismo apud plures non potest aliqua idea capi, ex causa imprimis, quia de Homine cogitant ex materiali ejus corpore, & non ex spirituali, cum tamen omnes Angeli, qui spirituales sunt, etiam in plena forma homines sunt, & omne Divinum, quod procedit a Jehovah Deo, a Primis Ejus in cælo, ad Ultimum Ejus in mundo, in formam humanam tendit. Quod Angeli sint Formæ Humanæ, & quod omne Divinum tendat in formam humanam, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO n. 73 ad 77. & n. 453 ad 460; ac plenius videbitur in sequentibus Operibus, quæ erunt ex Sapientia Angelica de Domino.

33. *Quod Dominus Humanum suum Divinum fecerit per Tentationes in se admissas, & per continuas tunc victorias*, actum est supra, n. 12. 13. 14; quibus hoc solum addendum est. Tentationes non aliud sunt, quam pugnæ contra mala & falsa, & quia mala & falsa ab Inferno sunt, sunt quoque pugnæ contra Infernum; etiam apud homines, qui Tentationes spirituales subeunt, sunt mali spiritus ab Inferno, qui illas inducunt: quod mali spiritus inducant Tentationes, homo nescit, quod tamen sint, ex multa Experientia datum est scire. Ex eo est, quod homo, dum ex Domino vincit in Tentationibus, ab inferno extrahatur, ac in Cælum elevetur: inde est, quod homo per Tentationes seu pugnas contra mala fiat spiritualis, ita angelus. Dominus autem ex propria potentia pugnavit contra omnia Inferna, & illa prorsus domavit & subjugavit; & per id, quod simul glorificaverit Humanum suum, illa in æternum domata & subjugata tenet. Inferna enim ante Domini adventum usque ad illam altitudinem succreverunt, ut ipsos Angelos cæli inciperent infestare, & similiter omnem hominem venientem in mundum & exeuntem e mundo: quod Inferna in talem altitudinem succreverint, erat causa, quia Ecclesia prorsus devastata fuit, & homines mundi ex idololatriis in meris falsis & malis fuerunt, & ex hominibus sunt Inferna: inde fuit, quod nisi Dominus in Mundum venisset, nemo hominum potuisset salvari. De his Domini pugnis, multis agitur in Psalmis Davidis & in Prophetis, at parum in Evangelistis. Pugnæ illæ sunt, quæ intelliguntur per Tentationes, quas Dominus sustinuit, quarum ultima fuit Passio crucis. Ex illis est, quod Dominus dicatur Salvator & Redemptor. Hoc in Ecclesia in tantum notum est, ut dicant, quod Dominus vicerit Mortem seu Diabolum, hoc est, Infernum, & quod cum Victoria resurrexerit: tum etiam quod absque Domino nulla salus. Quod etiam glorificaverit Humanum suum, & quod per id Salvator, Redemptor, Reformator & Regenerator in æternum factus sit, in sequentibus videbitur. Quod Dominus per Pugnas seu Tentationes Salvator factus sit, ex locis supra n. 12. 13. 14 in copia allatis, patet; & ex hoc apud Esajam,,, Dies vindictæ in corde meo, & ANNUS REDEMPTORUM meorum venerat, conculcavi illos in ira mea, descendere feci in terram victoriam illorum, IDEO FACTUS EST ILLIS IN SALVATOREM,,, LXIII. 4. 6. 8; agitur in eo Capite de pugnis Domini. Et apud Davidem,,, Attollite portæ capita vestra, extollimini ostia mundi, ut ingrediatur REX GLORIÆ. Quis Hic REX GLORIÆ, JEHOVAH FORTIS ET HEROS, JEHOVAH HEROS BELLI,,, Psalm. XXIV. 7. 8, hæc etiam de Domino.

34. *Quod plena Unitio Divini & Humani in Ipso facta sit per Passionem crucis, quæ fuit Tentationum ultima*, confirmatum est in suo Articulo supra, in quo ostensum est, quod Dominus in Mundum venerit, ut subjugaret Inferna, & glorificaret Humanum suum, & quod Passio crucis fuerit ultima pugna, per quam plene vicit Inferna, & plene glorificavit Humanum suum. Nunc quia Dominus per Passionem crucis plene glorificavit Humanum suum, hoc est, univit Illud Divino suo, & sic Humanum suum etiam fecit Divinum, sequitur quod Ipse sit Jehovah & Deus quoad utrumque: quare in Verbo multis in locis vocatur Jehovah, Deus & Sanctus Israelis Redemptor, Salvator & Formator, ut in sequentibus his: ,, Maria dixit, magnificat anima mea DOMINUM: & exultavit spiritus meus super DEO SALVATORE MEO,, Luc. I. 46. 47. ,, Angelus dixit ad pastores, ecce, evangelizo vobis gaudium magnum, quod fiet omni populo, quod natus sit hodie SALVATOR, qui est CHRISTUS DOMINUS in urbe Davidis,, Luc. II. 10. 11. ,, Dixerunt, Hic est vere SALVATOR MUNDI CHRISTUS ,, Joh. IV. 42. ,, Ego Jehovah Deus adjuvo te, & REDEMPTOR SANCTUS ISRAELIS ,, Esaj. XLI. 14. ,, Dixit JEHOVAH Creator tuus, Jacob, & FORMANOR TUUS, Israel, nam REDEMI TE. Ego JEHOVAH DEUS TUUS, SANCTUS ISRAELIS SALVATOR TUUS ,, Esaj. XLIII. 1. 3. ,, Dixit, JEHOVAH REDEMPTOR vester SANCTUS ISRAELIS. Ego JEHOVAH SANCTUS VESTER, Creator Israelis REX VESTER, Esaj. XLIII 14. 15. ,, Sic dixit JEHOVAH SANCTUS ISRAELIS, & FORMATOR ejus ,, Esaj. XLV. II. 15. ,, Sic dixit JEHOVAH REDEMPTOR tuus SANCTUS ISRAELIS ,, Esaj. XLVIII. 17. ,, Ut sciat omnis caro, quod Ego JEHOVAH SALVATOR tuus, & REDEMPTOR TUUS FORTIS JACOBI ,, Esaj. XLIX. 26. ,, Tunc veniet Zioni REDEMPTOR ,, Esaj. LIX. 20. Ut scias, quod Ego JEHOVAH SALVATOR tuus, & REDEMPTOR tuus, POTENS JACOBI ,, Esaj LX. 16. ,, JEHOVAH FORMATOR tuus ab utero ,, Esaj. XLIX 5. JEHOVAH Petra mea, & REDEMPTOR MEUS ,, Psalm. XIX. 15. ,, Recordati sunt, quod Deus esset Petra eorum, & DEUS EXCELSUS REDEMPTOR EORUM ,, Psalm. LXXVIII. 35. ,, Dixit JEHOVAH REDEMPTOR TUUS, & FORMATOR tuus ab utero ,, Esaj. XLIV. 4 ,, Quod ad REDEMPTOREM NOSTRUM, JEHOVAH ZEBAOTH nomen Ipsius, Sanctus Israelis ,, Esaj. XLVII. 4 ,, Cum misericordia æternitatis miserebor tui, sic dixit REDEMPTOR TUUS JEHOVAH ,, Esaj. LIV. 8. ,, REDEMPTOR EORUM FORTIS, JEHOVAH NOMEN Ipsius ,, Jerem L. 34. ,, Speret Israel in JEHOVAH, quia CUM JEHOVAH Misericordia, plurima cum Ipso REDEMPTIO; ILLE REDIMET Israelem ab omnibus iniquitatibus ejus ,, Psalm. CXXX. 7. 8 ,, JEHOVAH DEUS Petra mea, propugnaculum meum, cornu salutis meæ, SALVATOR MEUS ,, II. Sam. XXII. 2. 3. ,, Sic dixit JEHOVAH REDEMPTOR Israelis, SANCTUS IPSIUS, Reges videbunt & subsistent propter Jehovam, qui fidelis, Sanctum Israelis, qui elegit te ,, Esaj. XLIX. 7. ,, Tantummodo inter te Deus, & PRÆTEREA NON ALIUS DEUS; profecto Tu Deus occultus, DEUS ISRAELIS SALVATOR ,, Esaj. XLV. 14. 15. ,, Dixit Jehovah Rex Israelis, & REDEMPTOR EJUS JEHOVAH ZEBAOTH, PRÆTER ME NON DEUS, Esaj. XLIV. 6. ,, EGO JEHOVAH, ET PRÆTER ME NON SALVATOR ,, Esaj. XLIII. 11. ,, NONNE EGO JEHOVAH, ET NON AMPLIUS PRÆTER ME, ET SALVATOR NON EST PRÆTER ME ,,

Esaj.

Esaj. XLV. 21. Ego JEHOVAH DEUS TUUS,, & Deum præter Me non agnosces, & SALVATOR NON EST PRÆTER ME,, Hosch. XIII. 4.,, Nonne EGO JEHOVAH, & non amplius Deus præter Me, DEUS justus & SALVATOR NON EST PRÆTER ME; Respicite ad Me, ut SALVEMINI omnes fines terræ, quia EGO DEUS ET NON PRÆTEREA,, Esaj. XLV. 21. 22.,, JEHOVAH ZEBAOTH NOMEN IPSIUS, ET REDEMPTOR TUUS SANCTUS ISRAELIS, DEUS TOTIUS TERRÆ VOCABITUR,, Esaj. LIV. 5. Ex his videri potest, quod Divinum Domini, quod Pater vocatur, & hic Jehovah & Deus, ac Divinum Humanum, quod Filius vocatur, & hic Redemptor & Salvator, tum Formator, hoc est, Reformator & Regenerator, non duo sint sed unum, nam non solum dicitur, Jehovah Deus & Sanctus Israelis Redemptor & Salvator, sed etiam dicitur Jehovah Redemptor & Salvator, imo etiam dicitur Jehovah Salvator & non præter Me: ex quibus manifeste patet, quod Divinum & Humanum in Domino sint una Persona, & quod Humanum etiam Divinum sit, nam Redemptor & Salvator Mundi non alius est, quam Dominus quoad Divinum Humanum, quod Filius vocatur: Redemptio & Salvatio enim est Attributum proprium Humini Ipsius, quod vocatur Meritum & Justitia, nam Humanum Ipsius sustinuit Tentationes & Passionem crucis, ita per Humanum redemit & salvavit. Nunc quia post unitionem Humani cum Divino in Se, quæ fuit sicut animæ & corporis apud hominem, non amplius erant duo sed una Persona, secundum Doctrinam Christiani Orbis, ideo Dominus quoad utrumque est Jehovah & Deus, quare dicitur nunc Jehovah & Sanctus Israelis Redemptor & Salvator, nunc Jehovah Redemptor & Salvator, ut ex adductis locis videri potest; quod ibi dicatur SALVATOR CHRISTUS, Luc. II. 10. 11. Joh IV. 42. DEUS ET DEUS ISRAELIS SALVATOR ET REDEMPTOR, Luc. I. 47. Esaj. XLV. 14. Cap. LIV. 5. Psalm. LXXVIII. 31. JEHOVAH SANCTUS ISRAELIS SALVATOR ET REDEMPTOR, Esaj. XLI. 14. Cap. XLIII. 3. 11. 14. 15. Cap. XLVIII. 17. Cap. XLIX. 7. Cap. LIV. 5. JEHOVAH SALVATOR, REDEMPTOR ET FORMATOR, Esaj. XLIV. 4. Cap. XLVII. 4. Cap. XLIX. 26. Cap. LIV. 8. Cap. LXIII. 10. Jerem. L. 34. Psalm. XIX. 15. Psalm. CXXX. 7. 8. II. Sam. XXII. 2. 3. JEHOVAH DEUS REDEMPTOR, ET SALVATOR, ET PRÆTER ME NON ALIUS, Esaj. XLIII. 11. Cap. XLIV. 6. Cap. XLV. 14. 15. 21. 22. Hosch. XIII. 4.

35. *Quod Dominus Humanum ex matre susceptum successive exuerit, & Humanum ex Divino in Ipso induerit, quod est Divinum Humanum & Filius Dei.* Quod Domino fuerit Divinum & Humanum, Divinum ex Jehovah Patre, & Humanum ex Maria virgine, notum est; inde est, quod fuerit Deus & Homo, & sic ipsi Essentia Divina & natura Humana, Essentia Divina ex Patre, Natura Humana ex Matre, & inde æqualis Patri quoad Divinum, & minor Patre quoad Humanum, tum quod Humanam hanc ex matre naturam non transmutaverit in Essentiam divinam, nec ei commiscuerit illam, ut docet DOCTRINA FIDEI, quæ ATHANASIANA vocatur; nam Natura Humana in Essentiam Divinam non potest transmutari, nec potest ei commisceri. Et tamen ex eadem nostra doctrina est, quod Divinum susceperit Humanum, hoc est, univerit se illi, sicut anima suo corpori, usque ut non duo essent, sed una Persona: ex eo se-

quitur, quod Humanum ex Matre, quod in se erat simile Humano alterius hominis, & sic materiale, exuerit, ac Humanum ex Patre, quod in se simile Divino suo, & sic substantiale, induerit, ex quo Humanum etiam factum est Divinum. Inde est quod Dominus in Verbo Prophetarum etiam quoad Humanum dicatur Jehovah & Deus, ac in Verbo Evangelistarum Dominus, Deus, Messias seu Christus & Filius Dei, in quem credendum est, & a quo salvandi sunt. Nunc quia Domino fuit ab initio Humanum ex matre, & hoc successive exuit, ideo, dum in Mundo erat, fuerunt Ipsi duo Status, qui vocantur Status humiliationis seu exinanitionis, & Status glorificationis seu unitionis cum Divino quod Pater vocatur; Status humiliationis, quantum & quando fuit in Humano ex matre, & Status glorificationis, quantum & quando fuit in Humano ex Patre: in statu humiliationis oravit Patrem sicut alium a Se; in statu glorificationis autem loquutus est cum Patre ut cum Se; in hoc statu dixit, quod Pater esset in Se & Ipse in Patre, & quod Pater & Ipse unum essent; in statu autem humiliationis subiit tentationes, & passus est crucem, & oravit ne Pater Ipsum desereret; nam Divinum non potuit tentari, & minus adhuc crucem pati. Ex his nunc patet, quod per tentationes & continuas tunc victorias, ac per Passionem crucis, quæ fuit ultima tentationum, plene vicerit Inferna & plene glorificaverit Humanum, ut prius ostensum est. Quod Dominus exuerit Humanum ex matre, & induerit Humanum ex Divino in Ipso, quod Pater vocatur, patet etiam ex eo, quod Dominus quoties Ipse ex suo ore loquutus est ad matrem, non vocaverit illam Matrem, sed Mulierem: apud Evangelistas legitur modo ter, quod ex suo ore loquutus sit ad Matrem & de illa, & tunc bis quod appellaverit illam Mulierem, & semel quod non agnoverit illam pro Matre: bis quod appellaverit illam mulierem, legitur apud Johannem,, *Dixit Mater Jesu ad Ipsum, vinum non habent, dicit illi Jesus, quid Mibi & tibi,* MULIER, *nondum venit hora mea,,* II. 4. Et apud Eundem,, *Jesus e cruce videt matrem, & discipulum adstantem, quem amabat, dicit Matri suæ,* MULIER *ecce Filius tuus, deinde dicit discipulo, ecce Mater tua,,* XIX. 26. 27. Semel quod non agnoverit illam, apud Lucam,, *Nuntiatum est Jesu a dicentibus, Mater tua & fratres tui foris stant, & volunt te videre: Jesus respondens dixit ad illos, Mater mea & fratres mei hi sunt, qui audiunt Verbum Dei, & faciunt illud,,* VIII. 20. 21. Matth. XII. 46 ad 49. Marc. III. 31 ad 35: in aliis locis vocatur Maria Ipsius mater, sed non ab Ipsius ore. Hoc etiam confirmatur per id, quod non agnoverit se esse Filium Davidis; legitur enim apud Evangelistas,, *Interrogavit Jesus Pharisæos, dicens, quid vobis videtur de Christo, cujus Filius est, dicunt Ipsi, Davidis; dixit illis, quomodo ergo David Ipsum in spiritu Dominum suum vocat, dicens, dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum: si ergo David vocat Ipsum Dominum, quomodo Filius ejus est: & nemo poterat Ipsi respondere verbum,,* Matth. XXII. 39 ad 44. Marc XII. 35. 36. 07. Luc. XX. 41 ad 44. Psalm. CX. 1; ex his patet; quod Dominus quoad Humanum glorificatum non fuerit Mariæ nec Davidis filius. Quale fuit Humanum Ipsius glorificatum, ostendit Petro, Jacobo & Johanni, cum transfotmatus est coram illis,, *Quod splenduerit facies Ipsius sicut Sol, & vestimenta*

ta Ipsius fuerint sicut Lux: & tunc vox e nube dixit, Hic est Filius meus dilectus, in quo Mibi complacuit,, Ipsum audite,, Matth. XVIII. 1 ad 8. Marc. IX. 2. ad 8. Luc. IX. 28 ad 36. Dominus etiam est visus Johanni, *Sicut Sol lucens in virtute sua,,* Apoc. I 16.

. Quod Humanum Domini glorificatum sit, constat ex illis, quæ de Glorificatione Ipsius apud Evangelistas dicuntur, ut ex his; apud Johannem,, *Venit hora ut glorificetur Filius hominis: dixit, Pater, glorifica tuum Nomen: exiit vox e Cælo, & glorificavi & rursus glorificabo,,* XII 23. 28; quia Dominus successive glorificatus est, ideo dicitur, & glorificavi, & rursus glorificabo. Apud Eundem,, *Postquam Judas exivit, dixit Jesus, nunc glorificatus est Filius hominis; & Deus glorificatus est in Ipso, etiam Deus glorificabit Ipsum in Se Ipso, & statim glorificabit Ipsum,,* XIII. 31. 32. Apud Eundem,, *Jesus dixit, Pater venit hora, glorifica Filium tuum, ut etiam Filius glorificet Te,* XVII. 1. 6. Et apud Lucam,, *Nonne hoc oportebat pati Christum, & ingredi in gloriam suam,,* XXIV. 26; hæc dicta sunt de Humano Ipsius. Dixit Dominus, Deus glorificatus est in Ipso, etiam Deus glorificabit Ipsum in Se Ipso: tum, glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet Te; hæc Dominus dixit, quia unitio fuit reciproca, Divini cum Humano ac Humani cum Divino; quare etiam dixerat,, Ego in Patre, & Pater in Me,, Joh. XIV. 10. 11; tum,, omnia mea Tua sunt, & omnia Tua mea,, Joh. XVII. 10: inde fuit unitio plenaria. Simile est cum omni unitione, quæ nisi sit reciproca, non est plena; qualis etiam erit Domini cum homine, & hominis cum Domino, ut docet apud Johannem,, In illa die cognoscetis, quod vos in Me, & Ego in vobis,, XIV. 20. Et alibi,, Manete in Me, etiam Ego in vobis: qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum,, XV. 4. 5.

Quoniam Humanum Domini glorificatum est, hoc est, Divinum factum est, ideo post mortem tertia die cum toto corpore resurrexit: quod non fit alicui homini, nam homo solum quoad spiritum, non autem quoad corpus resurgit. Ut homo sciret, & nemo dubitaret, quin Dominus cum toto Corpore resurrexerit, non modo dixit id per Angelos, qui erant in sepulchro, sed etiam ostendit Se in Humano suo corpore coram discipulis, dicens illis, cum crediderunt se videre spiritum,, *Videte manus meas & pedes meos, quod Ipse Ego sim: palpate Me & videte. nam Spiritus carnem & ossa non habet, sicut Me videtis habere. Hocque cum dixisset, ostendit illis manus & pedes,,* Luc. XXIV. 39. 40. Joh. XX. 20. Et porro,, *Jesus dixit Thomæ, mitte digitum tuum huc, & vide manus meas; & mitte manum tuam, ac immitte in latus meum, & non esto incredulus sed credulus: tunc dixit Thomas, Domine mi & Deus mi,,* Joh XX. 27. 28 Ut Dominus adhuc confirmaret, quod non spiritus, sed Homo esset, dixit discipulis, *Habetis ne aliquid edulii hic; illi dederunt Ipsi piscis assi partem, & de favo apiario; quæ accipens coram illis comedit,,* Luc. XXIV. 41. 42. 43. Quoniam Corpus Ipsius nunc non materiale, sed substantiale Divinum fuit; *ideo venit ad discipulos januis clausis,,* Joh. XX. 19. 26: & postquam visus est, *Invisibilis factus est,,* Luc. XXIV. 31. Talis nunc Dominus sublatus est, & consedit a dextris Dei; nam dicitur apud Lucam,, *Factum est, cum benediceret Jesus Discipulis, secessit ab illis, & sublatus*

tus est in Cœlum,, XXIV. 51 : & apud Marcum ,, *Postquam loquutus est illis, sublatus est in Cœlum, & consedit a dextris Dei* ,, XVI. 19 ; sedere a dextris Dei, significat Divinam Omnipotentiam.

Quoniam Dominus cum Divino & Humano unito in unum ascendit in Cælum, & consedit a dextris Dei, per quod significatur Divina Omnipotentia, sequitur quod Humana Ipsius Substantia seu Essentia sit sicut Ipsius Divina. Si homo aliter cogitaret, foret sicut cogitaret, quod Divinum Ipsius sublatum esset in Cælum, ac sederet a dextris Dei, & non simul Humanum, quod contra Scripturam est, & quoque contra Doctrinam Christianam, quæ est quod Deus & Homo in Christo sint sicut anima & corpus, quæ separare foret contra sanam rationem. Hæc unitio Patris cum Filio, seu Divini cum Humano, intelligitur etiam in his sequentibus, *Exivi a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*,, Joh. XVI. 28.,, *Abeo & venio ad Illum, qui misit Me*,, Joh. VII. 33. Cap. XVI. 5. 16. Cap. XVII. 11. 13. Cap. XIX. 27. ,, *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius*, Joh. VI. 62.,, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui e cælo descendit*,, Joh. III. 13; quisque homo, qui salvatur, ascendit in cælum, sed non a se; verum a Domino; solus Dominus ascendit a Se.

36. *Quod ita Deus factus sit Homo, ut in primis, etiam in ultimis.* Quod Deus sit Homo, & quod ex Deo omnis Angelus & Spiritus sit homo, in Opere de CÆLO ET INFERNO, aliquibus ostensum est, & ulterius in Opusculis de SAPIENTIA ANGELICA, ostendetur: Sed Deus ab initio fuit Homo in Primis, non autem in Ultimis; at postquam suscepit Humanum in mundo, etiam factus est Homo in Ultimis: hoc sequitur ex supra confirmatis, quod Dominus univerit Humanum suum Divino suo, & sic Humanum suum etiam Divinum fecerit. Ex eo est, quod Dominus dicatur Principium & Finis, Primus & Ultimus, atque Alpha & Omega; hoc in Apocalypsi: *Ego sum Alpha & Omega, Principium & Finis, inquit Dominus, Ille qui Est, & qui Fuit, & qui Venturus est, Omnipotens*,, I. 8. 11., Johannes cum vidit Filium hominis in medio septem candebronum, *Cecedit ad pedes Ipsius sicut mortuus; sed imposuit dextram suam super illum, dicens, Ego sum Primus & Ultimus*,, I 13. 17. Cap. II. 8. Cap. XXI. 6.,, *Ecce venio cito, ut dem unicuique secundum opus ejus: Ego sum Alpha & Omega, Principium & Finis, Primus & Ultimus*,, XXII. 12. 13. Et apud Esaiam,, *Sic dixit Jehovah Rex Israelis, & Redemptor ejus Jehovah Zebaoth, Ego sum Primus & Ultimus*,, XLIV. 6. Cap. XLVIII. 12.

Quod Dominus sit Ipse Deus, a Quo & de Quo Verbum.

37. IN Primo Articulo cæptum est demonstrare, quod universa Scriptura Sacra sit de Domino, & quod Dominus sit Verbum; hic ulterius demonstrabitur ex locis e Verbo, ubi Dominus vocatur Jehovah, Deus Israelis &

& Jacobi, Sanctus Israelis, Dominus & Deus, ut & Rex, Unctus Jehovæ, David. In antecessum memorare licet, quod mihi datum sit omnes Prophetas & Davidis Psalmos percurrere, ac singulos versus lustrare & videre, de quo ibi agitur, & visum est, quod non de aliis rebus agatur, quam de Ecclesia a Domino instaurata & instauranda, de Domini Adventu, Pugnis, Glorificatione, Redemptione & Salvatione, & de Cælo ab Ipso, & simul de oppositis: quia omnia illa sunt Domini opera, patuit, quod universa Scriptura Sacra sit de Domino, & inde quod Dominus sit Verbum. Verum hoc non videri potest, nisi quam ab illis, qui in illustratione sunt a Domino, & qui sensum spiritualem Verbi etiam norunt: omnes Angeli cæli in hoc sensu sunt, quare illi, cum legitur Verbum ab homine, non aliud comprehendunt; sunt enim Spiritus & Angeli apud hominem jugiter, & illi, quia spirituales sunt, spiritualiter omnia intelligunt, quæ homo naturaliter. Quod tota Scriptura sacra sit de Domino, solum in obscuro & sicut per transennam videri potest ex illis, quæ supra in Articulo Primo a n. 1 ad 6 ex Verbo adducta sunt, & nunc ex his quæ adducentur de Domino, quod toties dicatur Dominus & Deus; ex quo potest elucere, quod Ipse sit qui loquutus est per Prophetas, apud quos ubivis dicitur, LOQUUTUS EST JEHOVAH, DIXIT JEHOVAH, & DICTUM JEHOVÆ *Quod Dominus ante adventum suum in mundum fuerit*, patet ab his,, Johannes Baptista dixit de Domino, Ille est, qui post me venturus est, qui ante me fuit, cujus ego non sum dignus, ut solvam Ipsius corrigiam calcei. Hic est, de Quo ego dixi, qui post me venit, qui ante me fuit, & qui prior me fuit,, Joh. I. 27. 30. in Apocalypsi,, Ceciderunt coram throno, super quo erat Dominus, dicentes, gratias agimus Tibi, Domine Deus, Omnipotens, Qui es, & Qui eras, & Qui venturus es,, XI. 16. 17. tum apud Micham,, Tu Bethlechem Ephrathæa, parum est ut sis inter millenas Jehudæ; ex te Mihi exibit, qui erit Dominator in Israele, & Cujus exitus ab antiquo, a diebus æternitatis,, V. 1. præter a Domini verbis apud Evangelistas, quod ante Abrahamum fuerit, quod gloriam apud Patrem habuerit ante mundi fundationem, quod exiverit ex Patre, & quod a principio fuerit Verbum apud Deum, & quod Deus esset Verbum, & quod hoc Caro factum sit. Quod Dominus dicatur Jehovah, Deus Israelis & Jacobi, Sanctus Israelis, Deus & Dominus, tum Rex, Unctus Jehovæ, David, constare potest ex his sequentibus.

38. *Quod Dominus dicatur Jehovah, patet ex his*: ,, Dixit JEHOVAH Creator tuus Jacob; & Formator tuus Israel, nam REDEMI te. Ego JEHOVAH Deus tuus Sanctus Israelis SALVATOR tuus,, Esaj. XLIII 1. 3.,, Ego JEHOVAH Sanctus, Creator Israelis Sanctus vester, & FOMATOR ejus,, Esaj. XLV. 11. 15.,, Ut sciat omnis caro, quod EGO JEHOVAH SALVATOR tuus, & REDEMPTOR tuus Fortis Jacobi ,, Esaj. XLIX. 26.,, Ut scias, quod Ego JEHOVAH SALVATOR tuus, & REDEMPTOR tuus Potens Jacobi,, Esaj. LX. 16.,, JEHOVAH FORMATOR tuus ab utero,, Esaj. XLIX. 5.,, JEHOVAH Petra mea, & REDEMPTOR meus,, Psalm. XIX. 15.,, Dixit JEHOVAH Factor tuus, & FORMATOR ab utero. Sic dixit JEHOVAH Rex Israelis, & REDEMPTOR ejus JEHOVAH ZEBAOTH ,, Esaj. XLIV. 2. 6.,, Quod ad REDEMPTOREM nostrum, JEHOVAH ZEBAOTH NOMEN

Ipsius, Sanctus Israelis,, Esaj. XLVII. 4.,, Cum misericordia æternitatis miserebor, sic dixit Redemptor tuus Jehovah,, Esaj. LIV. 8.,, Redemptor eorum fortis Jehovah nomen Ipsius,, Jerem. L. 34.,, Jehovah Deus, Petra mea, propugnaculum meum, cornu salutis meæ, Salvator meus,, II. Sam. XXII. 2. 3.,, Dixit Jehovah Redemptor vester Sanctus Israelis,, Esaj. XLIII. 14. Cap. XLVIII. 17.,, Sic dixit Jehovah Redemptor Israelis Sanctus Ipsius, Reges videbunt., Esaj. XLIX. 7.,, Ego Jehovah, & præter Me non Salvator,, Esaj. XLIII. 11. Nonne Ego Jehovah, & non amplius præter Me, & Salvator non est præter Me; respicite ad Me, ut salvemini omnes fines terræ,, Esaj. XLV. 21. 22.,, Ego Jehovah Deus tuus, & Salvator non præter Me,, Hosch. XIII. 4.,, Redemeras me Jehovah veritatis,, Psalm. XXXI. 6.,, Speret Israel in Jehovah, quia cum Jehovah misericordia, plurima cum Ipso Redemptio; Ille Redimet Israelem ab omnibus iniquitatibus ejus,, Psalm. CXXX. 7 8.,, Jehovah Zebaoth nomen Ipsius, & Redemptor tuus Sanctus Israelis; Deus totius terræ vocabitur,, Esaj. LIV. 51. In his locis vocatur Jehovah Redemptor & Salvator; & quia solus Dominus est Redemptor & Salvator, est Ipse qui per Jehovam intelligitur. Quod Dominus sit Jehovah, hoc est, quod Jehovah sit Dominus, etiam patet ex his,, Virga de trunco Jishaji, & surculus e radicibus ejus, fructum feret; quiescet super Illo Spiritus Jehovæ,. Esaj. XI. 1. 2.,, Dicetur in die illo, ecce Deus noster Hic, quem exspectavimus ut liberet nos, Jehovah quem exspectavimus, exultemus & lætemur in Salute Ipsius,, Esaj. XXV. 9.,, Vox clamantis in deserto, parate viam Jehovæ, complanate in solitudine semitam Deo nostro. Revelabitur enim gloria Jehovæ, & videbunt omnis caro. Ecce Dominus Jehovih in forti venit, & brachium Ipsius dominabitur Ipsi., Esaj. XL. 3. 5. 10.,, Ego Jehovah, dabo Te in fædus populo, in lucem gentium: Ego Jehovah hoc Nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo,, Esaj. XLII. 6. 7. 8.,, Ecce dies, quum suscitabo Davidi germen justum, qui regnabit Rex, & prosperabitur, & faciet judicium & justitiam in terra; & hoc Nomen Ipsius quod vocabunt Ipsum, Jehovah Justitia nostra,, Jerem. XXIII. 5. 6. Cap. XXXIII. 15. 16.,, Tu Bethlechem Ephratæa, ex te Mihi exibit, qui sit Dominator in Israele; stabit & pascet in robore Jehovæ,, Mich. V. 1. 3.,, Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super cujus humero principatus, & vocabitur Nomen Ipsius, Deus, Heros, Pater æternitatis: super throno Davidis, ad stabiliendum & fundandum illud in Judicio & Justitia, a nunc & usque in æternum,, Esaj. IX. 5. 6.,, Jehovah exibit, & pugnabit contra gentes; & stabunt pedes Ipsius super Monte olivarum ante facies Hierosolymæ,, Sach. XIV. 3. 4.,, Attollite portæ capita vestra, & extollimini ostia mundi, ut ingrediatur Rex gloriæ: quis Hic Rex gloriæ, Jehovah fortis & Heros, Jehovah Heros belli,, Psalm. XXIV. 7 ad 10.,, In die illo erit Jehovah Zebaoth in coronam ornatus, & in cidarim decoris reliquiis populi sui,, Esaj. XXVIII. 5.,, Ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam venit dies Jehovæ magnus,, Malach. III. 23. præter alibi, ubi dicitur dies Jehovæ magnus & propinquus, ut Ezech. XXX. 12. Joel II. 11. Amos V. 18. 20. Zephan. I. 7. 14 15. 18.

39.

39. *Quod Dominus dicatur Deus Israelis & Deus Jacobi; patet ex his;* „ Sumsit Moses sangvinem, & sparsit super populum, & dixit, ecce sanguis fœderis, quod pepigit Jehovah vobiscum: & viderunt DEUM ISRAELIS, sub cujus pedibus erat quasi opus lapidis Sapphiri, & quasi substantia Cæli „ Exod. XXIV. 8. 9. 10. „ Turbæ miratæ sunt, cum viderunt mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes, & glorificabant DEUM ISRAELIS „ Matth. XV. 31. „ Benedictus DOMINUS DEUS ISRAELIS, quia visitavit, & fecit liberationem populo suo Israeli, cum erexit cornu salutis nostræ in domo Davidis „ Luc. I. 68. 69 „ Dabo Tibi thesauros tenebrarum, & occultas opes latibulorum, ut cognoscas quod Ego Jehovah, qui vocavi Nomine tuo DEUS ISRAELIS „ Esaj. XLV. 3. „ Domus Jacobi, qui jurant in Nomen Jehovæ & Dei Israelis: nam ab urbe sanctitatis vocantur, & super DEO ISRAELIS nituntur, Jehovah Zebaoth nomen Ipsius „ Esaj. XLVIII. 1. 2. „ Jacob videbit natos suos, in medio ejus sanctificabunt Nomen meum, & sanctificabunt Sanctum Jacobi, DEUMQUE ISRAELIS timebunt „ Esaj. XXIX. 23. „ In extremitate dierum ibunt populi multi & dicent, ite & ascendamus ad montem Jehovæ; ad domum DEI JACOBI, qui docebit nos de viis suis, ut eamus in semitis Ipsius „ Esaj II. 3. Mich. IV. 2. „ Ut sciat omnis caro, quod Ego Jehovah Salvator tuus, & REDEMTOR tuus FORTIS JACOBI „ Esaj. XLIX. 26. „ Ego Jehovah Salvator tuus, & Redemtor tuus POTENS JACOBI „ Esaj. LX. 16. „ A coram Domino parturis terra, a coram DEO JACOBI „ Psalm. CXIV. 7. „ David juravit Jehovæ, vovit FORTI JACOBI, si intravero intra tentorium domus meæ, usque dum invenero locum Jehovæ, habitacula FORTI JACOBI; audivimus de Eo in Ephrata (:Bethlechem:) „ Psalm. CXXXII 2. 3. 5. 6. „ Benedictus DEUS ISRAELIS, implebitur gloria Ipsius omnis terra „ Psalm LXXII. 19. 20. Præter alibi, ubi Dominus vocatur Deus Israelis Redemptor & Salvator, ut Luc. I 47. Esaj. XLV. 15. Cap. LIV. 5. Psalm. LXXVIII. 31. Ac multis aliis in locis, ubi solum Deus Israelis, ut ESAJ. XVII. 6. Cap. XXI. 10. 17 Cap XXIV. 15. Cap. XIX. 23. JEREM. VII. 3. Cap. IX. 14. Cap. XI. 3. Cap. XIII. 12. Cap. XVI. 9. Cap. XIX. 3. 15. Cap. XXIII. 2. Cap. XXIV. 5. Cap. XXV. 15. 27. Cap. XXIX. 4. 8. 21. 25. Cap. XXX. 2. Cap XXXI. 23. Cap. XXXII. 14. 15. 36. Cap. XXXIII. 4. Cap. XXXIV. 2. 13. Cap. XXXV. 13. 17. 18. 19. Cap. XXXVII. 7. Cap. XXXVIII. 17. Cap. XXXIX. 16. Cap. XLII. 9. 15. 18. Cap. XLIII. 10. Cap. XLIV. 2. 7. 11. 25. Cap. XLVIII. 1. Cap. L. 18. Cap. LI. 33. EZECHIEL, VIII. 4. Cap. IX. 3. Cap. X. 19. 20. Cap. XI. 22. Cap. XLIII. 2. Cap. XLIV. 2. ZEPHAN. II. 9. PSALM. XLI. 14. Psalm. LIX. 6. Psalm. LXVIII. 9.

40. *Quod Dominus dicatur Sanctus Israelis, patet ab his,* „ Angelus dixit ad Mariam, SANCTUM quod nascetur ex te, vocabitur Filius Dei „ Luc I. 35. „ Videns fui in visionibus, ecce Vigil & SANCTUS e Cælo descendens „ Dan. IV. 10. 20. „ Deus a Themane veniet, & SANCTUS a monte Paran „ Habak. III. 3. „ Ego Jehovah SANCTUS, Creator Israelis SANCTUS VESTER, & Formator ejus „ Esaj. XLIV. 11. 15. „ Sic dixit Jehovah Redemptor Israelis SANCTUS Ipsius „ Esaj. XLIX. 7. Ego Jehovah Deus tuus, SANCTUS ISRAELIS Salvator

 tuus,

tuus „ Esaj. XLIII. 1. 3.„ Quod ad Redemptorem nostrum, Jehovah Zebaoth nomen Ipsius SANCTUS ISRAELIS „ Esaj. XLVII. 4.„ Dixit Jehovah Redemptor vester SANCTUS ISRAELIS„ Esaj. XLIII. 14. Cap. XLVIII. 17.„ Jehovah Zebaoth nomen Ipsius, & Redemptor tuus SANCTUS ISRAELIS„ Esaj. LIV. 5.„ Tentarunt Deum, & SANCTUM ISRAELIS„ Psalm. LXXVIII. 41.„ Dereliquerunt Jehovam, & provocarunt SANCTUM ISRAELIS„ Esaj. I. 4.„ Dixerunt, cessare facite a faciebus nostris SANCTUM ISRAELIS: propterea sic dixit SANCTUS ISRAELIS„ Esaj. XXX. 11. 12.„ Qui dicunt, properet opus Ipsius ut videamus, & appropinquet & veniat consilium SANCTI ISRAELIS „ Esaj. V. 19.„ In die illo innitentur Jehovæ, SANCTO ISRAELIS in veritate„ Esaj. X. 20.„ Exclama & jubila filia Sionis, quia magnus in medio tui SANCTUS ISRAELIS„ XII. 6.„ Dictum Dei Israelis, in die illo respiciet homo ad Factorem suum, & oculi ejus ad SANCTUM ISRAELIS spectabunt„ Esaj. XVII. 7.„ Addent mansveti in Jehovah gaudium, & egeni hominum in SANCTO ISRAELIS exultabunt„ Esaj. XXIX. 19. Cap. XLI. 16.„ Gentes ad te current propter Jehovam Deum tuum, & propter SANCTUM ISRAELIS„ Esaj. LV. 5.„ Mihi insulæ confident, ad adducendum filios tuos e longinquo Nomini Jehovæ Zebaoth, & SANCTO ISRAELIS„ Esaj. LX. 9.„ Terra plena est reatu contra SANCTUM ISRAELIS„ Jerem. L. 29. & pluries alibi. Per Sanctum Israelis intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum; nam Angelus Gabriel ad Mariam dixit„ SANCTUM, *quod nascetur ex te, vocabitur Filius Dei*„ Luc. I. 35. Quod Jehovah & Sanctus Israelis unum sint, tametsi destincte nominantur, constare potest a locis etiam hic allatis, in quibus dicitur, quod Jehovah sit Ille Sanctus Israelis.

41. *Quod Dominus dicatur Dominus & Deus*, patet a tam multis locis, ut si afferrentur, paginas implerent; hæc pauca sufficiant; apud Johannem „ Quando Thomas ex mandato Domini vidit manus Ipsius, & tetigit latus Ipsius, dixit, DOMINE MI ET DEUS MI„ XX. 27. 28. Apud Davidem„ Recordati sunt, quod DEUS esset Petra eorum, & DEUS EXCELSUS REDEMPTOR eorum „ Psalm. LXXVIII. 35. Et apud Esajam„ Jehovah Zebaoth nomen Ipsius, & REDEMPTOR tuus Sanctus Israelis; DEUS TOTIUS TERRÆ VOCABITUR„ LIV. 5. Hoc quoque patet ex eo, quod adoraverint Ipsum, & ceciderint super facies suas coram Ipso, Matth. IX. 19. Cap. XIV. 33. Cap. XV. 25. Cap. XXVIII. 9. Marc. I. 40. Cap. V. 22. Cap. VII. 25. Cap. X. 17. Luc. XVII. 15. 16. Joh. X. 17. Et apud Davidem„ Audivimus de Illo in Ephrata, intremus in Habitacula Illius, & *incurvemus nos Scabello pedum Illius*„ Psalm. CXXXII. 6. 7. Similiter in Cælo, de quo in Apocalypsi„ Fui in spiritu, & ecce Thronus positus in cælo, & super Throno sedens similis lapidi Jaspidi & Sardino, & Iris circa Thronum similis aspectu Smaragdino: & CECIDERUNT viginti & quatuor Seniores ante Sedentem super Throno, & *Adorabant Viventem in sæcula sæculorum, & projecerunt coronas suas ante Thronum*„ IV. 2. 3. 10. Et alibi„ Vidi in dextra Sedentis super Throno Librum scriptum intus & a tergo, obsignatum septem sigillis, & nemo potuit illum aperire. Tunc dixit unus ex Senioribus, ecce vicit Leo, qui est ex Tribu Jehudæ, radix Davidis, ut aperiat Librum, & solvat septem sigilla ejus: & vidi in medio Throni Agnus stans, hic venit & sum-

ſumſit Librum, & *ceciderunt coram Agno*, & *adorarunt Viventem in ſæcula ſæculorum*,, V. 1. 5. 6. 7. 14.

42. *Quod Dominus dicatur Rex & Unctus*, eſt quia erat Meſſias ſeu Chriſtus, ac Meſſias ſeu Chriſtus, ſignificat Regem & Unctum, inde eſt quod Dominus etiam per Regem in Verbo intelligatur: *Similiter per Davidem*, qui erat Rex ſuper Jehudam & ſuper Iſraelem. Quod Dominus Rex & Unctus Jehovæ dicatur, patet a multis locis in Verbo: ideo dicitur in Apocalypſi,, Agnus vincet eos, quia eſt DOMINUS DOMINORUM, ET REX REGUM, XVII. 14. Et alibi,, Sedens ſuper Equo albo habebat ſuper veſtimento ſuo Nomen ſcriptum, REX REGUM ET DOMINUS DOMINORUM,, XIX. 16. Ex eo, quod Dominus dicatur Rex, eſt, quod Cælum & Eccleſia dicantur REGNUM IPSIUS; & quod adventus Ipſius in mundum dicatur EVANGELIUM REGNI. *Quod Cælum & Eccleſia dicantur Regnum Ipſius*, videatur Matth. XII. 28. Cap. XVI. 28. Marc. I. 14. 15. Cap. IX. 1. Cap. XV. 43. Luc. I. 33. Cap. IV. 43. Cap. VIII. 1. 10. Cap. IX. 2. 11. 60. Cap. X. 11. Cap. XVI. 26. Cap. XIX. 11. Cap. XXI. 31. Cap. XXII. 18. Cap. XXIII. 51: & apud Danielem,, Surgere faciet Deus REGNUM, quod in ſæcula non peribit: conteret & conſumet omnia alia Regna, Illud autem ſtabit in ſæcula,, II. 44. Apud Eundem,, Videns fui in viſionibus noctis, & ecce cum nubibus cælorum ſicut Filius hominis veniens fuit. Et Huic datum eſt DOMINIUM, & gloria & REGNUM, ut omnes populi gentes & linguæ Ipſum colent; DOMINIUM Ipſius DOMINIUM ſæculi, & REGNUM Ipſius quod non peribit,, VII. 13. 14. 27. *Quod adventus Ipſius dicatur Evangelium Regni*, videatur Matth. IV. 23. Cap. IX. 35. Cap. XXIV. 14.

43. *Quod Dominus dicatur David, patet ex his*;,, In die illo ſervient Jehovæ Deo ſuo, & Davidi Regi ſuo, quem excitabo eis,, Jerem. XXX. 9,, Dein revertentur filii Iſraelis, & quærent Jehovam Deum ſuum,, & Davidem Regem ſuum, & cum timore venient ad Jehovam, & ad bonum Ipſius, in extremitate dierum,, Hoſch. III. 5.,, Excitabo ſuper illis Paſtorem unum, qui paſcet eos, ſervum meum Davidem, hic paſcet eos, & hic erit illis in Paſtorem: & Ego Jehovah ero illis in Deum, & David princeps in medio eorum,, Ezech. XXXIV. 23. 24. 25.,, Ut ſint Mihi in populum, & Ego ſim illis in Deum, ſervus meus David Rex ſuper illos, ut Paſtor unus ſit omnibus illis: tunc habitabunt ſuper terra, illi & filii illorum ac filii filiorum illorum, uſque in æternum: & David Princeps illis in æternum; & pangam fœdus pacis, & fædus æternitatis erit cum illis,, Ezech. XXXVII. 23 ad 26.,, Pangam vobis fœdus æternitatis, miſericordias Davidis firmas: en Teſtem populis dedi Ipſum, Principem & Legiſlatorem gentibus,, Eſaj. LV. 3. 4.,, In die illo erigam tentorium Davidis collapſum, & obſepiam rupturas ejus, deſtructa ejus reſtituam, & ædificabo eam juxta dies æternitatis,, Amos. IX. 11.,, Domus Davidis ſicut Deus, ſicut Angelus Jehovæ coram illis,, Sach. XII. 8.,, In die illo erit fons apertus domui Davidis,, Sach. XIII. 1.

44. Qui novit, quod Dominus per Davidem intelligatur, ille ſcire poteſt, cur David in ſuis Pſalmis toties de Domino ſcripſit, cum de ſemet, ut in Pſalmo LXXXIX; ubi hæc,, Pepigi fœdus Electo meo, juravi Davidi ſervo meo;

„ in æternum usque firmabo semen tuum, & ædificabo in generationem & ge-
„ nerationem thronum tuum, & confitebuntur Cæli mirabile tuum, etiam veri-
„ tatem in congregatione sanctorum. Tunc loquutus es in visione Sancto tuo,
„ & dixisti, posui auxilium super Potentem; exaltavi Electum e populo: in-
„ veni Davidem servum meum, oleo sanctitatis meæ unxi Eum: cum quo ma-
„ nus mea firma erit: etiam brachium meum corroborabit Eum: veritas mea
„ & misericordia mea cum Eo, & in Nomine meo exaltabitur cornu Ejus: &
„ ponam in mari manum Ejus, & in fluviis dextram Ejus: Ille vocabit Me,
„ Pater meus Tu, Deus meus & Petra salutis meæ: etiam Ego Primogeni-
„ tum dabo Eum, altum regibus terræ: fœdus meum stabile Illi: ponam in
„ æternum semen Ejus; & Thronum Ejus sicut dies cælorum. Semel juravi
„ per Sanctitatem meam, si Davidi mentiar; semen Ejus in æternum erit, &
„ Thronus Ejus sicut Sol coram Me, sicut Luna firmus erit in æternum, &
„ Testis in nubibus fidelis„ Vers. 4. 5. 6. 20. 21. 22. 25. 26. 27. 28. 29. 30.
„ 36. 37. 38. similiter in aliis Psalmis, ut Psalm. XLV. 2 ad 18. Psalm. CXXII.
4. 5. Psalm. CXXXII. 8 ad 18.

Quod Deus unus sit; & quod Dominus sit Ille Deus.

45. Ex illis quæ in mox præcedente Articulo in aliqua copia ex Verbo allata sunt, constare potest quod Dominus dicatur Jehovah, Deus Israelis & Jacobi, Sanctus Israelis, Dominus & Deus, tum Rex, Unctus & David; ex quibus videri potest, sed adhuc sicut per transennam, quod Dominus sit Ipse Deus, a Quo & de Quo Verbum. Verumtamen notum est in universo terrarum orbe, quod Deus unus sit, nec ullus homo, cui sana ratio est, id negat, superest itaque nunc ut id ex Verbo confirmetur, & insuper, quod Dominus sit ille Deus. I. *Quod Deus unus sit, confirmatur ex his Verbi*„ Jesus dixit, primarium omnium præceptorum est, audi Israel, DOMINUS DEUS NOSTER, DOMINUS UNUS EST; ideo amabis Dominum Deum tuum ex toto corde & ex tota anima„ Marc. XII. 29. 30.„ Audi Israel, JEHOVAH DEUS NOSTER JEHOVAH UNUS, amabis Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua„ Deutr. V. 4. 5.„ Unus accedens ad Jesum dixit, Magister bone, quid boni facere debeo, ut habeam vitam æternam: Jesus dixit ei, cur Me dicis Bonum, NEMO BONUS EST NISI UNUS DEUS„ Matth. XIX. 16. 17.„ Ut cognoscant omnia Regna terræ, quod TU JEHOVAH SOLUS„ Esaj. XXXVI. 20.„ EGO JEHOVAH ET NON PRÆTEREA; PRÆTER ME NON DEUS: ut cognoscant ab ortu solis & ab occasu, quod NON DEUS PRÆTER ME: EGO JEHOVAH ET NON PRÆTEREA„ Esaj. XLV. 5. 6.„ Jehovah Zebaoth Deus Israelis habitans Cherubis, TU DEUS ES SOLUS super omnia Regna terræ„ Esaj. XXXVII. 21.„ Num est Deus præter Me, & Petra, non novi„ Esaj. XLIV. 8.„ Quis Deus præter Jehovam, & quæ Petra, nisi Deus noster„ Psalm. XVIII. 32.

II. *Quod*

II. *Quod Dominus sit Ille Deus, confirmatur ex his Verbi*: „ Tantummodo inter te Deus, ET NON PRÆTEREA, NON DEUS: profecto, Tu Deus occultus, Deus Israelis SALVATOR,„ Esaj. XLV. 14. 15.„ Nonne Ego Jehovah, & NON AMPLIUS DEUS PRÆTER ME; Deus justus & SALVATOR NON PRÆTER ME. Respicite ad Me, ut SALVEMINI omnes fines terræ, quia EGO DEUS ET NON PRÆTEREA„ Esaj. XLV. 21. 22.„ Ego Jehovah, & PRÆTER ME NON SALVATOR,„ Esaj. XLIII. 11. „ Ego Jehovah Deus tuus, & Deum præter Me non agnosces, & SALVATOR NON PRÆTER ME„ Hosch. XIII. 4.„ Sic dixit Jehovah Rex Israelis, & REDEMPTOR ejus Jehovah Zebaoth, Ego Primus & Ultimus, & PRÆTER ME NON DEUS„ Esaj. XLIV. 6.„ Jehovah Zebaoth nomen Ipsius, & REDEMPTOR Sanctus Israelis, Deus totius terræ vocabitur„ Esaj. LIV. 5.„ In die illo erit Jehovah in Regem super totam terram; in die illo erit Jehovah Unus, & Nomen Ipsius Unum„ Sach. XIV. 9. Quia solus Dominus est Salvator & Redemptor, & quia dicitur quod Jehovah sit Ille, & non præter Ipsum, sequitur quod Deus unus non alius sit quam Dominus.

Quod Spiritus Sanctus sit Divinum Procedens a Domino, & quod Illud sit Ipse Dominus.

46. Dixit Jesus apud Matthæum„ *Data est Mihi omnis potestas in Cælo & in Terra: euntes ergo discipulos facite omnes gentes, baptizantes eos in Nomen Patris, & Filii & Spiritus Sancti; docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis: & ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*„ XXVIII. 18. 19. 20. Antehac ostensum est, quod Divinum, quod Pater vocatur & Divinum quod Filius, in Domino sint unum; ostendetur itaque nunc, quod Spiritus Sanctus sit idem cum Domino. Quod Dominus dixerit, quod baptizarent in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti, est quia Trinum seu Trinitas est in Domino, est enim Divinum quod Pater vocatur, est Divinum Humanum quod Filius, & Divinum Procedens quod Spiritus Sanctus: Divinum quod Pater & Divinum quod Filius, est Divinum ex Quo, ac Divinum Procedens quod Spiritus Sanctus, est Divinum per Quod. Quod non aliud Divinum sit quod procedit a Domino, quam Divinum quod Est Ipse, in Opusculis de DIVINA PROVIDENTIA, OMNIPOTENTIA, OMNIPRÆSENTIA & OMNISCIENTIA, videbitur, est enim altioris indaginis. Quod Trinum sit in Domino, illustrari potest per comparationem cum Angelo; huic est anima & corpus, & quoque procedens, quod procedit ex illo, est ipse extra illum: de hoc Procedente datum est scire multa, sed non hujus loci est, illa adducere. Quisque homo qui spectat ad Deum, post mortem ab angelis primum docetur, quod Spiritus Sanctus non alius sit a Domino, & quod Exire & Procedere non aliud sit, quam illustrare & docere per Præsentiam, quæ est secundum receptionem Domini; unde plerique post mortem exuunt ideam in mundo conceptam de Spiritu Sancto, & recipiunt ideam quod sit Domini præsentia apud hominem per Angelos & Spiritus, ex

qua

qua & secundum quam homo illustratur & docetur. Præterea solenne est in Verbo, nominare duo Divina, & quandoque tria, quæ tamen unum sunt, ut Jehovah & Deus, Jehovah & Sanctus Israelis, Jehovah & Potens Jacobi, tum Deus & Agnus; quæ quia unum sunt, etiam in aliis locis dicitur, Jehovah solus est Deus, Jehovah solus est Sanctus, & Ille Sanctus Israelis, & non præter Ipsum; tum quod pro Deo nunc dicatur Agnus, & pro Agno Deus, hoc in Apocalypsi, illud in Prophetis. Quod sit Dominus solus, qui intelligitur per Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, Matth. XXVIII. 19, patet a præcedentibns & sequentibus ibi: in præcedente Versu dicit Dominus, *data est Mihi omnis potestas in Cælo & in Terra*; & in sequente Versu dicit Dominus, *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, ita de se Solo: quare illud dixit, ut scirent quod in Ipso sit Trinitas.

Ut sciatur, quod Spiritus Sanctus non sit aliud Divinum quam Ipse Dominus, ostendetur quid in Verbo intelligitur per Spiritum. Per Spiritum intelligitur I. Vita hominis in communi II Quia Vita hominis est varia secundum status ejus, ideo per Spiritum intelligitur varia affectio vitæ apud hominem III. Tum Vita regenerati, quæ vocatur Vita spiritualis. IV. Ubi autem dicitur Spiritus de Domino, intelligitur Divina Ipsius Vita, ita Ipse Dominus. V. In specie Vita Sapientiæ Ipsius, quæ vocatur Divina Veritas. VI Quod Ipse Jehovah, hoc est, Dominus loquutus sit Verbum per Prophetas.

47. *Quod per Spiritum intelligatur Vita hominis*, constare potest ex communi loquela, quod homo dicatur emittere spiritum, cum moritur; quare per spiritum in hoc sensu intelligitur Vita respirationis; trahit etiam vox Spiritus derivationem suam a Respiratione; inde est, quod in Lingua Hebræa una vox sit spiritus & venti. Sunt bini fontes vitæ apud hominem, unus est motus cordis & alter est respiratio pulmonis; vita ex respiratione pulmonis est, quæ proprie intelligitur per spiritum, & quoque per animam; quæ quod unum agat cum cogitatione hominis ex intellectu, at quod vita ex motu cordis unum agat cum amore voluntatis hominis, in suo loco videbitur. Quod vita hominis per spiritum in Verbo intelligatur, constat ex his; ,, Colligis *spiritum* eorum, exspirant, & in pulverem revertuntnr,, Psalm. CIV. 29.,, Recordatus, quod caro illi, *spiritus* qui abiret, non reverteretur,, Psalm. LXXXVIII. 39.,, Cum exiverit *spiritus* ejus, redibit in terram,, Psalm. CXLVI. 4.,, Hiskias lamentatus est, quod exiret *vita spiritus* ejus,, Esaj. XXXVIII. 16.,, Revixit *spiritus Jacobi*,, Gen. XLV. 28.,, Fusile mendacium est, nec *spiritus* in eo,, Jerem. LI. 17.,, Dixit Dominus Jehovih ossibus aridis, Ego adducam SPIRITUM in vos, ut vivatis. A quatuor *ventis veni spiritus, & inspira in occisos hos*, & vivant: & venit in eos *spiritus*, & revixerunt,, Ezech. XXXVII. 5. 6 9. 10 ,, Jesus apprehendens manum filiæ, & reversus est *spiritus* ejus, & surrexit extemplo, Luc. VIII. 54. 55.

48. *Quia vita hominis est varia secundum status ejus, quod ideo per spiritum intelligatur varia affectio vitæ apud hominem*, ut I. VITA SAPIENTIÆ: ,, Bezaleel impletus *spiritu sapientiæ*, intelligentiæ & scientiæ,, Exod. XXXI. 3.,, Tu loqueris ad omnes Sapientes corde, quemcunque implevi *spiritu sapientiæ*,, Exod. XXVIII.

XXVIII: 3. „ Impletus eſt Joſchua *Spiritu Sapientiæ* „ Deutr. XXXIV: 9. „ Nebuchadnezar de Daniele, quod *Spiritus excellens*, ſcientiæ, intelligentiæ & *ſapientiæ* eſſet in eo „ Dan. IV: 5., Scient errantes *Spiritu* intelligentiam „ Eſaj. XXIX: 24. II. VITÆ EXCITATIO. „ *Excitavit* Jehovah *Spiritum* regum Mediæ, Jerem: LI. 11. „ *Excitavit* Jehovah *Spiritum* Serubabelis, & *Spiritum* omnium reliquiarum populi, Hagg. I: 14. „ *Do in regem Aſchuris Spiritum*, ut audiat famam, & revertatur in terram ſuam „ Eſaj. XXXVII: 7. „ *Aggravavit* Jehovah *Spiritum* Sichonis regis „ Deutr. II: 30., Quod *aſcendit ſuper Spiritum* veſtrum, non fiet unquam, Ezech. XX: 32. III: VITÆ LIBERTAS: quatuor animalia, quæ erant Cherubi, viſa Prophetæ, quorſum erat *Spiritus* ad eundum, ibant „ Ezech. I: 12. 20. IV. VITA IN TIMORE, DOLORE ET IRA: „ Ut liqueſcat omne cor, & remittantur omnes manus, & *contrahatur omnis Spiritus* „ Ezech. XXI: 12. „ *Defecit* ſuper me *Spiritus* meus, in medio mei obſtupeſcit cor meum, Pſalm CXLII: 4. Pſalm CXLVII: 4. „ *Conſumtus eſt Spiritus* meus, Pſalm CXLIII: 7. „ *Indoluit Spiritus* meus, quod me Danielem attinet „ Dan. VII: 15. „ Spiritus Pharaonis turbatus eſt „ Gen. XLI: 8. Nebucadnezar dixit, *turbatus eſt Spiritus meus* „ Dan. II: 3. „ Jvi triſtis *in excandeſcentia Spiritus* mei „ Ezech. III: 14. V. VITA VARIARUM AFFECTIONUM MALORUM:, Modo non *in Spiritu ejus dolus* „ Pſalm XXXII: 2., Jehovah commiſcuit in medio ejus *Spiritum perverſitatum* „ Eſaj. XIX: 14. „ Dixit Prophetis *ſtultis*, qui abeunt poſt *Spiritum* ſuum, Ezech. XIII: 3. „ Stultus propheta, *inſanus vir Spiritus* „ Hoſeh. IX: 7. „ Obſervate vos per *Spiritum veſtrum*, nec agite perfide „ Malach II: 16. „ *Spiritus ſcortationum* ſeduxit „ Sach. IV: 12. *Spiritus ſcortationum* in medio illorum „ Hoſch. V. 4. „ Cum tranſivit ſuper illum *Spiritus Zelotypiæ* „ Num. V. 14. „ Vir qui *vagabundus Spiritu*, & mendacium effutit „ Mich. II: 11. „ Generatio, cujus *non conſtans cum Deo Spiritus*, Pſalm LXXVIII: 8. „ Effuſus ſuper illos *Spiritus ſomnolentiæ* „ Eſaj. XIXX. 10. „ Concipite quisquilias, parite ſtipulam, *quod ad Spirtum veſtrum*, ignis comedet vos „ Eſaj. XXXIII. 11. VI. VITA INFERNALIS: „ *Spiritum immundum* tranſire faciam e terra „ Sach. XIII. 2. „ Quando *Spiritus immundus* exit ab homine, perambulat loca arentia, & poſtea adjungit ſibi ſeptem *Spiritus pejores* ſe, & ingreſſi habitant ibi „ Matth. XII. 43. 44. 45. „ Babylon facta eſt cuſtodia *Spiritus immundi* „ Apoc. XVIII. 2. VII. Præter ipſos Spiritus infernales, a quibus homines vexati ſunt, Matth. VIII. 16 Cap. X. 1. Cap. XII. 43. 44. 45. Marc. I. 23. ad 29. Cap. IX. 17 ad 29. Luc. IV. 33. 36. Cap. VI. 17. 18. Cap. VII. 21. Cap. VIII. 2. 29. Cap. IX. 39. 42. 55. Cap. X. 24. 25. 26. Cap. XIII. 11. Apoc. XIII. 15. Cap. XVI. 13. 14

49. *Quod per Spiritum intelligatur vita Regenerati, quæ vocatur vita Spiritualis.* „ Jeſus dixit, niſi quis generatus fuerit ex aqua & *Spiritu*, non poteſt ingredi in Regnum Dei „ Joh. III, 5. „ Dabo vobis cor novum, & *Spiritum novum. Spiritum meum* dabo in medio veſtri, & faciam ut in ſtatutis meis ambuletis „ Ezech. XXXVI. 26. 27. „ Dare novum cor & *novum Spiritum* „ Ezech. XI. 19. Cor mundum crea in me Deus, & *Spiritum firmum* innova in medio mei. Reduc mihi gaudium ſalutis tuæ; & *Spiritus ſpontaneus* ſuſtentet me „ Pſalm. LI.

 12.

12. 13. 14. „ Facite vobis cor novum, & *Spiritum* novum, quare moriemini domus Israelis „ Ezech. XVIII. 31. „ Emittis *Spiritum* tuum, creantur, & renovas facies terræ „ Psalm. CIV. 30. „ Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in *Spiritu* & veritate „ Joh. IV. 23 „ Jehovah Deus dat animam populo, & *Spiritum* ambulantibus in ea „ Esaj. XLII. 5. „ Jehovah format *Spiritum hominis* in medio ejus „ Sach. XII. 1. „ Anima mea exspectavi Te nocte, *Spiritu meo* in medio mei exspectavi Te mane „ Esaj. XXXVI. 9. „ In die illo erit Jehovah in *Spiritum judicii* sedenti in judicio „ Esaj. XXVIII. 6. „ Exultavit *Spiritus meus* super Deo Salvatore meo, Luc. I. 17. „ Quiescere fecerunt *Spiritum meum* in terra septentrionis „ Sach. VI. 8. „ In manum tuam commendo *Spiritum meum*, redemeras me, Psalm XXXI. 6. „ Non fuit unus, & reliqui quibus *Spiritus* „ Malach. II. 15. „ Post tres dies & dimidium *Spiritus vitæ* a Deo intravit in binos testes occisos a bestia „ Apoc. XI. 11. „ Ego Jehovah formator montium, & creator *Spiritus* „ Amos IV, „ Deus, *Deus Spirituum* quoad omnem carnem „ Num. XVI. 22. Cap. XXVII. 18. „ Effundam super domum Davidis, & super habitatorem Hierosolymæ, *Spiritum ex alto* „ Sach. XII. 10. „ Usque dum effuderit super nos *Spiritum ex alto* „ Esaj. XXXII. 16. „ Effundam aquas super sitientem, & rivulos super aridam, *effundam Spiritum meum* super semen tuum „ Esaj. XLIV. 3. „ Effundam *Spiritum meum* super omnem carnem, etiam super servos & ancillas, in diebus illis *effundam Spiritum* „ Joel III. 1. 2. Per effundere *Spiritum* intelligitur regenerare; similiter per dare cor novum & Spiritum novum.

Quod per Spiritum intelligatur vita Spiritualis illis qui in humiliatione sunt. „ Habito in contrito & *humili Spiritu*, & ad vivificandum *Spiritum humilium*, & ad vivificandum cor contritorum „ Esaj. LVII. 15. „ Sacrificia Dei *Spiritus infractus*, cor infractum & contritum Deus non spernit „ Psalm. LI. 19 „ Dabit oleum gaudii loco luctus, & pallium laudis loco *Spiritus* contracti „ Esai. LXI. 3. „ Mulier deserta & *afflicta Spiritu* „ Esaj. LIV. 6. „ Beati *pauperes Spiritu*, quia illorum est Regnum cælorum, Matth. V. 3.

50. *Quod ubi dicitur Spiritus de Domino, intelligatur Divina Ipsius Vita, ita Ipse Dominus, constat ex his;* „ Quem misit Pater, verba Dei loquitur, non ex mensura dedit Deus ei *Spiritum*; Pater amat Filium, & omnia dedit in manum Ipsius „ Joh. III. 34. 35. „ Exibit virga de trunco Jishaji, quiescet super Ipso *Spiritus Jehovæ*, *Spiritus Sapientiæ* & intelligentiæ, *Spiritus Consilii* & virtutis „ Esaj. XI. 1. 2. „ Dedi *Spiritum meum* super illum, judicium gentibus proferet „ Esaj. XLII. 1. „ Veniet sicut flumen angustum, *Spiritus Jehovæ* signum inferet in illo; tunc veniet Zioni Redemptor, Esaj. LIX. 19. 20 „ *Spiritus Domini Jehovih* super Me, unxit Jehovah Me ad evangelizandum pauperibus „ Esaj. LXI. 1. Luc. IV. 18. „ Jesus cognoscens *Spiritu suo*, quod sic cogitarent intra se „ Marc. II. 8 „ Exultavit *Spiritus Jesu* & dixit „ Luc. X. 21. „ Jesus turbatus *Spiritu* suo, Joh. XIII. 21. „ Jesus suspirans *Spiritu Suo* „ Marc. VIII. 12.

Spiritus pro Ipso Jehovah seu Domino. „ *Spiritus* Deus est, Joh. IV. 24. „ Quis direxit *Spiritum Jehovæ*, aut quis vir consilii Ipsius „ Sach. IV. 6. „ *Spiritus Jehovæ* duxit illos per manum Mosis „ Esaj. LXIII. 14. Quo abivero a *Spiritu*

tuo,

tuo, & quo avolavero, Psalm CXXXIX. 7.,, Dixit Jehovah, non per robur, sed per *Spiritum meum* faciet, Sach. IV. 6,,, Illi exacerbarunt *Spiritum Sanctitatis* Ipsius; unde conversus est illis in hostem, Psalm CVI. 33.,, Non arguet *Spiritus meus* hominem in perpetuum, quia caro est, Gen. VI. 3.,, Non in æternum litigabo, quia *Spiritus* coram Me deficeret,, Esaj. LVII. 17.,, Blasphemia contra Spiritum Sanctum non remittetur, sed qui dixerit verbum contra Filium hominis remittetur,, Matth. XII. 31. 32. Marc. III. 28. 29. 30. Luc. XII. 10. Blasphemia contra Spiritum Sanctum, est blasphemia contra Divinum Domini; contra Filium hominis, est aliquid contra Verbum, sensum ejus aliter interpretando; Filius hominis enim est Dominus quoad Verbum, ut supra ostensum est.

51. *Quod per Spiritum, ubi de Domino, in specie intelligatur vita Sapientiæ Ipsius, quæ est Divina Veritas.*,, Ego *Veritatem* vobis dico, prodest vobis ut Ego abeam: si enim non abirem, *Paracletus* non veniet ad vos; si vero abivero, mittam Illum ad vos,, Joh. XVI. 7.,, Quando venerit ille *Spiritus Veritatis*, ducet vos in omnem *Veritatem*. Non loquetur a Se ipso, sed quæcunque audiverit, loquetur,, Joh. XVI. 13.,, Ille Me glorificabit, quia *ex Meo* accipiet & annuntiabit vobis: omnia quæcumque Pater habet, Mea sunt: propter hoc dixi, quod *de Meo* accepturus sit, & annuntiaturus vobis,, Joh. XVI. 14. 15. Ego rogabo Patrem, ut alium *Paracletum* det vobis, *Spiritum Veritatis*, quem mundus non potest accipere, quoniam non videt Illum, nec cognoscit Illum, vos autem cognoscitis Illum, quia apud vos manet, & in vobis erit: non relinquam vos orphanos, venio ad vos, vos videbitis Me,, Joh. XIV. 26. 27.,, Quando venerit *Paracletus*, quem Ego missurus sum vobis a Patre, *Spiritus Veritatis*, Ille testabitur de Me, Joh. XV. 26.,, Jesus clamavit, dicens, si quis sitiverit, venito ad Me & bibito; quisquis credit in Me, sicut dixit Scriptura, flumina e ventre Ipsius fluent aquæ viventis: hoc dixit de *Spiritu*, quem accepturi erant credentes in Ipsum. *Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum glorificatus erat*,, Joh. VII. 37. 38. 39.,, Jesus inspiravit in Discipulos, & dixit, accipite *Spiritum Sanctum*, Joh. XX. 22. Quod Dominus per Paracletum, Spiritum Veritatis, & Spiritum Sanctum intellexerit Se Ipsum, patet ab illis Domini verbis, *quod Mundus Illum adhuc non cognosceret*, non enim adhuc cognoscebant Dominum; & cum dixit, quod missurus sit illum, addit, *non relinquam vos orphanos, venio ad vos, & videbitis Me*,, Joh. XIV. 16 ad 19. 26. 28: & alibi,, *Ecce Ego vobiscum sum omnibur diebus usque ad consummationem sæculi*,, Matth. XXVIII. 20: & cum Thomas dixit, non scimus quo abis, dicit Jesus, *Ego sum Via & Veritas*,, Joh. XIV. 6. Quia Spiritus Veritatis seu Spiritus Sanctus est idem cum Domino, Qui est ipsa Veritas, ideo etiam dicitur,,, *Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum glorificatus erat*,, Joh. VII. 39; nam post Glorificationem seu plenariam Unitionem cum Patre, quæ facta est per Passionem crucis, tunc erat Dominus ipsa Divina Sapientia ac Divina Veritas, ita Spiritus Sanctus. Quod Dominus inspiraverit in discipulos, & dixerit, accipite Spiritum Sanctum, erat quia omnis Respiratio cæli est a Domino; Angelis enim æque ac hominibus est Respiratio & Micatio cordis,

 illis

illis Respiratio est secundum receptionem Divinæ Sapientiæ a Domino, & illis Micatio cordis seu pulsus est secundum receptionem Divini Amoris a Domino: quod ita sit, videbitur in suo loco.

Quod Spiritus Sanctus sit Divina Veritas a Domino, patet adhuc ex his locis:,, Quando tradiderint vos Synagogis, ne solliciti estote, quid dicturi, *Spiritus Sanctus* docebit vos in eadem hora, quæ oporteat dicere,, Luc. XII. 12. Cap, X. 20. Marc XIII. 11.,, Dixit Jehovah, *Spiritus Meus* qui super te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, Esaj. LIX. 21.,, Exibit virga de trunco Jischaji: percutiet terram virga oris sui, & *Spiritu labiorum suorum* occidet impium: erit *Veritas* cingulum feminum Ejus,, Esaj. XI. 1, 4. 5.,, Nunc ore Ille præcepit, & *Spiritus Ipsius* collegit illa,, Esaj. XXXIV. 16.,, Qui adorant Deum, in *Spiritu & Veritate* oportet adorare,, Joh. IV. 25.,, Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam: verba, quæ Ego loquor vobis, *Spiritus & Vita sunt*,, Joh. VI. 63.,, Johannes dixit, Ego vos baptizo aqua in pænitentiam: Qui vero post me venturus est, baptizabit *Spiritu Sancto & Igne*,, Matth. III. 11. Marc. I. 8. Luc. III. 16; Baptizare Spiritu Sancto & Igne, est Regenerare per Divinum Verum quod est fidei, & per Divinum Bonum quod est amoris.,, Cum Jesus baptizabatur,. aperti sunt cæli, & vidit *Spiritum Sanctum* descendentem sicut Columbam,, Matth. III. 16. Marc. I. 10. Luc. III. 21. Joh. I. 32. 33; Columba est repræsentativum purificationis & regenerationis per Divinum Verum.

Quoniam per Spiritum Sanctum, ubi de Domino, intelligitur Divina Ipsius Vita, ita Ipse; & in specie Vita Sapientiæ Ipsius, quæ vocatur Divina Veritas, ideo per Spiritum Prophetarum, qui etiam vocatur Spiritus Sanctus, intelligitur Divinum Verum a Domino; ita in sequentibus his locis;,, *Spiritus* dixit Ecclesiis, Apoc. II. 7. 11. 29. Cap. III. 1. 3. 6 13. 22.,, Septem lampades ignis ardentes coram throno, sunt *Septem Spiritus Dei*,, Apoc. IV. 5.,, In medio seniorum Agnus stans, habens oculos septem, qui sunt *Septem Spiritus Dei* emissi in omnem terram,, Apoc. V. 6. lampades ignis, & oculi Domini significant Divina Vera, ac septem significant sanctum.,, Dixit *Spiritus*, ut requiescant a laboribus suis,, Apoc. XIV. 13,,, Spiritus & sponsa dicunt, veni,, Apoc. XXII. 17.,, Cor suum posuerunt adamantem, ut non audirent legem aut verba, quæ misit *Jehovah in Spiritu suo* per manum Prophetarum,, Sachar. VII. 12.,, Spiritus Eliæ venit super Elisæum,, 1 Reg. II. 15.,, Johannes præivit *in Spiritu* & virtute Eliæ,, Luc. I. 17.,, *Spiritu Sancto* impleta est Elisabetha, & prophetavit, Luc. I. 41.,, Zacharias impletus *Spiritu Sancto* prophetavit,, Luc. I. 67.,, David dixit in *Spiritu Sancto*, dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis,, Marc. XII. 36.,, *Testimonium Jesu est Spiritus prophetiæ*,, Apoc. XIX. 10. Quia nunc per Spiritum Sanctum in specie intelligitur Dominus quoad Divinam Sapientiam, & inde quoad Divinam Veritatem, patet, unde est qud de Spiritu Sancto dicatur, quod ILLUSTRET, DOCEAT, INSPIRET.

52. *Quod Ipse Jehovah, hoc est, Dominus, loquutus sit Verbum per Prophetas.* De Prophetis legitur, quod fuerint in VISIONE, & quod JEHOVAH LOQUUTUS

SIT

SIT CUM ILLIS: cum fuerunt in Visione, non erant in suo corpore, sed in suo spiritu, in quo statu viderunt talia, quæ in cælo sunt; cum autem Jehovah loquutus est cum illis, tunc in corpore suo fuerunt, & audiverunt Jehovam loquentem. Hi bini status Prophetarum probe distingvendi sunt: in statu VISIONIS aperti sunt oculi spiritus illorum, & clausi oculi corporis illorum, ac tunc etiam sibi visi sunt auferri e loco in locum, corpore manente in suo. In hoc statu fuerunt quandoque Ezechiel, Sacharias, Daniel, & Johannes cum scripsit Apocalypsin: & tunc dicitur quod essent in VISIONE, aut in SPIRITU: dicit enim EZECHIEL,, Spiritus sustulit me, & reduxit me in Chaldæam ad Captivitatem in VISIONE DEI, in SPIRITU DEI, ita ascendit super me VISIO, quam vidi,, Cap. XI. 1. 24.,, Dicit, quod sustulerit illum spiritus, & audiverit post se terræ motum, & alia,, Cap. III. 12. 14. Tum,, Quod sustulerit illum Spiritus inter terram & cælum, & abduxerit in Hierosolymam in VISIONIBUS DEI, & viderit abominationes,, Cap VIII. 3. seq. Quare similiter in visione Dei seu in spiritu, vidit quatuor Animalia, quæ erant Cherubi,, Cap. I. & Cap. X. tum novam Terram & novum Templum, & Angelum metientem illa, de quibus in Cap. XL ad XLVIII; quod tunc fuerit in visionibus Dei, dicit Cap. XL. 2: & quod tunc sustulerit illum Spiritus, Cap. XLIII. 5. Simile factum est cum SACHARIA, in quo tunc Angelus fuit, cum vidit Virum equitantem inter myrtos., Sachar. I. 8 seq. Cum vidit quatuor cornua, & dein virum, in cujus manu funiculus mensuræ,, Cap. II. 1. 5 seq. Cum vidit Jochuam sacerdotem magnum,, Cap. III. 1 seq. Cum vidit Candelabrum & duas Oleas,, Cap. IV. 1 seq. Cum vidit volumen volans & epham,, Cap. V. 1. 6; Et cum vidit quatuor Currus exeuntes inter duos montes, & Equos,, Cap. VI. 1 seq. In simili statu fuit Daniel, cum vidit quatuor Bestias ascendentes e mari,, Dan. VI. 1 seq. & cum vidit pugnas arietis & hirci,, Cap. VIII. 1 seq. Quod viderit illa in Visionibus, legitur Cap. VII. 1. 2. 7. 13. Cap. VIII. 2. Cap. X. 1. 7. 8. Quod Angelus Gabriel ei visus sit in Visione, & loquutus cum illo, Cap. IX. 21. Simile factum est cum JOHANNE cum scripsit Apocalypsin; qui dicit se fuisse *in spiritu* die Dominica,, Apoc. I 10. Quod delatus in desertum *in spiritu*,, Cap. XVII. 3. In montem altum *in spiritu*,, Cap. XXI. Quod viderit equos in *visione*, Cap. IX. 17. & alibi quod VIDERIT illa quæ descripsit, ita in spiritu aut in visione, Cap. I. 12. Cap. IV. 1. Cap. V. 1. Cap. VI. 1, & in singulis sequentibus.

53. Quod autem Ipsum Verbum attinet, non dicitur apud Prophetas, quod loquuti sint illud ex spiritu Sancto, sed quod loquuti sint illud ex Jehovah, Jehovah Zebaoth, ex Domino Jehovih; nam legitur, quod VERBUM FACTUM SIT A JEHOVAH AD ME, quod JEHOVAH LOQUUTUS SIT AD ME, tum sæpissime, JEHOVAH DIXIT, & DICTUM JEHOVÆ: & quia Dominus est Jehovah, ut supra ostensum est, ideo omne Verbum dictum est ab Ipso. Ut nemo dubitet quin ita sit, velim modo ex JEREMIA afferre, ubi dicitur *Verbum ad me factum a Jehovah*, *loquutus est Jehovah ad me*, *Dixit Jehovah & dictum Jehovæ*, ut in his apud Jeremiam,, Cap. I. 4. 7. 11. 12. 13. 14. 19. Cap. II. 1. 2. 3. 4. 5. 9. 19. 22. 29. 31. Cap. III. 1. 6. 10. 12. 14. 16. Cap. IV. 1. 3. 9. 17. 27. Cap. V.

11. 14. 18. 22. 29. Cap. VI. 6. 9. 12. 15. 16. 21. 22. Cap. VII. 1. 3. 11. 13. 19. 20. 21. Cap. VIII. 1. 3. 12. 13. Cap. IX. 2. 6. 8. 12. 14. 16. 21. 23. 24. Cap. X. 1. 2. 18. Cap. XI. 1. 6. 9. 11. 17. 18. 21. 22. Cap. XII. 14. 17. Cap. XIII. 1. 6. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 25. Cap. XIV. 1. 10. 14. 15. Cap. XV. 1. 2. 3. 6. 11. 19. 20. Cap. XVI. 1. 3. 5. 9. 14. 16, Cap. XVII. 5. 9. 20. 21. 24. Cap. XVIII. 1. 5. 6. 11. 13. Cap. XIX. 1. 3. 6. 12. 16. Cap XX. 4. Cap. XXI. 1. 4. 7. 8. 11. 12. Cap. XXII. 2. 5. 6. 11. 16. 18. 24. 29. 30. Cap. XXIII. 2. 5. 7. 12. 15. 24. 29. 31. 38. Cap. XXIV. 3. 5. 8. Cap. XXV. 1. 3. 7. 8. 9. 15. 27. 28. 29. 32. Cap. XXVI. 1. 2. 18. Cap. XXVII. 1. 2. 4. 8. 11. 16. 19. 21. 22. Cap. XXVIII. 2. 12. 14. 16. Cap XXIX. 4. 8. 9. 16. 19. 20. 21. 25. 30. 31. 32. Cap. XXX. 1. 2. 3. 4. 5. 8 10. 11. 12. 17. 18. Cap. XXXI 1. 2. 7. 10. 15. 16. 17. 23. 27. 28. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. Cap. XXXII. 1. 6. 14. 15. 25. 26. 28. 30. 36. 41. Cap. XXXIII. 1. 2. 4. 10. 11. 12. 13. 17. 19. 20. 23. 25. Cap XXXIV. 1. 2. 4. 8. 12. 13 17. 22 Cap. XXXV. 1. 13. 17. 18. 19. Cap. XXXVI. 1 6. 27. 29. 30. Cap. XXXVII. 6. 7. 9. Cap. XXXVIII. 2. 3. 17. Cap. XXXIX. 15 16. 17. 18. Cap. XL. 1. Cap. XLII. 7. 9. 15. 18. 19. Cap. XLIII. 8. 10. Cap. XLIV. 1. 2. 7. 11. 24. 25. 26. 30. Cap. XLV. 1. 2. 5. Cap. XLVI. 1. 23. 25. 28 Cap. XLVII. 1. Cap. XLVIII. 1. 8. 12 30. 35. 38. 40. 43. 44. 47. Cap. XLIX. 2. 5. 6. 7. 12. 13. 16. 18. 26. 28. 30. 32; 35. 37. 38. 39. Cap. L. 1. 4. 10. 18. 20. 21. 30. 31. 33. 35. 40. Cap. LI. 25. 33. 35. 39. 52. 58. Hæc ſolum apud Jeremiam: ſimile dicitur apud omnes reliquos Prophetas, & non quod loquutus ſit Spiritus Sanctus, nec quod Jehovah loquutus ſit ad illos per Spiritum Sanctum.

54. Ex his nunc patet, quod Jehovah, qui eſt Dominus ab æterno, loquutus ſit per Prophetas, & quod, ubi dicitur Spiritus Sanctus, ſit Ipſe. Conſequenter, Quod Deus sit unus et Persona et Essentia, et quod Ille sit Dominus.

Quod Doctrina Fidei Athanaſianæ concordet cum Veritate, dum modo per Trinitatem Perſonarum intelligatur Trinitas Perſonæ, quæ eſt in Domino.

55. Quod Chriſtiani Tres Perſonas Divinas, ac ita ſicut Tres Deos, agnoverint, erat quia Trinum in Domino eſt, ac unum vocatur Pater, alterum Filius, & tertium Spiritus Sanctus, & hoc Trinum diſtincte nominatur in Verbo, ſicut etiam diſtincte nominatur Anima & Corpus & quod ex illis procedit, quæ tamen unum ſunt. Verbum in ſenſu literæ etiam tale eſt, ut quæ unum ſunt, diſtinguat ſicut non forent unum; inde eſt, quod Jehovam, qui eſt Dominus ab æterno, nominet nunc Jehovam, nunc Jehovam Zebaoth, nunc Deum, nunc Dominum, & ſimul Creatorem, Salvatorem, Re-

Redemptorem & Formatorem, imo Schaddai; ac Humanum Ipsius quod assumsit in mundo, Jesum, Christum, Messiam, Filium Dei, Filium hominis, & in Verbo veteris Testamenti, Deum, Sanctum Israelis, Unctum Jehovæ, Regem, Principem, Consiliarum, Angelum, Davidem. Nunc quia Verbum tale est in sensu literæ, ut plures nominet, qui tamen unum sunt, ideo Christiani, qui in initio simplices fuerunt, & omnia secundum verba sensus literæ intellexerunt, distinxerunt Divinitatem in Tres Personas; quod etiam propter simplicitatem eorum permissum est; sed tamen ita, ut de Filio etiam crederent, quod Infinitus, Increatus, Omnipotens, Deus & Dominus esset, prorsus æqualis Patri; & insuper ut crederent, quod non duo aut tres sint, sed unus Essentia, Majestate & Gloria, ita Divinitate. Qui illa secundum Doctrinam simpliciter credunt, & non confirmant se in Tribus Diis, sed ex Tribus Unum faciunt, illi post obitum informantur a Domino per Angelos, quod Ipse sit Ille Unus, ac Illud Trinum; quod etiam recipitur ab omnibus qui in cælum veniunt: nam nemo potest admitti in cælum, qui Tres Deos cogitat, utcunque ore dicit Unum: totius enim cæli vita, ac omnium Angelorum sapientia fundatur super Agnitione & inde Confessione unius Dei, & super Fide quod Ille Unus Deus sit etiam Homo, & quod Ipse sit Dominus, qui simul Deus & Homo. Ex his patet, quod ex Divina permissione factum sit, quod Christiani in principio reciperent Doctrinam de Tribus Personis, modo reciperent simul, quod etiam Dominus sit Deus Infinitus, Omnipotens, & Jehovah: nam nisi id quoque recepissent, prorsus actum fuisset de Ecclesia, quoniam Ecclesia est Ecclesia a Domino; & omnium Vita æterna est a Domino, & non ab alio. Quod Ecclesia sit Ecclesia a Domino, ex eo solo constare potest, quod totum Verbum a principio ad finem, de Solo Domino agat, ut supra ostensum est, & quod in Ipsum credendum sit, & quod illis, qui non credunt in Ipsum, non vita æterna sit, imo quod ira Dei maneat super illis, Joh. III. 36. Nunc quia unusquisque in se videt, quod si Deus Unus est, sit Unus et Persona et Essentia; nemo enim aliter cogitat, nec cogitare potest, dum cogitat quod Deus unus sit, velim nunc integram Doctrinam, quæ ab Athanasio nomen habet, adducere, & postea demonstrare, quod omnia, quæ ibi dicta sunt, vera sint, modo loco Trinitatis Personarum intelligatur Trinitas Personæ.

56. Doctrina hæc est. „ Qui vult salvari, illi necessarium est servare Fidem hanc Catholicam: (alii, Christinam): nisi quis illam „ Fidem servaverit totam & integram absque dubio, in æternum „ peribit. Fides hæc Catholica: (alii, Christina): est, quod „ colamus unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate, „ neque commiscendo Personas, neque separando substantiam „ (alii, essentiam): quoniam est una Persona Patris, alia Filii, & „ alia Spiritus Sancti; sed Divinitas Patris, Filii & Spiritus Sancti est una eadem, Gloria æqualis, & Majestas coæterna. Qualis est Pater, talis est Filius, & talis est Spiritus Sanctus. Pater

„ ter eſt Increatus, Filius eſt Increatus, & Spiritus Sanctus eſt Increatus. Pater eſt Infinitus, Filius eſt Infinitus, & Spiritus Sanctus eſt Infinitus; Pater Æternus, Filius Æternus, & Spiritus Sanctus Æternus; & tamen non ſunt Tres Æterni, ſed Unus Æternus; & non ſunt Tres Infiniti neque Tres Increati, ſed Unus Increatus, & Unus Infinitus. Similiter ut Pater eſt Omnipotens, ita Filius eſt Omnipotens, & Spiritus Sanctus eſt Omnipotens, & tamen non ſunt Tres Omnipotentes, ſed Unus Omnipotens. Sicut Pater eſt Deus, ita Filius eſt Deus, & Spiritus Sanctus eſt Deus, & tamen non ſunt Tres Dii, ſed Unus Deus. Quamvis Pater eſt Dominus, Filius eſt Dominus, & Spiritus Sanctus eſt Dominus, uſque tamen non ſunt Tres Domini, ſed Unus Dominus. Quoniam ſicut ex Chriſtiana Veritate obligati ſumus agnoſcere unamquamque Perſonam per ſe eſſe Deum & Dominum, uſque tamen per Catholicam Religionem prohibiti ſumus dicere eſſe tres Deos, aut tres Dominos; (alii, uſque tamen non poſſumus ex Chriſtiana fide nominare tres Deos aut tres Dominos). Pater a nullo factus eſt, neque creatus, neque natus: Filius eſt a ſolo Patre non factus, nec creatus, ſed natus: Spiritus Sanctus eſt ex Patre & ex Filio, neque factus neque creatus, neque natus, ſed procedens. Ita eſt Unus Pater, non tres Patres, unus Filius non três Filii, unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti: & in hac Trinitate nullus eſt Primus & Poſtremus, & nullus eſt Maximus & Minimus, ſed omnes Tres Perſonæ ſunt ſimul æternæ, & ſunt prorſus æquales, Ita ut prorſus ſit, quemadmodum ſupra dictum eſt, quod Unitas in Trinitate, & Trinitas in Unitate colanda ſit (alii, quod tres Perſonæ in una Divinitate, ac unus Deus in tribus Perſonis colendus ſit): quapropter qui vult ſalvari, illum oportet ita cogitare de Trinitate.

„ Porro etiam ad Salutem neceſſarium eſt, ut quis rite credat Incarnationem noſtri Domini Jeſu Chriſti: (alii, ut quis conſtanter credat, quod noſter Dominus ſit verus Homo); quoniam vera Fides eſt, ut credamus & confiteamur, quod noſter Dominus Jeſus Chriſtus Filius Dei, ſit Deus & Homo, Deus ex ſubſtantia: (ſeu eſſentia, alii, natura): Patris, natus anre mundum; & Homo ex ſubſtantia: (alii, natura): matris, natus in mundo: perfectus Deus & perfectus Homo, ex rationali a-

„ nima

„ nima, & humano corpore consistens: æqualis Patri quoad „ Divinum, ac inferior (alii minor) Patre quoad Humanum. „ Qui tametsi est Deus & Homo, non tamen sunt duo, sed u- „ nus Christus: unus non per conversionem Essentiæ Divinæ „ in Corpus, sed per assumtionem Humani in Deum: (alii, u- „ nus est Ille, non tamen ita, quod Divinum transmutatum sit „ in Humanum, sed Divinum suscepit ad se Humanum): unus „ prorsus, non per confusionem (alii, commixtionem) sub- „ stantiæ, sed per Unitatem Personæ (alii, Ille est prorsus U- „ nus, non tamen ita quod binæ naturæ sint commixtæ sed Il- „ le est Una Persona): quoniam sicut rationalis anima & corpus „ est unus homo, ita Deus & Homo est unus Christus. Qui pas- „ sus est propter Salvationem nostri, descendit in infernum, & „ resurrexit tertio die ex morte: & ascendit in Cælum, & sedet „ ad dextram Patris Omnipotentis: unde venturus est ad judi- „ candum vivos & mortuos: in cujus Adventu omnes homines „ resurgent cum suis corporibus: & illi, qui bona fecerunt, in- „ trabunt in vitam æternam, & qui mala fecerunt in ignem æ- „ ternum.

57. Quod omnia hujus Doctrinæ quoad singula ejus verba sint vera, modo pro Trinitate Personarum intelligatur Trinitas Personæ, videri potest ab eadem denuo exscripta, ubi hæc Trinitas substituta est. Trinitas Personæ est hæc,„ Quod Divinum Domini sit Pater, Divinum Humanum Filius, et Divinum Procedens Spiritus Sanctus. Cum hæc Trinitas intelligitur, tunc homo potest cogitare unum Deum, & quoque potest dicere unum Deum: quod alioquin non possit nisi quam cogitare tres Deos, quis non videt, & quoque vidit Athanasius; quare ejus Doctrinæ etiam hæc verba inserta sunt; „ *Sicut ex Christiana Veritate obligati sumus agnoscere unamquamque Personam per se esse Deum & Dominum; usque tamen non possumus ex Catholica religione aut ex Christiana fide dicere seu nominare tres Deos aut tres Dominos*„ quod quasi est; quamvis ex Christiana veritate licet agnoscere seu cogitare tres Deos & Dominos, usque tamen non licet ex Christiana fide dicere seu nominare nisi quam unum Deum & unum Dominum„: cum tamen agnitio & cogitatio conjungit hominem cum Domino & cum Cælo, non autem sola loquela. Præterea, nemo comprehendit, quomodo Divinum, quod Unum est, potest dividi in tres Personas, quarum unaquævis est Deus, Divinum enim non dividuum est: ac tres unum facere per Essentiam aut Substantiam, non tollit ideam trium Deorum, sed modo dat ideam Unanimitatis eorum.

58. Quod omnia illius Doctrinæ quoad singula ejus verba, sint vera, modo pro Trinitate Personarum intelligatur Trinitas Personæ, constare po-

test

test ex eadem denuo exscripta, quæ nunc sequitur. „ Qui vult salvari, illi „ necessarium est servare fidem hanc Christianam; Fides hæc „ Christiana est; quod colamus Unum Deum in Trinitate, „ & Trinitatem in Unitate, non commiscendo Trinum Per- „ sonæ, neque separando Essentiam. Trinum unius Personæ „ est, quod Pater, Filius & Spiritus Sanctus vocatur. Divi- „ nitas Patris, Filii & Spiritus Sancti est una eadem, gloria „ & majestas æqualis. Qualis est Pater, talis est Filius, & talis „ est Spiritus Sanctus. Pater est Increatus, Filius est Increatus, „ & Spiritus Sanctus est Increatus: Pater est Infinitus, Filius est „ Infinitus, & Spiritus Sanctus est Infinitus; & tamen non sunt tres „ Infiniti, neque tres Increati, sed unus Increatus & unus Infini- „ tus. Similiter ut Pater est Omnipotens, ita Filius est Omnipo- „ tens, & Spiritus Sanctus est Omnipotens, & tamen non sunt tres „ Omnipotentes, sed Unus Omnipotens. Sicut Pater est Deus, „ ita Filius est Deus, & Spiritus Sanctus est Deus, & tamen non „ sunt tres Dii, sed unus Deus. Quamvis Pater est Dominus, Fi- „ lius est Dominus, & Spiritus Sanctus est Dominus, usque ta- „ men non sunt tres Domini, sed unus Dominus. Nunc sicut ex „ Christiana veritate agnoscimus Trinum in una Persona, quæ „ Deus & Dominus, ita ex Christiana fide possumus dicere Unum „ Deum & Unum Dominum. Pater a nullo factus est, neque „ creatus, neque natus: Filius est ex Solo Patre non factus, nec „ creatus, sed natus: Spiritus Sanctus est ex Patre & ex Filio „ neque factus, neque creatus, neque natus, sed procedens: ita „ est Unus Pater, non tres Patres, Unus Filius, non tres Filii, „ Unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti: & in hac „ Trinitate nullus est maximus & minimus, sed sunt prorsus „ æquales. Ita ut prorsus sit, quemadmodum supra dictum „ est, quod Unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate co- „ lenda sit.

59 Hæc in Doctrina de Trinitate & Unitate Dei: postea sequitur ibi de assumtione Humani a Domino in mundo, quæ vocatur Incarnatio: illa quoque in Doctrina quoad omnia & singula ejus, vera sunt, modo distincte intelligatur Humanum ex Matre, in quo Dominus fuit, cum in statu humiliationis seu exinanitionis, & passus est tentationes & crucem; & Humanum ex Patre, in quo fuit in statu Glorificationis seu Unitionis: nam Dominus Humanum in mundo conceptum a Jehovah, qui est Dominus ab æterno, & natum a Maria Vir-

Virgine assumsit, inde Ipsi fuit Divinum & Humanum, Divinum a Divino suo ab æterno, & Humanum ex Maria matre in tempore; sed hoc Humanum exuit, & Humanum Divinum induit: hoc Humanum est, quod vocatur Divinum Humanum, & quod intelligitur in Verbo per Filium Dei. Cum itaque illa, quæ præcedunt in Doctrina de Incarnatione, intelliguntur de Humano materno, in quo fuit cum in statu Humiliationis, & illa quæ sequuntur ibi de Divino Humano, in quo fuit cum in statu Glorificationis, tunc etiam omnia ibi coincidunt. *Cum Humano materno, in quo fuit cum in statu humiliationis, coincidunt hæc quæ præcedunt in Doctrina*,, Quod Jesus Christus fuerit Deus & Homo, Deus ex substantia Patris, & Homo ex substantia matris, natus in mundo: perfectus Deus & perfectus Homo, ex rationali anima & humano corpore consistens: æqualis Patri quoad Divinum, minor Patre quoad Humanum. *Tum hæc*,, Quod Humanum illud non conversum sit in Divinum, nec ei commixtum, sed exutum, & pro eo assumtum Humanum Divinum.". *Cum Humano Divino, in quo fuit in statu Glorificationis, & nunc est in æternum, coincidunt hæc quæ sequuntur in Doctrina*,, Tametsi noster Dominus Jesus Christus Filius Dei, est Deus & Homo, usque non sunt duo, sed est unus Christus; imo est prorsus unus, est enim una Persona; quoniam sicut anima & corpus faciunt unum hominem, ita Deus & Homo est unus Christus.

60. Quod Deus & Homo in Domino secundum Doctrinam non sint duo, sed una Persona, & prorsus una, sicut anima & corpus sunt unum, patet clare a multis quæ Ipse dixerat, ut, Quod Pater & Ipse unum sint: quod omnia Patris sua sint, & omnia sua Patris: quod Ipse in Patre & Pater in Ipso sit: quod omnia data sint in manum Ipsius: quod Ipsi omnis potestas sit: quod Deus cæli & terræ sit: quod qui credit in Ipsum, vitam æternam habeat: & porro, quod & Divinum & Humanum sublatum sit in cælum, & quod quoad utrumque sedeat ad dextram Dei, hoc est, quod Omnipotens sit: & plura quæ supra ex Verbo de Divino Humano Ipsius in multa copia allata sunt, quæ omnia testantur, quod DEUS SIT UNUS TAM PERSONA QUAM ESSENTIA IN QUO TRINITAS, ET QUOD ILLE DEUS SIT DOMINUS.

61. Quod hæc de Domino nunc primum evulgata sint, est quia prædictum est in Apocalypsi Cap. XXI & XXII, quod nova Ecclesia in fine prioris a Domino instituenda sit, in qua hoc Primarium erit. Hæc Ecclesia est, quæ per Novam Hierosolymam ibi intelligitur, in quam nemo intrare potest, nisi qui Solum Dominum pro Deo cæli & terræ agnoscit: & hoc possum annuntiare, quod Universum Cælum Dominum solum agnoscat, & quod qui non agnoscit, non in Cælum admittatur: Cælum enim est Cælum ex Domino: ipsa illa Agnitio ex amore & fide, facit ut sint ibi in Domino & Dominus in illis, ut Ipse Dominus docet apud Johannem,, *In die illo cognoscetis, quod Ego in Patre meo, & vos in Me, & Ego in vobis*,, XIV. 20. tum apud Eundem,, *Manete in Me,*

etiam Ego in vobis: Ego Vitis, vos palmites, qui manet in Me & Ego in illo, hic fert fructum multum, nam sine Me non potestis facere quicquam: nisi quis manserit in Me, ejectus est foras,, Cap. XV. 4. 5. 6. tum Cap. XVII. 22. 23. Quod hoc non prius e Verbo visum sit, est quia si prius visum fuisset, usque non receptum fuisset: nondum enim Ultimum Judicium fuit peractum, & ante illud potentia Inferni valuit supra potentiam Cæli, & homo est in medio inter Cælum & Infernum, quare si prius visum fuisset, Diabolus, hoc est, Infernum eripuisset illud e cordibus illorum, & insuper prophanavisset illud: hic status potentiæ Inferni prorsus fractus est per Ultimum Judicium, quod nunc peractum est: post illud, ita nunc, omnis homo, qui vult illustrari & sapere, is potest: de qua re videantur quæ in Opere de CÆLO ET INFERNO, n. 589 ad 596, & n. 597 ad 603; tum in Opusculo de ULTIMO JUDICIO n. 65 ad 72: & n. 73. 74, scripta sunt.

Quod Nova Ecclesia intelligatur per Novam Hierosolymam in Apocalypsi.

62. Postquam in APOCALYPSI descriptus est Status Ecclesiæ Christianæ, qualis erit in suo fine, & nunc est, & postquam in Infernum conjecti sunt illi ab ea Ecclesia, qui per Pseudoprophetam, Draconem, Meretricem & per Bestias significantur; ita postquam Ultimum Judicium factum est, dicitur ibi,, *Vidi Cœlum novum & Terram novam, prius enim Cœlum, & prior Terra transivit. Tunc Ego Johannes vidi* CIVITATEM SANCTAM HIEROSOLYMAM *descendentem a Deo e cœlo. Et audivi vocem magnam e cælo dicentem; ecce tabernaculum Dei cum hominibus, qui habitabit cum illis, & illi populi ejus erunt, & Ipse erit cum illis, Deus illorum. Dixit Sedens super Throno, ecce nova omnia facio: & dixit mihi, scribe, quia hæc verba vera & fidelia sunt*,, Apoc. XXI. 1. 2. 3. 5. Per Cælum novum, & per Terram novam, quæ vidit, postquam prius Cælum & prior Terra transivit, non intelligitur novum Cælum astriferum & atmosphæricum, quod coram oculis humanis apparet, nec nova Terra super qua habitant homines, sed intelligitur Novum Ecclesiæ in Mundo Spirituali, & Novum Ecclesiæ in mundo Naturali. Quoniam novum Ecclesiæ in utroque mundo, tam spirituali quam naturali, factum est a Domino, cum in mundo fuit, ideo simile apud Prophetas prædicitur, nempe quod novum cælum & nova terra, tunc exstitura sint, ut Esaj. LXV. 17. Cap LXVI. 22, & alibi; per quæ itaque non potest intelligi cælum aspectabile coram oculis, & terra habitabilis ab hominibus. Per Mundum spiritualem intelligitur Mundus, ubi habitant Angeli & Spiritus, & per Mundum naturalem, intelligitur Mundus, ubi habitant homines. Quod Novum Ecclesiæ in Mundo spirituali nuper factum sit, & quod Novum Ecclesiæ in Mundo naturali fiet, aliquibus ostensum est in Opusculo de ULTIMO JUDICIO, & plenius ostendetur in CONTINUATIONE EJUS.

63. Per Civitatem Sanctam Hierosolymam intelligitur nova illa Ecclesia quoad Doctrinam, quare illa visa a Deo e cælo descendens, nam Doctrina genuini

Veri non aliunde venit, quam per Cælum a Domino. Quia Ecclesia quoad Doctrinam per Civitatem novam Hierosolymam intelligitur, ideo dicitur, Parata sicut Sponsa ornata Marito suo Vers. 2. & postea,, *Venit ad Me Unus de septem Angelis, & loquutus mecum, dicens, veni, ostendam tibi Sponsam Agni Uxorem: & abstulit me in spiritu super montem altum, & ostendit mihi Civitatem magnam Sanctam Hierosolymam descendentem e cælo a Deo*,, Vers. 9. 10., in eodem Capite. Quod per Sponsam & Uxorem intelligatur Ecclesia, cum per Dominum Sponsus & Maritus, notum est: Ecclesia Sponsa est, quando vult Dominum recipere, at Uxor quando recepit. Quod Dominus per Maritum ibi intelligatur, patet, nam dicitur, SPONSA AGNI UXOR.

64. Quod per Hierosolymam in Verbo intelligatur Ecclesia quoad Doctrinam, est causa, quia ibi in terra Canaane, & non alibi Templum erat, Altare erat, Sacrificia fiebant, ita ipse Cultus Divinus: quare etiam tria Festa quotannis ibi celebrabantur, & ad illa omnis masculus totius terræ mandatus est ire; ex eo est, quod per Hierosolymam significetur Ecclesia quoad cultum, & inde quoque Ecclesia quoad doctrinam, nam cultus præscribitur in doctrina, & fit secundum illam: tum quia Dominus in Hierosolyma fuit, & docuit in suo Templo, & postea ibi glorificavit Humanum suum. Præterea per Urbem in Verbo in sensu ejus spirituali significatur Doctrina; inde per Civitatem Sanctam Doctrina Divini Veri a Domino (*a*). Quod per Hierosolymam intelligatur Ecclesia quoad Doctrinam, etiam ex aliis locis in Verbo patet; ut ex his: apud ESAJAM,, *Propter Zionem non tacebo, & propter Hierosolymam non quiescam, usque dum exeat sicut splendor Justitia ejus, & Salus ejus sicut lampas ardeat. Tunc videbunt gentes justitiam tuam, & omnes reges gloriam tuam: & vocabitur tibi Nomen novum, quod os Jehovæ enuntiabit: & eris corona decoris in manu Jehovæ, & cidaris Regni in manu Dei tui: beneplacebit Jehovah in te, & terra tua maritabitur. Ecce Salus tua veniet, ecce merces Ipsius cum Ipso; & vocabunt illos, Populus Sanctitatis, Redempti Jehovæ: & tu vocaberis quæsita urbs, non deserta*,, LXII. 1. 2. 3. 4. 11. 12; agitur in toto illo Capite de Adventu Domini, & de nova ab Ipso instauranda Ecclesia; nova hæc Ecclesia est, quæ intelligitur per Hierosolymam, cui vocabitur Nomen novum quod os Jehovæ enuntiabit, quæque erit corona decoris in manu Jehovæ, & cidaris regni in manu Dei, in qua Jehovah beneplacebit, & quæ vocabitur urbs quæsita, non deserta: per hæc non potest intelligi Hierosolyma, in qua, cum Dominus in mundum venit, fuerunt Judæi, nam illa erat in omni contrario; quæ potius vocanda erat Sodoma, ut quoque vocatur Apoc. XI. 8. Esaj. III. 9. Jerem. XXIII. 14. Ezech. XVI.

(*a*) Quod per Urbem in Verbo significetur Doctrina Ecclesiæ & Religionis, videatur in ARCANIS CÆLESTIBUS, n. 402. 2450. 2943. 3216. 4492. 4493. Quod per portam urbis significetur Doctrina, per quam fit introitus in Ecclesiam, n. 2943. 4447. 4478. Quod ideo Seniores sederint in porta urbis & judicaverint, ibid: egredi porta, qvod sit recedere a Doctrina, n. 4492. 4493. Quod urbes & palatia in Cælo repræsententur, quando Angelis est sermo de Doctrinalibus, n. 3216, ibi.

XVI. 46. 48. Alibi apud ESAJAM ,, *Ecce Ego creans Cælum novum, & Terram novam, non commemorabuntur priora: lætamini & exultate in æternitates, quæ Ego creans. Ecce Ego creaturus Hierosolymam exultationem, & populum ejus lætitiam, ut exultem super Hierosolyma, & læter super populo meo. Tunc lupus & agnus pascent simul: non malum facient in toto monte Sanctitatis meæ*,, LXV. 17. 18. 19. 25; etiam in hoc Capite agitur de Adventu Domini, & de Ecclesia ab Ipso instauranda, quæ non instaurata est apud illos qui in Hierosolyma, sed apud illos qui extra illam erant, quare hæc Ecclesia intelligitur per Hierosolymam, quæ erit Domino exultatio, & cujus populus erit Ipsi lætitia; tum ubi lupus & agnus pascent simul; & ubi non malum facient. Hic quoque dicitur, quemadmodum in Apocalypsi, quod Dominus creaturus Cælum novum & Terram novam, per quæ etiam similia intelliguntur; & quoque dicitur quod creaturus Hierosolymam. Alibi apud ESAJAM ,, *Excitare, excitare, indue robur tuum, Zion, indue vestes decoris tui, Hierosolyma, Urbs Sanctitatis; quia non addet ut veniat in te amplius præputiatus & immundus: excute te e pulvere, surge, sede Hierosolyma. Cognoscet populus Nomen meum in die illo, nam Ego ille, qui loquens, ecce Me: consolatus est Jehovah populum suum, redemit Hierosolymam*,, LII. 1. 2. 6. 9: etiam in eo Capite agitur de Adventu Domini; & de Ecclesia ab Ipso instauranda; quare per Hierosolymam, in quam non amplius veniet præputiatus & immundus, & quam Dominus redimet, intelligitur Ecclesia; & per Hierosolymam urbem Sanctitatis Ecclesia quoad Doctrinam a Domino. Apud ZEPHANIAM, *Jubila filia Zionis, lætare ex omni corde filia Hierosolymæ; Rex Israelis in medio tui; ne time malum amplius: lætabitur super te cum gaudio, acquiescet in amore tuo, exultabit super te cum jubilo: dabo vos in nomen & in laudem omnibus populis terræ*,, III. 14. 15. 16. 17. 20; similiter hic de Domino & de Ecclesia ab Ipso; super qua Rex Israelis, qui est Dominus, lætabitur cum gaudio, exultabit cum jubilo, & in cujus amore requiescet, & quos dabit in nomen & in laudem omnibus populis terræ. Apud ESAJAM ,, *Sic dixit Jehovah Redemptor tuus, & Formator tuus, dicens Hierosolymæ, habitaberis, & urbibus Jehudæ, ædificabimini*,, XLIV. 24. 26: & apud DANIELEM,, *Scito & percipito, ab exitu Verbi usque ad restituendum & ad ædificandum Hierosolymam, usque ad Messiam Principem, Septimanæ septem*,, X. 25; quod per Hierosolymam etiam hic intelligatur Ecclesia, patet, quoniam hæc a Domino restituebatur & ædificabatur, non autem Hierosolyma sedes Judæorum. Per Hierosolymam intelligitur Ecclesia a Domino etiam in sequentibus locis; apud SACHARIAM,, *Sic dixit Jehovah, revertar ad Zionem, & habitabo in medio Hierosolymæ: unde vocabitur Hierosolyma, Urbs Veritatis; & Mons Jehovæ Zebaoth, Mons Sanctitatis*,, VIII. 3. 20 ad 23. Apud JOELEM, ,, *Tunc cognoscetis, quod Ego Jehovah Deus vester, habitans in Zione, Monte Sanctitatis; & erit Hierosolyma sanctitas: & fiet in Die illo, stillabunt montes mustum, & colles fluent lacte; & Hierosolyma sedebit in generationem & generationem*,, IV. 17 ad 21. Apud ESAJAM,, *In Die illo erit germen Jehovæ in decus & in gloriam; & fiet, relictus in Zione, & residuus in Hierosolyma, Sanctus dicetur: omnis Scriptus ad vitam in Hierosolyma*,, IV. 2. 3. Apud MICHAM, *In extremitate dierum erit Mons Domus Jehovæ constitutus in caput montium; nam e Zione exibit Doctrina, & Verbum Je-*

Jehovæ ex Hierosolyma: ad te veniet Regnum prius, Regnum filiæ Hierosolymæ,, II. 1. 2. 8. Apud Jeremiam, *in Tempore illo vocabunt Hierosolymam thronum Jehovæ; & congregabuntur omnes gentes ob Nomen Jehovæ Hierosolymam; neque ibunt amplius post confirmationem cordis sui mali*,, III 17. Apud Esajam,, *Specta Zionem Urbem Festi stati nostri; oculi tui videant Hierosolymam, habitaculum tranquillum, tabernaculum quod non dissipabitur; non removebuntur clavi ejus in perpetuum, & omnes funes ejus non avellentur*,, XXXIII. 20: præter etiam alibi, ut apud Esajam XXIV. 23. Cap XXXVII. 32. Cap. LXVI. 10 ad 14. Apud Sachariam, XII. 3. 6. 8. 9. 10. Cap. XIV. 8. 11. 12. 21. Apud Malachiam, III. 2. 4. Apud Davidem, Psalm CXXII. 1 ad 7. Psalm CXXXVII. 4. 5. 6. Quod per Hierosolymam in illis locis intelligatur Ecclesia, quæ a Domino instauranda erat, & quæ etiam instaurata est, & non Hierosolyma in terra Canaane a Judæis habitata; constare etiam potest a locis in Verbo, ubi de hac dicitur quod prorsus deperdita sit, & quod destruenda; ut Jerem. V. 1. Cap. VI. 6. 7. Cap. VII. 17. 18. seq: Cap. VIII. 6. 7. 8 seq: Cap IX. 10. 11. 13 seq: Cap. XIII. 9. 10. 14. Cap. XIV. 16. Thren. I. 8. 9. 17. Ezech. IV. 1 ad fin: Cap. IV. 9 ad fin: Cap. XII. 18. 19. Cap. XV. 6. 7 8. Cap. XVI. 1 ad 63. Cap. XXIII. 1. ad 49. Matth. XXIII. 37. 39. Luc. XIX. 41 ad 44. Cap. XXI. 20. 21. 22. Cap. XXIII. 28. 29. 30; & multis aliis in locis.

65. Dicitur in Apocalypsi Novum Cælum et Nova Terra; & postea, Ecce nova omnia facio, per quæ non aliud intelligitur, quam quod in Ecclesia nunc a Domino instauranda, Nova Doctrina erit, quæ in priore Ecclesia non fuit: quod non fuerit, est causa, quia si fuisset, non recepta fuisset; nondum enim ultimum Judicium peractum fuit, & ante illud potentia Inferni prævaluit potentiæ Cæli; quare si prius ex ore Domini data fuisset, apud hominem non mansisset; nec hodie manet, nisi quam apud illos qui Dominum Solum adeunt, & Ipsum Deum Cæli & Terræ agnoscunt, videatur supra n. 61. Eadem hæc Doctrina prius quidem data est in Verbo; sed quia Ecclesia non ita diu post instaurationem ejus versa est in Babyloniam, & apud alios postea in Philisthæam, ideo illa non potuit ex Verbo videri; nam Ecclesia non aliter videt Verbum, quam ex principio religionis suæ & ejus doctrina. Nova, quæ in hoc Opusculo sunt, in genere hæc sunt I. Quod Deus sit unus Persona & Essentia, & quod
,, Ille sit Dominus. II. Quod tota Scriptura Sacra de Ipso Solo a-
,, gat. III. Quod in Mundum venerit, ut subjugaret Inferna, ac
,, ut glorificaret Humanum suum; & quod utrumque fecerit per
,, Tentationes in se admissas, & plene per ultimam illarum, quæ
,, fuit Passio crucis: & quod per id Redemptor & Salvator factus
,, sit; & quod per id Ipsi Soli Meritum & Justitia. IV. Quod
,, impleverit omnia Legis, sit quod impleverit omnia Verbi. V.
,, Quod per Passionem crucis non abstulerit peccata, sed quod
,, illa portaverit sicut Propheta, quod est, quod passus sit ut in Se
,, re-

„ repræſentaretur Eccleſia, quomodo illa malefecerat Verbo.
„ VI. Quod Imputatio meriti non ſit aliquid niſi per illam intel-
„ ligatur Remiſſio peccatorum poſt pænitentiam. Hæc in hoc Opuſculo: in Sequentibus, quæ erunt de Scriptura Sacra, in Doctrina vitæ, de Fide, & de Divino Amore & de Divina Sapientia, Nova adhuc videbuntur.



DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA.



AMSTELODAMI:

MDCCLXIII.



DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA.



Quod Scriptura Sacra ſeu Verbum ſit ipſum Divinum Verum.

1. IN omnium ore eſt, quod Verbum ſit a Deo, Divinitus inſpiratum, & inde Sanctum; ſed uſque hactenus neſcitum eſt, ubinam in eo Divinum eſt: nam Verbum in litera apparet ſicut Scriptum vulgare, ſtylo peregrino, non ſublimi nec lucente, ſicut ad apparentiam ſunt Scripta ſæculi. Ex eo eſt, quod homo, qui naturam pro Deo, aut qui illam præ Deo, colit, & inde ex ſe & ſuo proprio, & non e cælo a Domino, cogitat, facile in errorem de Verbo, & in contemtum ejus poſſit cadere, & ſecum dicere cum id legit, quid hoc, quid illud, an hoc eſt Divinum, an Deus, Cui infinita Sapientia eſt, ita loqui poteſt, ubi & unde Sanctum ejus, niſi ex religioſo, & inde perſvaſione.

2. Sed qui ita cogitat, ille non conſiderat, quod Ipſe Jehovah, qui eſt Deus Cæli & Terræ, loquutus ſit Verbum per Moſen & Prophetas, & quod inde non poſſit eſſe, quam Ipſum Divinum Verum, nam quod Ipſe Jehovah loquitur, hoc Illud eſt: nec conſiderat, quod Dominus, qui eſt idem cum Jehovah, loquutus ſit Verbum apud Evangeliſtas, multa ex ſuo ore, & reliqua ex ſpiritu oris ſui, qui eſt Spiritus Sanctus; inde eſt, quod Ipſe dicat, quod

in Verbis suis sit Vita, & quod Ipse sit Lux quæ illustrat, & quod sit Veritas. Quod Ipse Jehovah loquutus sit Verbum per Prophetas, ostensum est in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 52. 53. Quod verba, quæ Ipse Dominus apud Evangelistas loquutus est, Vita sint, apud Johannem „ *Verba, quæ Ego loquor vobis, Spiritus sunt, & Vita sunt*,, VI. 63. Apud Eundem,, *Jesus dixit mulieri ad fontem Jacobi; si scires donum Dei, & quis sit, qui dicit tibi, da Mihi bibere, tu peteres ab Eo, & daret tibi Aquam viventem. Qui bibit ex Aqua, quam Ego dabo, non sitiet in æternum, sed Aqua, quam Ego dabo ei, fiet in Eo fons Aquæ salientis in vitam æternam*,, IV. 6. 10 11; per fontem Jacobi, significatur Verbum, ut quoque Devtr. XXXIII. 28; quare etiam Dominus ibi sedit, & loquutus est cum muliere; & per aquam significatur verum Verbi. Apud Eundem,, *Jesus dixit, si quis sitiverit, venito ad Me & bibito: quisquis credit in Me, sicut dicit Scriptura, flumina e ventre illius fluent Aquæ viventis*,, VII. 37. 38. Apud Eundem,, *Petrus dixit ad Jesum, verba vitæ æternæ habes*,, VI. 68. Quare Dominus dicit apud Marcum,, *Cælum & Terra transibunt, Verba mea non transibunt*,, XIII. 31. Quod Verba Domini sint Vita, est quia Ipse est Vita & Veritas, ut docet apud Johannem,, *Ego sum Via, Veritas & Vita*,, XIV. 6. & apud Eundem,, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; in Illo Vita erat, & Vita erat Lux hominum*,, I. 1. 2. 3; per Verbum ibi intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, in Quo solo Vita est & Lux est. Ex eo est, quod Verbum quod a Domino, & quod est Dominus, dicatur *Fons aquarum vivarum*,, Jerem. II. 13. Cap. XVII. 13. Cap. XXXI. 9. *Fons Salutis*,, Esaj. XI. 1. 3. *Fons*, Sachar. XIII. 1. Ac *Fluvius aquæ vitæ*,, Apoc. XXII. 1. & dicitur,, *Quod Agnus, qui in medio Throni, pascet illos, & deducet illos ad Vivos Fontes aquarum*,, Apoc. VII. 17. Præter aliis in locis, ubi Verbum etiam vocatur Sanctuarium & Tabernaculum, in quo Dominus habitat cum homine.

3. Sed homo naturalis ex his usque non persuaderi potest, quod Verbum sit ipsum Divinum Verum, in quo Divina Sapientia est & Divina Vita, spectat enim illud a Stylo, in quo non videt illa. Sed Stylus Verbi est ipse Stylus Divinus, cum quo omnis alius Stylus, utcunque sublimis & excellens apparet, non comparari potest, est enim sicut caligo ad lucem. Stylus Verbi talis est, ut Sanctum sit in omni sensu, inque omni voce, imo alicubi in ipsis literis; inde Verbum conjungit hominem Domino, & aperit Cælum. Sunt duo quæ procedunt a Domino, Divinus Amor & Divina Sapientia, seu quod idem, Divinum Bonum & Divinum Verum, nam Divinum Bonum est Divini Amoris Ipsius, & Divinum Verum est Divinæ Sapientiæ Ipsius; Verbum in sua Essentia est utrumque Hoc; & quia illud conjungit hominem Domino, & aperit Cælum, ut dictum est, ideo Verbum implet hominem, qui illud a Domino, & non a semet solo, legit, bono amoris & veris sapientiæ, voluntatem ejus bono amoris, & intellectum ejus veris sapientiæ; inde homini est vita per Verbum.

4. Ne itaque homo in dubio esset, quin Verbum tale sit, revelatus mihi est a Domino Sensus internus Verbi, qui in sua essentia est Spiritualis, qui Sensui

externo,

externo, qui eſt Naturalis, ineſt, ſicut anima corpori, ille ſenſus eſt Spiritus qui vivificat literam: quare ille Senſus poteſt de Verbi Divinitate & Sanctitate teſtari, & convincere etiam hominem naturalem, ſi vult convinci.

Quod in Verbo ſenſus Spiritualis ſit, hactenus ignotus.

Hæc in hoc ordine dicenda ſunt: I. Quid Senſus Spiritualis. II. Quod ille Senſus in omnibus & ſingulis Verbi ſit. III. Quod ex illo ſit, quod Verbum Divinitus inſpiratum ſit, ac in omni voce Sanctum. IV. Quod ille Senſus hactenus ignotus fuerit. V. Et quod non alicui poſthac detur, niſi qui in genuinis veris a Domino eſt.

5. I. *Quid Senſus Spiritualis*: Senſus Spiritualis non eſt ille, qui ex ſenſu literæ Verbi elucet, quando quis ſcrutatur & explicat Verbum ad confirmandum Eccleſiæ quoddam dogma, hic ſenſus eſt ſenſus Verbi literalis. Sed ſenſus ſpiritualis non apparet in ſenſu literæ, eſt intus in illo, ſicut anima in corpore, ſicut cogitatio in oculis, & affectio in facie, quæ unum agunt, ut cauſa & effectus. Ille Senſus imprimis facit, ut Verbum ſit Spirituale, non modo pro hominibus, ſed etiam pro angelis; quare Verbum per illum Senſum communicat cum Cælis.

6. A Domino procedit Cæleste, Spirituale & Naturale, unum poſt alterum. Cæleste dicitur quod procedit ex Divino Amore Ipſius, & eſt Divinum Bonum: Spirituale dicitur, quod procedit ex Divina Sapientia Ipſius, & eſt Divinum Verum: Naturale eſt ex utroque, eſt illorum complexus in ultimo. Angeli Regni cæleſtis Domini, ex quibus eſt Tertium ſeu Supremum Cælum, ſunt in Divino quod procedit a Domino, quod Cæleſte vocatur; nam ſunt in bono amoris a Domino: Angeli Regni ſpiritualis Domini, ex quibus eſt ſecundum ſeu Medium Cælum, ſunt in Divino quod procedit a Domino, quod Spirituale vocatur, ſunt enim in veris ſapientiæ a Domino (*a*): Homines autem Eccleſiæ in Mundo, ſunt in Divino Naturali, quod etiam procedit a Domino. Ex his ſequitur, quod Divinum procedens a Domino ad ultima ſua, deſcendat per tres Gradus, ac nominetur Cæleſte, Spirituale & Naturale. Divinum quod a Domino ad homines deſcendit, per tres illos Gradus deſcendit, & cum deſcenderat, tres illos Gradus in ſe continet: omne Divinum tale eſt; ideo quando eſt in ſuo Ultimo gradu, eſt in ſuo Pleno. Tale eſt Verbum. Hoc in ultimo ſuo ſenſu eſt Naturale, in interiori eſt Spirituale, ac in intimo eſt Cæleſte, & eſt Divinum in unoquovis. Quod Verbum tale ſit, non apparet in Senſu literæ ejus, qui eſt Naturalis, ex cauſa, quia homo mundi antehac non



(*a*) Quod duo Regna ſint, ex quibus Cæli conſiſtunt, quorum unum vocatur Regnum Cæleſte, alterum Regnum Spirituale, videatur in opere de Cælo et Inferno n. 20 ad 28.

non ſciverat aliquid de Cælis, & inde non quid Spirituale, & quid Cæleſte, ita nec diſcrimen inter Illa & inter Naturale.

7. Diſcrimen inter hos Gradus nec ſciri poteſt, niſi ſciatur Correſpondentia, nam tres illi Gradus inter ſe prorſus diſtincti ſunt, ſicut Finis, Cauſa & Effectus, aut ſicut Prius, Poſterius & Poſtremum, at unum faciunt per Correſpondentias; Naturale enim correſpondet Spirituali, & quoque Cæleſti. Quid autem Correſpondentia, videri poteſt in Opere de Caelo & Inferno, ubi actum eſt, *De Correſpondentia omnium Cæli cum omnibus hominis*, n. 87 ad 102; & *de Correſpondentia Cæli cum omnibus telluris*, n. 103 ad 115. & amplius videbitur ab Exemplis e Verbo infra adducendis.

8. Quoniam Verbum interius eſt Spirituale & Cæleſte, ideo per meras Correſpondentias conſcriptum eſt, & quod ſcriptum eſt per meras Correſpondentias, hoc in ſenſu ultimo ſcriptum eſt tali ſtylo, quali apud Prophetas & apud Evangeliſtas, qui tametſi apparet vulgaris, uſque ille Sapientiam Divinam & omnem Angelicam in ſe recondit.

9. *Quod Senſus ſpiritualis in omnibus & ſingulis Verbi ſit*, non melius videri poteſt quam ab Exemplis; quæ ſint hæc ſequentia. Dicit Johannes in Apocalypſi, *Vidi Cælum apertum, cum ecce Equus albus, & qui Sedens ſuper eo vocabatur fidelis & verus, qui in Juſtitia judicat & pugnat. Et Oculi Ejus flamma ignis, ac ſuper Capite Ejus diademata multa, habens Nomen ſcriptum, quod nemo ſcit niſi Ipſe: & indutus erat Veſtimento tincto ſangvine: & vocatur Nomen Ipſius* Verbum Dei. *Exercitus Ejus in Cœlo ſequebantur Ipſum ſuper equis albis, induti byſſinum album & mundum. Habet ſuper veſtimento & ſuper femore ſuo Nomen ſcriptum*, Rex regum et Dominus dominorum. *Vidi porro unum Angelum ſtantem in Sole, qui clamavit voce magna; venite & congregamini ad Cænam magnam, ut comedatis carnes regum & carnes chiliarchorum, & carnes fortium, & carnes equorum & ſedentium ſuper illis, & carnes omnium liberorum & ſervorum, & parvorum & magnorum*, XIX. 11 ad 18: quid hæc ſignificant, nemo videre poteſt, niſi ex Senſu ſpirituali Verbi, & nemo Senſum Spiritualem niſi ex Scientia correſpondentiarum, nam omnes voces ſunt correſpondentiæ, & nulla vox ibi eſt vana. Scientia correſpondentiarum docet, quid ſignificat Equus albus, & quid Sedens ſuper illo, quid Oculi qui ſicut flamma ignis, quid Diademata quæ ſuper capite, quid Veſtimentum tinctum ſangvine, quid Byſſinum album, quo induti qui ab exercitu Ipſius in Cælo, quid Angelus ſtans in ſole, quid Cæna magna ad quam venirent & congregarentur, tum quid Carnes regum, & chiliarchorum, & plurium aliorum, quas comederent. Quid autem ſingula in Senſu ſpirituali ſignificant, videatur in Opuſcnlo de Equo albo, ubi explicata ſunt; quare illa ulterius explicare hic ſuperſedetur: oſtenſum eſt in illo Opuſculo, quod Dominus quoad Verbum ibi deſcribatur, & quod per Oculos Ipſius qui ſicut flamma ignis, & per Diademata quæ ſuper capite, & per Nomen quod nemo ſcit niſi Ipſe, intelligatur Senſus ſpiritualis Verbi, & quod nemo illum ſciat niſi Ipſe Dominus, & Cui Ipſe vult illum revelare; tum quod per Veſtimentum tinctum ſangvine, intelligatur Senſus naturalis Verbi, qui eſt Senſus literæ ejus, cui violentia illata eſt: quod ſit Verbum, quod ita deſcribitur,

mani-

manifeste patet, nam dicitur, VOCATUR NOMEN EJUS VERBUM DEI; & quod sit Dominus qui intelligitur, etiam manifeste patet, nam dicitur quod Nomen Sedentis super equo scriptum sit, REX REGUM ET DOMINUS DOMINORUM. Quod Sensus Spiritualis Verbi aperiendus sit in fine Ecclesiæ, significatur non modo per illa quæ de Equo & de Sedente super illo nunc dicta sunt, sed etiam per Cœnam magnam, ad quam per Angelum in sole stantem omnes invitati sunt ut venirent, ac ederent carnes regum & chiliarchorum, fortium, equorum, sedentium super illis, omnium liberorum & servorum: omnes hæ expressiones forent voces vanæ, & absque Vita & Spiritu, nisi Spirituale intus in illis esset, sicut anima in corpore.

10, In Apocalypsi Cap. XIX describitur ita Sancta Hierosolyma, „ *Quod in illa esset Luminare simile Lapidi pretiosissimo, sicut lapidi jaspidi, instar Chrystalli splendenti. Quod haberet Murum magnum & altum, habentem Portas duodecim, & super portis Angelos duodecim, & Nomina Scripta duodecim Tribuum filiorum Israelis. Quod Murus esset* 144 *cubitorum, quæ est mensura Hominis, hoc est, Angeli. Et quod structura Muri esset jaspis, & fundamenta ejus ex omni lapide pretioso, ex jaspide, sapphiro, chalcedonio, smaragdo, sardonyche, sardio, chrysolitho, beryllo, topazio, chrysopraso, hyacintho & amethisto. Quod duodeum Portæ essent duodecim margaritæ. Quod ipsa Civitas esset aurum purum, simile vitro puro; & quod esset quadrangularis; longitudo, latitudo, & altitudo essent æquales*, 12000 *stadiorum*: præter plura. Quod omnia hæc Spiritualiter intelligenda sint, constare potest ex eo, quod per Sanctam Hierosolymam significetur nova Ecclesia, quæ a Domino instauranda est, ut in DOCTRINA de DOMINO n. 62 ad 65, ostensum est: & quia per Hierosolymam ibi significatur Ecclesia, sequitur, quod omnia, qnæ dicuntur de illa, ut Civitate, de portis ejus, de muro ejus, de fundamentis muri, tum quæ de mensuris eorum, sensum spiritualem contineant, nam illa, quæ Ecclesiæ sunt, Spiritualia sunt. Quid autem singula significant, in Opere de NOVA HIEROSOLYMA Londini Anno 1758, edito, n. 1, explicatum est, quare ulterius illa explicare, supersedeo. Satis est, ut inde sciatur, quod sensus Spiritualis insit singulis descriptionis ejus, ut anima corpori; & quod absque illo sensu, nihil Ecclesiæ intelligeretur in illis quæ ibi scripta sunt, ut quod Civitas esset ex puro auro, portæ ejus ex margaritis, murus ex jaspide, fundamenta muri en lapidibus pretiosis, quod Murus esset 144 cubitorum, quæ mensura hominis, hoc est, angeli, quod ipsa urbs esset longitudine, latitudine & altitudine 12000 stadiorum, & plura. Qui autem ex Scientia correspondentiarum sensum Spiritualem novit, is intelligit illa, ut quod Murus & fundamenta ejus significent Doctrinam ex sensu literali Verbi, & quod numeri 12. 144. 12000 similia significent, nempe omnia vera & bona Ecclesiæ in uno complexu.

11. In Apocalypsi Cap. VII, dicitur, „ *Quod* 144000 *obsignati essent*, 1200 *ex unaquavis Tribu Israelis, totidem ex Tribu Jehudæ, ex Tribu Rubenis, Gadis, Ascheris, Naphtali, Menassis, Simeonis, Levi, Jisaschi, Zebulonis, Josephi & Benjaminis.* Sensus Spiritualis horum est, quod omnes, apud quos Ecclesia a Domino est, salventur: in Spirituali enim sensu per signari in frontibus seu obsignari, significatur agnosci a Domino & salvari; per duodecim Tribus Israelis

lis, ſignificantur omnes ab illa Eccleſia; per 12. 1200. & 144000 omnes, per Iſraelem Eccleſia, & per unamquamvis Tribum aliquod ſpecificum Eccleſiæ: qui hoc illorum verborum Spirituale non ſcit, opinari poteſt quod ſolum tot ſalvandi ſint, & illi modo a Gente Iſraelitica & Judaica.

12. In Apocalypſi Cap. VI dicitur „ *Quod, cum Agnus aperuit Primum ſigillum Libri, exiret Equus albus, & quod ſedens ſuper illo haberet arcum, cui data eſt corona: quod, cum aperuit Secundum Sigillum, exiret Equus rufus, & quod ſedenti ſuper illo data eſſet machæra magna: quod, cum aperuit Tertium ſigillum, exiret Equus niger, & quod ſedens ſuper illo in manu teneret ſtateram: & quod, cum aperuit Quartum ſigillum, exiret Equus pallidus, & quod Nomen ſedentis ſuper illo eſſet Mors.* Quid hæc ſignificant, ſolum per ſenſum Spiritualem poteſt evolvi, & plene evolvitur, dum ſcitur quid ſignificat aperitio ſigillorum, quid equus, & quid reliqua: per illa deſcribuntur ſucceſſivi ſtatus Eccleſiæ quoad intellectum Verbi, a principio ad finem ejus; per aperitionem ſigillorum Libri ab Agno, ſignificatur manifeſtatio illorum ſtatuum Eccleſiæ a Domino; per Equum intellectus Verbi; per Equum album intellectus veri ex Verbo in primo Eccleſiæ ſtatu; per arcum ſedentis ſuper illo equo, Doctrina charitatis & fidei pugnans contra falſa; per coronam vita æterna victoriæ præmium: per Equum rufum, ſignificatur intellectus Verbi deperditus quoad bonum in ſecundo Eccleſiæ ſtatu, per machæram magnam, falſum pugnans contra verum: per Equum nigrum ſignificatur intellectus Verbi deperditus quoad verum in tertio Eccleſiæ ſtatu; per ſtateram æſtimatio veri tam parva ut vix aliqua: per Equum pallidum ſignificatur intellectus Verbi nullus ex malis vitæ & inde falſis in quarto ſeu ultimo Eccleſiæ ſtatu, & per mortem damnatio æterna. Quod talia in ſenſu Spirituali per illa ſignificentur, non apparet in ſenſu literæ ſeu naturali; quare niſi ſenſus Spiritualis ſemel aperiretur, Verbum quoad hoc & quoad reliqua in Apocalypſi, foret clauſum, adeo ut tandem nullus ſciret, in quo Sanctum Divinum ibi lateret. Pariter quid ſignificatur per quatuor Equos & per quatuor Currus exeuntes abinter duos montes æris, apud Sachariam Cap. VI. 1 ad 8.

13. In Apocalypſi Cap. IX. legitur „ *Quintus Angelus clanxit, & vidi ſtellam e Cælo delapſam in terram, & data ei clavis putei abyſſi; & aperuit puteum abyſſi, & aſcendit fumus ex puteo ſicut fumus fornacis magnæ; & obſcuratus eſt ſol & aer ex fumo putei; & e fumo exiverunt Locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpii terræ: figuræ locuſtarum ſimiles equis paratis ad bellum; & ſuper capitibus illarum ſicut coronæ ſimiles auro, & facies illarum ſicut facies hominum; & habebant capillos ſicut capillos mulierum, & dentes earum ſicut leonum erant; & habebant thoraces ferreos; & vox illarum ſicut vox curruum multorum currentium in bellum: & habebant caudas ſimiles ſcorpiis, & aculei erant in caudis illarum; & poteſtas illarum lædere homines menſibus quinque; & habebant ſuper ſe regem, angelum abyſſi, nomen ei Hebraice Abaddon, in Græca nomen habet Apollyon.* Hæc nec ullus intellecturus eſſet, niſi ei revelatus eſſet ſenſus Spiritualis, nam nihil ibi inaniter dictum eſt, omnia quoad ſingula ſignificant: agitur ibi de ſtatu Eccleſiæ, quando omnes cognitiones veri ex Verbo deperditæ ſunt, & inde homo ſenſualis factus perſuadet ſibi quod falſitates ſint veritates. Per ſtellam e cælo delapſam ſignificantur cognitiones veri deperditæ; per ſolem & aerem ob-

obſcuratum ſignificatur lux veri caligo facta; per locuſtas, quæ e fumo putei illius exiverunt, ſignificantur falſa in extremis, qualia ſunt illis qui ſenſuales facti ſunt, & omnia vident & judicant ex fallaciis; per ſcorpium ſignificatur perſvaſivum eorum; quod locuſtæ apparuerint ſicut equi parati ad bellum, ſignificat ratiocinationes illorum ſicut ex intellectu veri; quod locuſtis coronæ ſimiles auro ſuper capite fuerint, & quod facies illarum ſicut facies hominum, ſignificat quod apparerent ſibi ſicut victores & ſapientes; quod illis capilli ſicut capilli mulierum, ſignificat quod apparerent ſibi ſicut in affectione veri eſſent; quod illis dentes ſicut leonum, ſignificat quod ſenſualia, quæ ſunt ultima naturalis hominis, apparerent illis ſicut in potentia ſuper omnia: quod illis thoraces ſicut thoraces ferrei, ſignificat argumentationes ex fallaciis per quas pugnant & valent: quod illis vox alarum ſicut vox curruum currentium in bellum, ſignificat ratiocinationes ſicut a veris doctrinæ ex Verbo, pro quibus pugnandum; quod illis caudæ ſicut ſcorpiis, ſignificat perſuaſiones; quod illis aculei in caudis, ſignificat aſtutias fallendi per illas: quod illis poteſtas lædendi homines menſibus quinque, ſignificat quod in aliquem ſtuporem inducant illos qui in intellectu veri & in perceptione boni ſunt: quod haberent ſuper ſe regem, angelum abyſſi, cui nomen Abaddon aut Apollyon, ſignificat quod falſa illorum eſſent ab inferno, ubi mere naturales, & in propria intelligentia. Hic illorum verborum ſenſus ſpiritualis eſt, ex quo non aliquid apparet in ſenſu literæ. Simile eſt ubivis in Apocalypſi. Sciendum eſt, quod in ſenſu ſpirituali omnia cohæreant in continuo nexu, ad quem concinnandum unaquævis vox in ſenſu literæ ſeu naturali conducit; quare ſi vocula auferretur, nexus rumperetur & copula periret; ideo, ne id fieret, in fine hujus Libri Prophetici adjectum eſt, *Quod non auferretur verbum*, Apoc. XXII. 19. Simile eſt cum Libris Prophetarum Veteris Teſtamenti, e quibus ne aliquid auferretur, ex Divina Providentia Domini factum eſt, ut ſingula in illis uſque ad literas numerata eſſent, hoc a Maſoretis.

14. Ubi Dominus de Conſummatione ſæculi, quæ eſt ultimum tempus Eccleſiæ coram Diſcipulis ſuis loquitur, ad finem Prædictionum de ſucceſſivis ſtatus multationibus ejus, dicit „ *Statim poſt afflictionem dierum illorum Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cælo, & potentiæ cælorum commovebuntur. Et tunc apparebit ſignum Filii hominis in Cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ; & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli cum potentia & gloria multa. Et emittet Angelos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos Ipſius a quatuor ventis, ab extremo cælorum uſque ad extremum illorum* „ Matth. XXIV. 29. 30. 31. Per hæc in ſenſu ſpirituali non intelligitur, quod Sol & Luna obſcurarentur, quod Stellæ caderent de cælo, quodque appariturum eſſet ſignum Domini in cælo, & quod viſuri Ipſum in nubibus, & ſimul Angelos cum tubis; ſed per ſingula verba ibi intelliguntur ſpiritualia, quæ Eccleſiæ ſunt, de cujus ſtatu in fine, illa dicta ſunt: in ſenſu enim ſpirituali per Solem qui obſcurabitur, intelligitur Dominus quoad amorem; per Lunam quæ non dabit lumen ſuum, Dominus quoad fidem; per Stellas quæ cadent de cælo, cognitiones boni & veri quæ perituræ; per ſignum Filii hominis in cælo,

apparitio Divini Veri; per tribus terræ quæ plangent, defectus omnis veri quod fidei & boni quod amoris; per adventum Filii hominis in nubibus cæli cum potentia & gloria, præsentia Domini in Verbo & revelatio; per nubes significatur Verbi sensus literæ, & per gloriam Verbi sensus spiritualis; per Angelos cum tuba & voce magna, significatur cælum unde Divinum Verum; per congregare electos a quatuor ventis ab extremo cælorum ad extremum illorum, significatur novum Ecclesiæ quoad amorem & fidem. Quod non intelligatur obscuratio Solis & Lunæ, ac delapsus stellarum in terram, constat manifeste ex Prophetis, apud quos similia dicuntur de Ecclesiæ statu, quando Dominus in Mundum venturus est, ut apud Esajam „ *Ecce dies Jehovæ venit sævus & excandescentiæ iræ; Stellæ cælorum, & sidera illorum non lucebunt luce sua, obtenebrabitur Sol in ortu suo, & Luna non splendere faciet lumen suum: visitabo super orbem malitiam*,, XXIV. 21. 23. Apud Joelem,, *Venit dies Jehovæ, dies tenebrarum & caliginis; Sol & Luna atrati erunt; & Stellæ contrahent splendorem suum*,, III. 4. Cap. IV. 15. Apud Ezechielem,, *Obtegam Cælos, & atrabo Stellas, Solem nube obtegam, & Luna non lucere faciet lumen suum: omnia Luminaria lucis obtenebrabo, & dabo tenebras super terra*,, XXII. 7. 8: per diem Jehovæ intelligitur adventus Domini, qui fuit, quando non amplius erat aliquod bonum & verum in Ecclesia residuum, & non aliqua cognitio Domini.

15. Ut videatur quod Prophetica Verbi Veteris Testamenti in multis locis absque sensu Spirituali non intelligantur, velim solum aliqua adducere, ut hoc apud Esajam,, *Tunc excitabit Jehovah contra Aschurem flagellum, juxta plagam Midianis in petra Oreb, & baculus ejus super mari, quem tollet in via Ægypti. Et fiet in die recedet onus ejus desuper humero tuo, & jugum desuper collo tuo; veniet contra Ajath, transibit in Migronem, contra Mischmath mandabit armis suis, transibunt Mebaram, Gibea diversorium nobis, trepidabit Ramah, Gibea Schaulis fugiet: ejula voce tua filia Gallim, ausculta Lajisch, misera Anatoth; vagabitur Madmena; habitatores Gebim congregabunt se: adhuc ne dies in Nob ad consistendum; movebit manum suam mons filiæ Zionis, collis Hierosolymæ. Jehovah excidet implexa sylvæ ferro, & Libanus per Magnificum cadet*,, X. 24 ad 34. hic sola Nomina occurrunt, ex quibus nihil potest hauriri nisi ope Sensus spiritualis, in quo omnia Nomina in Verbo significant res Cæli & Ecclesiæ: ex illo Sensu colligitur, quod per illa significetur, quod tota Ecclesia per Scientifica pervertentia omne verum & confirmantia falsum, devastata sit. Alibi apud Eundem Prophetam,, *In die illo recedet æmulatio Ephraimi, & hostes Jehudæ exscindentur; Ephraim non æmulabitur cum Jehudah, & Jehudah non angustabit Ephraimum, sed involabunt in humerum Philisthæorum versus mare, una deprædabuntur filios Orientis; Edomus & Moabus emissio manus eorum: contra devovebit Jehovah linguam maris Ægypti, & agitabit manum suam super fluvium cum vehementia spiritus sui, & percutiet eum in septem rivos, ut viam faciat cum calceis: tunc erit semita reliquiis populi ejus, quæ residuæ erunt ab Aschure*,, XII. 13 ad 16; hic quoque nemo, nisi qui scit quid per singula nomina ibi significatur, visurus est aliquod Divinum, cum tamen agitur ibi de Adventu Domini, & quid tunc fiet, ut manifeste patet a Vers. 1 ad 10 ibi: quis itaque absque ope sensus spiritualis visurus est, quod

per

per illa in suo ordine significetur hoc, quod illi qui in falsis ex ignorantia sunt, & se non a malis seduci passi sunt, ad Dominum accessuri sint, & quod Ecclesia tunc intellectura sit Verbum, & quod falsa tunc illis non amplius nocitura sint. Similiter ubi non sunt nomina, ut apud Ezechielem,, *Sic dixit Dominus Jehovih, Fili hominis, dic avi omnis alæ, & omni feræ agri, congregamini & venite, congregate vos a circuitu ad Sacrificium meum, quod sacrifico vobis, sacrificium magnum super montibus Israelis: ut comedatis carnem, & bibatis sanguinem, carnem fortium comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis; comedetis adipem ad satietatem, & bibetis sanguinem usque ad ebrietatem, de sacrificio meo quod sacrifico vobis. Satiabimini super mensa mea, equo & curru, & forti, & omni viro belli: sic dabo gloriam meam inter gentes* ,, XXXIX: 17 ad 21; qui non ex Sensu spirituali scit, quid significat sacrificium, quid caro & sanguis, quidque equus, currus, fortis & vir belli, non sciturus est aliud, quam quod comesturi & bibituri sint talia; sed Sensus spiritualis docet, quod per comedere carnem & bibere sanguinem de sacrificio quod Dominus Jehovih super montibus Israelis dabit, significetur appropriare sibi Divinum bonum & Divinum verum ex Verbo; agitur enim ibi de convocatione omnium ad Regnum Domini, & in specie de instauratione Ecclesiæ apud gentes a Domino: quis non videre potest, quod non caro per carnem, nec sanguis per sanguinem ibi intelligatur, ut quod sanguinem biberent usque ad ebrietatem, & quod satiarentur equo, curru, forti & omni viro belli. Similiter in mille aliis locis apud Prophetas.

16. Absque Sensu Spirituali non aliquis sciret, quare mandatum est Jeremiæ Prophetæ, ut emeret sibi cingulum, & poneret super lumbis, non traduceret illud per aquas,, & absconderet in foramine petræ juxta Euphratem, Jerem. XIII 1 ad 7. Quod mandatum sit Esajæ Prophetæ, quod dissolveret saccum desuper lumbis, & calceum exueret desuper pede suo, ac iret nudus & discalceatus tres annos,, Esaj. XX. 2. 3. Quod mandatum sit Ezechieli Prophetæ, quod novaculam traduceret super caput suum & super barbam suam, & postea divideret illa, tertiam partem combureret in medio urbis, tertiam percuteret gladio, tertiam dispergeret in ventum, & parum ex illis alligaret in alis, tandem projiceret in medium ignis,, Ezech. V: 1 ad 4. Quod eidem Prophetæ mandatum sit, quod cubaret super latere suo dextro & sinistro 390 & 40 dies, & faceret sibi placentam ex triticis, hordeis, miliis & zeis cum excrementis bovis, & comederet illam; ac interea poneret vallum & aggerem contra Hierosolymam, & obsideret illam,, Ezech. IV: 1 ad 15. Quod Hoscheæ Prophetæ bis mandatum sit ut acciperet sibi meretricem in uxorem, Hosch. I: 2 ad 9. Cap. III: 2. 3; & plura similia. Præterea quis absque Sensu spirituali sciret quid significatur per omnia Tabernaculi, ut per Arcam, Propitiatorium, Cherubos, Candelabrum, Altare suffitus, Panes facierum super mensa, perque vela & aulæa ejus. Quis absque Sensu Spirituali sciret, quid significatur per Vestes sanctitatis Aharonis, ejus Tunicam, Pallium, Ephodum, Urim & Thumim, Cidarim, & plura ejus. Quis absque Sensu Spirituali sciret quid significatur per omnia illa, quæ mandata sunt de Holocaustis, Sacrificiis, Minchis & Libaminibus: tum de Sabbathis & Festis: veritas est, quod non mini-

mum de illis fuerit mandatum, quod non aliquid Domini, Cæli & Ecclesiæ significaverit. En his paucis evidenter videri potest, quod Sensus Spiritualis sit in omnibus & singulis Verbi.

17. Quod Dominus cum in mundo fuit, loquutus sit per correspondentias, ita spiritualiter cum naturaliter, constare potest ex Parabolis Ipsius, in quarum singulis vocibus inest Sensus Spiritualis: exemplo sit Parabola de decem Virginibus: Dixit ,, *Simile est Regnum Cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampadas suas exiverunt in occursum Sponsi: quinque ex illis erant prudentes, quinque vero stultæ: quæ erant stultæ, accipientes lampadas suas non acceperunt oleum, prudentes vero acceperunt oleum in lampadibus suis. Tardante vero Sponso dormitarunt omnes & obdormierunt: media autem nocte clamor factus est, ecce Sponsus venit, exite in occursum ejus: tunc expergefactæ omnes Virgines istæ, & adornarunt lampadas suas: verum stultæ prudentibus dixerunt, date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur; verum responderunt prudentes, dicentes, ne forte non sufficiat nobis & vobis; abite potius ad vendentes, & emite vobis ipsis. At abeuntibus illis ad emendum, venit Sponsus, & paratæ ingressæ sunt cum Ipso ad nuptias, & ostium clausum est. Et tandem veniunt etiam reliquæ Virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; Ille vero respondens dixit, Amen dico vobis, non novi vos* ,, Matth. XXV: 1 ad 12. Quod in singulis his sit Sensus Spiritualis, & inde Sanctum Divinum, non videt nisi qui scit, quod Sensus Spiritualis sit, & qualis ille: in Sensu Spirituali per Regnum Dei, intelligitur Cælum & Ecclesia, per Sponsum Dominus, per Nuptias conjugium Domini cum Cælo & Ecclesia per bonum amoris & fidei; per Virgines significantur illi qui ab Ecclesia sunt, per decem omnes, per quinque aliquæ, per lampades vera fidei, per oleum bonum amoris, per dormire & expergisci vita hominis in mundo quæ naturalis & vita ejus post mortem quæ spiritualis; per emere, comparare sibi; per ire ad vendentes & emere oleum, comparare sibi bonum amoris ab aliis post mortem; & quia tunc non amplius comparatur, ideo tametsi cum lampadibus & empto oleo ad ostium, ubi nuptiæ erant, venerunt, usque illis dictum est a Sponso, non novi vos: causa est, quia homo post vitam in mundo manet qualis in mundo vixerat. Ex his patet quod Dominus per meras correspondentias loquutus sit, & hoc quia ex Divino, quod in Ipso & Ipsius erat. Quod Sponsus significet Dominum & Regnum cælorum Ecclesiam, & quod Nuptiæ significent conjugium Domini cum Ecclesia per bonum amoris & fidei, Virgines illos qui ab Ecclesia, Decem omnes, Quinque aliquos, Dormire statum naturalem, Emere comparare sibi, Ostium ingressum ad Cælum, ac non nosse, cum a Domino, non esse in amore Ipsius, constare potest a multis locis in Verbo Prophetico, ubi illa significant similia. Quia Virgines significant illos qui ab Ecclesia sunt, ideo toties in Verbo Prophetico dicitur Virgo & Filia Zionis, Hierosolymæ, Israelis; & quia Oleum significat bonum amoris, ideo omnia Sancta Ecclesiæ Israeliticæ oleo ungebantur. Simile est in reliquis Parabolis, & in omnibus verbis quæ Dominus loquutus est, & apud Evangelistas scripta sunt; inde est quod Dominus dicat quod Verba Ipsius Spiritus & Vita sint, Joh. VI. 63. Simile est cum omnibus Domini Miraculis, quæ Divina erant, quia varios status, apud quos Ec-

Ecclesia a Domino instauranda erat, significaverunt; ut quod Cæci receperint visum, significavit quod illi intelligentiam, qui in ignorantia veri fuerunt, acciperent; quod surdi receperint auditum, significavit quod illi auscultarent & obedirent, qui nihil prius de Domino & de Verbo audiverunt; quod mortui resuscitati sint, significavit quod vivi fierent qui alioquin spiritualiter perirent, & sic porro: hoc intelligitur per Domini responsum ad discipulos Johannis, interrogantis num Ille esset qui venturus,, *Annuntiate Johanni, quæ auditis & videtis, Cæci vident, & Claudi ambulant, Leprosi mundantur, & Surdi audiunt, Mortui resurgunt, & Pauperes audiunt Evangelium*,, Matth. XI. 3. 4. 5. Præterea omnia Miracula in Verbo memorata, in se continent talia, quæ Domini, Cæli & Ecclesiæ sunt, per id sunt illa Miracula Divina, & distinguuntur a Miraculis non Divinis. Hæc pauca sint illustrationi, quid Sensus Spiritualis, & quod ille sit in omnibus & singulis Verbi.

18. III. *Quod ex Sensu Spirituali sit, quod Verbum sit Divinitus inspiratum, & in omni voce Sanctum.* Dicitur in Ecclesia quod Verbum sit Sanctum, at hoc quia Jehovah Deus illud loquutus est; sed quia Sanctum ejus ex sola litera non apparet, ideo qui propterea de Sanctitate ejus semel dubitat, deinde ille cum legit Verbum, se per multa ibi se confirmat; cogitat enim tunc, num hoc Sanctum, num hoc Divinum: ne itaque talis cogitatio apud multos influat & postea invalescat, & per id conjunctio Domini cum Ecclesia, in qua est Verbum, pereat, placuit Domino nunc Sensum Spiritualem revelare, ut sciatur ubinam illud Sanctum in Verbo latet. Sed exempla hoc quoque illustrent: in Verbo nunc agitur de Ægypto, nunc de Aschure, nunc de Edomo, de Moabo, de filiis Ammonis, de Tyro & Zidone, de Gogo; qui non scit, quod per Nomina illorum significentur res Cæli & Ecclesiæ, in errorem abduci potest, quod Verbum multum de gentibus & populis agat, & modo parum de Cælo & Ecclesia, ita multum de terrestribus & parum de cælestibus: sed cum ille scit, quid per illos seu per nomina illorum significatur, ab errore in veritatem potest venire: similiter dum in Verbo videt, quod ibi toties nominentur Horti, Luci, Sylvæ, tum Arbores illorum, ut Olea, Vitis, Cedrus, Populus, Quercus; ut & quod toties Agnus, Ovis, Hircus, Vitulus, Bos; & quoque Montes, Colles, Valles, & ibi Fontes, Fluvii, Aquæ, & plura similia; ille, qui nihil scit de Sensu Spirituali Verbi, non potest aliter credere, quam quod solum illa sint quæ intelliguntur; non scit enim quod per hortum, lucum & sylvam intelligantur sapientia, intelligentia & scientia; quod per oleam, vitem, cedrum, populum & quercum intelligantur Ecclesiæ bonum & verum cæleste, spirituale, rationale, naturale & sensuale; quod per agnum, ovem, hircum, vitulum, bovem, intelligantur innocentia, charitas, & affectio naturalis; quod per montes, colles & valles intelligantur superiora, inferiora & infima Ecclesiæ; tum quod per Ægyptum significetur scientia, per Aschurem ratio, per Edomum naturale, per Moabum adulteratio boni, per filios Ammonis adulteratio veri, per Tyrum & Zidonem cognitiones veri & boni, per Gogum cultus externus absque interno; cum autem hæc scit, tunc potest cogitare, quod Verbum non agat nisi quam de Cælestibus, & quod terrestria illa modo

ſint ſubjecta, in quibus illa ſunt. Sed exemplum ex Verbo hoc etiam illuſtret; legitur apud Davidem „ *Vox Jehovæ ſuper aquis, Deus gloriæ tonare facit, Jehovah ſuper aquis magnis: vox Jehovæ frangens cedros, confringit Jehovah cedros Libani, & ſaltare facit eos ſicut vitulum, Libanum & Schirjonem ſicut filium monocerotum; vox Jehovæ incidens ut flamma ignis: vox Jehovæ trepidare facit deſertum, trepidare facit deſertum Kadeſh. Vox Jehovæ parturire facit cervas, & denudat ſylvas; ſed in Templo Ipſius quivis dicit gloriam*,, Pſalm. XXIX. 3 ad 9: qui non ſcit, quod ſingula ibi quoad unamquamvis vocem Sancta Divina ſint, ille poteſt, ſi mere naturalis eſt, ſecum dicere, quid hoc, quod Jehovah ſedeat ſuper aquis, quod per vocem ſuam frangat cedros, ſaltare faciat illos ſicut vitulum, & Libanum ſicut filium monocerotum, quod parturire faciat cervas, & plura; neſcit enim, quod potentia Divini Veri ſeu Verbi per illa in Senſu Spirituali deſcripta ſit; nam in illo Senſu, per vocem Jehovæ, quæ ibi eſt tonitru, intelligitur Divinum Verum ſeu Verbum in ſua potentia; per aquas magnas, ſuper quibus Jehovah ſedet, intelliguntur vera ejus; per cedros & per Libanum, quos frangit & confringit, intelliguntur falſa rationalis hominis, per vitulum & filium monocerotum, falſa naturalis & ſenſualis hominis; per flammam ignis, affectio falſi; per deſertum & deſertum Kadeſh, Eccleſia ubi non aliquod verum & bonum; per cervas, quas vox Jehovæ parturire facit, intelliguntur gentes quæ in bono naturali ſunt: & per ſylvas quas denudat, intelliguntur ſcientiæ & cognitiones, quas Verbum illis aperit; quare ſequitur, in Templo Ipſius quivis dicit gloriam, per quod intelligitur, quod in ſingulis Verbi ſint Divina vera, Templum enim ſignificat Dominum, & inde Verbum, tum Cælum & Eccleſiam, & gloria ſignificat Divinum Verum. Ex his patet, quod nulla vox ibi ſit, quæ non Divinam potentiam Verbi contra falſa omnis generis apud naturales homines, ac Divinam potentiam reformandi gentes, deſcribit.

19. Eſt Senſus adhuc interior in Verbo, qui CÆLESTIS vocatur, de quo aliquid ſupra n. 6, dictum eſt; ſed hic Senſus ægre poteſt enodari, non enim ita cadit in cogitationem intellectus, ſicut in affectionem voluntatis. Quod interior adhuc Senſus, quæ Cæleſtis vocatur, inſit Verbo, eſt quia a Domino procedit Divinum Bonum & Divinum Verum, Divinum Bonum ex Divino Amore Ipſius, & Divinum Verum ex Divina ſapientia Ipſius; utrumque eſt in Verbo, nam Verbum eſt Divinum Procedens: & quia utrumque eſt, ideo Verbum vivificat illos, qui id ſancte legunt: ſed de hac re dicetur in Articulo, ubi demonſtrabitur, quod in ſingulis Verbi ſit conjugium Domini & Eccleſiæ, & inde conjugium boni & veri.

20. IV. *Quod Senſus Spiritualis Verbi hactenus ignotus fuerit.* Quod omnia & ſingula quæ in natura ſunt, correſpondeant Spiritualibus, ſimiliter omnia & ſingula, quæ in corpore humano, oſtenſum eſt in Opere de CÆLO ET INFERNO n. 87 ad 105; ſed quid Correſpondentia, hactenus neſcitum eſt; verum in Antiquiſſimis temporibus, notiſſima fuit; illis enim, qui tunc vixerunt, fuit Scientia correſpondentiarum Scientia ſcientiarum, & tam univerſalis, ut omnes illorum Codices & Libri per Correſpondentias ſcripti ſint: Liber Hiobi, qui eſt Liber antiquus, correſpondentiis plenus eſt. Hieroglyphica Ægyptio-

rum,

rum, & quoque Fabulosa Vetustissimorum non alia fuerunt, Omnes Ecclesiæ Antiquæ fuerunt Ecclesiæ Repræsentativæ Cælestium, Ritus illarum, & quoque Statuta, secundum quæ institutus fuit Cultus illarum, constabant ex meris Correspondentiis; similiter omnia Ecclesiæ apud filios Jacobi; Holocausta & Sacrificia cum singulis illorum, Correspondentiæ fuerunt; similiter Tabernaculum cum omnibus inibi; tum etiam Festa illorum, ut Festum azymorum, Festum tabernaculorum, & Festum primitiarum: etiam Sacerdotium Aharonis & Levitarum, ut & Vestes Sanctitatis Aharonis & filiorum ejus; & præterea omnia Statuta & Judicia, quæ cultum & vitam illorum concernebant: & quia Divina in mundo se sistunt per Correspondentias, ideo Verbum per meras correspondentias scriptum est; quare Dominus, quia loquutus est ex Divino suo, loquutus est per correspondentias, nam quod a Divino est, hoc in natura cadit in talia, quæ Divinis correspondent, & quæ tunc Divina, quæ vocantur Cælestia & Spiritualia, in sinu suo recondunt.

21. Instructus sum, quod homines Antiquissimæ Ecclesiæ, quæ fuit ante Diluvium, tam cælesti genio fuerint, ut loquuti sint cum Angelis cæli, & quod loqui potuerint cum illis per correspondentias; inde status Sapientiæ illorum factus est talis, ut quicquid viderent in tellure, non modo cogitarent de illo naturaliter, sed etiam simul spiritualiter, ita quoque conjunctim cum Angelis. Insuper instructus sum, quod Chanoch, de quo memoratur in Genesi Cap. V. 21 ad 24, cum consociis suis, ex ore illorum collegerit correspondentias, ac scientiam illarum propagaverit ad posteros; ex quo factum est, quod Scientia correspondentiarum in multis Regnis Asiæ non modo nota fuerit, sed etiam exculta, imprimis in Terra Canaane, Ægypto, Assyria, Chaldæa, Syria, Arabia, in Tyro, Zidone, Ninive; & quod inde e locis maritimis translata sit in Græciam, sed ibi versa in Fabulosa, ut constare potest ex Vetustissimorum scriptis ibi.

22. Sed cum Repræsentativa Ecclesiæ, quæ erant Correspondentiæ, temporis tractu versa sunt in Idololatrica, & quoque in Magica, tunc illa Scientia ex Divina Domini Providentia successive obliterata est, & apud Gentem Israeliticam & Judaicam prorsus deperdita & exstincta. Cultus quidem hujus Gentis constabat ex meris Correspondentiis, & inde erat ille repræsentativus Cælestium, sed usque illi nesciebant quid aliquod significabat; erant enim prorsus naturales homines, & inde non scire volebant nec poterant aliquid de Spiritualibus, proinde nec aliquid de Correspondentiis.

23. Quod Idololatriæ Gentium antiquis temporibus ex scientia correspondentiarum traxerint originem, erat ex causa, quia omnia quæ apparent super tellure, correspondent, ita non modo arbores, sed etiam pecudes & aves omnis generis, tum pisces & reliqua; Antiqui, qui in Scientia correspondentiarum fuerunt, fecerunt sibi imagines, quæ cælestibus correspondebant, & illis delectabantur quia significabant talia quæ Cæli & inde Ecclesiæ erant, & ideo illa non modo in suis Templis, sed etiam in suis domibus posuerunt, non adorationis causa sed recordationis rei cælestis, quam significabant; inde in Ægypto & alibi fuerunt in imagine vituli, boves, serpentes; tum pueri, senes,

vir-

virgines, quia vituli & boves ſignificabant affectiones & vires naturalis hominis, ſerpentes prudentiam ſenſualis hominis, pueri innocentiam & charitatem, ſenes ſapientiam, & virgines affectiones veri, & ſic porro. Poſteri, quando Scientia correſpondentiarum obliterata eſt, cæperunt imagines & ſimulachra ab Antiquis poſita, quia in Templis, & juxta illa, colere ut Sancta, & tandem ut Numina. Similiter apud alias gentes, ſicut apud Philiſthæos in Aſthdodo Dagon, de quo I Sam. V. 1 ad fin: qui ſuperius fuit ſicut homo, inferius ſicut piſcis, quæ imago inventa fuit, quia homo ſignificat intelligentiam, & piſcis ſcientiam, quæ unum faciunt. Inde erat quoque Antiquis cultus in hortis & in lucis ſecundum arborum ſpecies, tum etiam ſuper montibus & collibus; horti emim & luci ſignificabant ſapientiam & intelligentiam, & unaquævis arbor aliquid illarum, ſicut olea bonum amoris, vitis verum ex illo bono, cedrus bonum & verum rationale, & mons ſignificabat cælum ſupremum, & collis cælum ſub illo. Quod Scientia correſpondentiarum permanſerit apud plures Orientales uſque ad adventum Domini, conſtare poteſt ex Sapientibus ab oriente, qui venerunt ad Dominum cum natus eſt, quare illis præivit ſtella, & illi ſecum tulerunt dona, Aurum, Thus & Myrrham, Matth. II. 1. 2. 9. 10. 11, Stella enim, quæ præivit, ſignificabat cognitionem e Cælo, aurum ſignificabat bonum cæleſte, thus bonum ſpirituale, & myrrha bonum naturale, ex quibus tribus eſt omnis cultus. Sed uſque Scientia correſpondentiarum prorſus nulla fuit apud gentem Iſraeliticam & Judaicam, tametſi omnia cultus illorum, & omnia judicia & ſtatuta illis per Moſen data, & omnia Verbi erant meræ correſpondentiæ: cauſa erat, quia illi corde idololatræ erant, & tales ut ne quidem ſcire vellent, quod aliquid cultus illorum ſignificaret Cæleſte & Spirituale; volebant enim ut illa omnia Sancta eſſent ex ſe & cum illis; quare ſi illis cæleſtia & ſpiritualia detecta fuiſſent, non modo rejeciſſent illa, ſed etiam prophanaviſſent; quapropter Cælum illis ita clauſum fuit, ut vix ſcirent quod vita æterna daretur; quod ita ſit, manifeſte patet ex eo, quod non agnoſcerent Dominum, tametſi univerſa Scriptura ſacra de Ipſo prophetavit, & Ipſum prædixit, rejecerunt Ipſum propter illam ſolam cauſam, quia illos de Regno cæleſti, & non de Regno terreſtri docuit; voluerunt enim Meſſiam, qui illos ſuper omnes gentes in univerſo mundo exaltaret, & non aliquem Meſſiam, qui ſaluti eorum æternæ conſuleret. Præterea affirmant, quod Verbum in ſe contineat multa arcana, quæ myſtica vocantur, ſed non ſcire volunt quod illa ſint de Domino; at ſcire volunt, cum dicitur quod illa ſint de auro.

24. Quod Scientia correſpondentiarum, per quam datur Senſus ſpiritualis Verbi, poſt ea tempora non detecta fuerit, fuit cauſa, quia Chriſtiani in primitiva Eccleſia perquam ſimplices fuerunt, ut coram illis non detegi potuerit, nam ſi detecta, illis nullius uſus fuiſſet, nec intelligeretur. Poſt illorum tempora obortæ ſunt tenebræ ſuper univerſum Chriſtianum orbem ex Dominio papali, & qui ex illo ſunt, & in falſis ejus ſe confirmaverunt, non poſſunt nec volunt capere aliquod ſpirituale, ita quid correſpondentia naturalium cum ſpiritualibus in Verbo, ſic enim convincerentur, quod Petrus non intelligatur per Petrum, ſed Dominus ut Petra; & quoque convincerentur, quod Verbum uſ-

que

que ad intima sua Divinum esset, & quod Dictamen Papæ sit nullius rei respective. Post Reformationem autem, quia distinguere cæperunt inter fidem & charitatem, ac colere Deum sub tribus Personis, ita tres Deos, quos cogitarent unum, tunc veritates cælestes illis abscondebantur, ac si detectæ fuissent, illas falsificavissent, & illas deduxissent ad solam fidem, & nullam illarum ad charitatem & amorem; sic etiam occlusissent sibi cælum.

25. Quod Sensus Spiritualis Verbi hodie a Domino detectus sit, est quia Doctrina genuini veri nunc revelata est: & hæc Doctrina cum Sensu spirituali Verbi concordat, & non alia. Ille Sensus etiam significatur per apparitionem Domini in nubibus Cæli cum gloria & virtute, Matth. XXIV. 30. 31, in quo Capite agitur de consummatione sæculi, per quam intelligitur ultimum tempus Ecclesiæ. Aperitio Verbi quoad Sensum ejus spiritualem etiam promissa est in Apocalypsi, ille ibi intelligitur per Equum album, & per Cænam magnam, ad quam omnes invitantur, Cap. XIX. 11 ad 18 Quod sensus spiritualis diu non agnoscetur, quod solum fit ab illis qui in falsis doctrinæ sunt, imprimis de Domino, & ideo non admittunt vera, intelligitur in Apocalypsi per Bestiam & per Reges terræ, qui facturi bellum cum Sedente super Equo albo, Cap. XIX. vers. 19; per Bestiam intelliguntur Pontificii, ut Cap. XVII. 3 ibi, & per Reges terræ intelliguntur Reformati, qui in falsis doctrinæ sunt.

26. V. *Quod sensus spiritualis Verbi non alicui posthac detur, nisi qui in genuinis veris a Domino est.* Causa hæc est, quia nemo potest sensum spiritualem videre, nisi a solo Domino, & nisi in genuinis veris ab Ipso sit; sensus enim spiritualis Verbi agit de solo Domino & de Ipsius Regno, & ille Sensus est in quo sunt Angeli Ipsius in Cælo, est enim Divinum Ipsius Verum ibi, hoc homo violare potest, si in scientia correspondentiarum est, & per illam vult sensum spiritualem Verbi ex propria intelligentia explorare, nam ex aliquibus correspondentiis sibi notis potest sensum ejus pervertere, & illum ad confirmandum etiam falsum trahere, & hoc foret violare Divinum Verum, & quoque Cælum; quare si quis a se & non a Domino sensum illum aperire vult, clauditur Cælum, quo clauso, homo aut nihil videt, aut spiritualiter insanit. Causa etiam est, quia Dominus per Verbum unumquemque docet, & docet ex illis veris quæ apud hominem sunt, & non immediate nova infundit, quare nisi homo in Divinis veris sit, aut si modo in paucis veris & simul in falsis, potest ex his falsificare vera; ut quoque fit a quovis hæretico quoad ipsum sensum literæ Verbi, ut notum est: ne itaque aliquis in sensum spiritualem Verbi intret, aut genuinum verum, quod illius sensus est, pervertat, custodiæ a Domino positæ sunt, quæ in Verbo per Cherubos intelliguntur. Quod Custodia sint positæ, hoc mihi ita repræsentatum est: „ Datum est videre magnas crumenas, apparentes sicut sacci, in quibus reconditum fuit argentum multa „ copia, & quia apertæ erant, perceptum est, sicut unusquisque posset argentum ibi repositum depromere, imo diripere: sed juxta crumenas illas sedebant bini Angeli, qui custodes: locus, ubi repositæ erant, apparebat instar „ præsepis in stabulo: in Camera proxima visæ sunt Virgines modestæ, cum „ Uxore casta; & prope illam Cameram stabant bini Infantes, & dictum est,

„ quod cum illis non infantiliter ſed ſapienter ludendum ſit: poſtea apparebat „ Scortum, tum Equus jacens mortuus. Quibus viſis, inſtructus ſum, quod „ per illa repræſentatus ſit ſenſus literæ Verbi, in quo ſenſus ſpiritualis: mag- „ næ illæ crumenæ argento plenæ ſignificabant cognitiones veri in multa copia: „ quod apertæ eſſent, & tamen ab Angelis cuſtoditæ, ſignificabat quod quiſ- „ que poſſet inde cognitiones veri deſumere, ſed quod caveatur, ne aliquis „ Senſum ſpiritualem, in quo meræ veritates ſunt, falſificet: præſepe in ſtabu- „ lo, in quo jacebant crumenæ, ſignificabat inſtructionem ſpiritualem pro „ intellectu, hoc ſignificat præſepe, quia equus, qui inde edit, intellectum: „ Virgines modeſtæ, quæ in camera proxima viſæ ſunt, ſignificabant affec- „ tiones veri, & uxor caſta conjunctionem boni & veri; infantes ſignificabant „ innocentiam ſapientiæ inibi; erant Angeli e Tertio cælo, qui omnes appa- „ rent ſicut infantes: Scortum cum equo mortuo, ſignificabat falſificationem „ Verbi a multis hodie, per quam omnis intellectus veri perit, ſcortum ſigni- „ ficat falſificationem, ac equus mortuus intellectum veri nullum.

Quod ſenſus literæ Verbi ſit Baſis, Continens & Firmamentum ſenſus Spiritualis & cæleſtis ejus.

27. In omni Divino Opere eſt Primum, Medium & Ultimum, ac Primum vadit per Medium ad Ultimum, & ſic exiſtit & ſubſiſtit, inde Ultimum eſt Basis. Tum, Primum eſt in Medio & per Medium in Ultimo, ita Ultimum eſt Continens: & quia Ultimum eſt Continens & Baſis, eſt etiam Firmamentum.

28. Ab Erudito comprehenditur, quod illa Tria nominari poſſint Finis, Cauſa & Effectus, tum Eſſe, Fieri & Exiſtere; & quod Finis ſit Eſſe, Cauſa ſit Fieri, & Effectus ſit Exiſtere; conſequentur quod in omni re completa ſit Trinum, quod vocatur Primum, Medium & Ultimum; tum Finis, Cauſa & Effectus; & quoque Eſſe, Fieri & Exiſtere. Cum hæc comprehenduntur, etiam comprehenditur, quod omne Divinum Opus in Ultimo ſit completum & perfectum; & quoque quod in Ultimo, quod Trinum eſt, ſit Omne, quia in illo Priora ſimul.

29. Ex eo eſt, quod per Tria in Verbo in ſenſu Spirituali intelligatur completum & perfectum, tum omne ſimul: & quia hæc per illum numerum ſignificantur, ideo toties in Verbo adhibetur, quoties tale deſignatur, ut in his: *Quod Eſajas iret nudus & diſcalceatus* Tres Annos,„ Eſaj. XX. 3. *Quod Jehovah* Ter *vocaverit Samuelem, & Samuel* Ter *cucurrerit ad Eli, & quod Eli* Tertia vice *intellexerit*,„ 1 Sam. III. 1 ad 8. *Quod Jonathan diceret ad Davidem, quod occultaret ſe in agro* Tribus diebus: *quod Jonathan poſtea ad latus lapidis jacularetur* Tres Sagittas: *& quod poſt illud David ſe incurvaret* Tribus vicibus *coram Jonathane*,„ 1 Sam. XX. 5. 12 ad 41. *Quod Elias ſe menſus ſit ſu-*

per

per filium viduæ TRIBUS VICIBUS,, 1 Reg. XVII. 21. *Quod Elias jusserit, ut funderent aquam super holocaustum* TRIBUS VICIBUS,, 1 Reg. XVIII 34. *Quod Jesus dixerit, quod Regnum Cælorum sit simile fermento, quod accipiens mulier abscondidit in* TRIBUS SATIS, *donec fermentaretur totum*, Matth. XIII. 33. *Quod Jesus dixerit ad Petrum, quod* TER *abnegaturus sit Ipsum*, Matth. XXVI. 34. *Quod Dominus* TER *dixerit Petro, amasne Me*, Joh. XXI. 15. 16. 17. *Quod Jonas fuerit in ventre ceti* TRIBUS DIEBUS & TRIBUS NOCTIBUS,, Jon. II. 1. *Quod Jesus dixerit, quod Templum dissolverent, & Ipse illud per* TRES DIES *ædificaret*,, Matth. XXVI. 31. *Quod Jesus in Gethsemane* TRIBUS VICIBUS *oraverit*, Matth. XXVI. 39 ad 44. *Quod Jesus* TERTIO DIE *resurrexerit*,, Matth. XXVIII. 1: præter multis aliis in locis, ubi Tria nominantur; & nominantur, ubi agitur de opere finito & perfecto, quia hoc per illum numerum significatur.

30. Hæc præmissa sunt propter sequentia, ut ea intellectualiter comprehendantur; hic nunc ut comprehendatur, quod sensus naturalis Verbi, qui est, Sensus literæ ejus, sit Basis, Continens & Firmamentum Sensus spiritualis & Sensus cælestis ejus.

31. Quod in Verbo tres Sensus sint, Supra n. 6 & 19, dictum est, tum quod Sensus cælestis sit Primus ejus, Sensus Spiritualis Medius ejus, & Sensus naturalis Ultimus ejus: inde Homo rationalis concludere potest, quod Primum Verbi, quod est cæleste, vadat per Medium ejus quod est spirituale, ad Ultimum ejus quod est naturale: & quod sic Ultimum ejus sit BASIS: tum quod Primum ejus, quod est cæleste, sit in Medio ejus quod est spirituale, & per hoc in Ultimo ejus quod est naturale, & quod inde Ultimum ejus, quod est naturale, & est Sensus literæ Verbi, sit CONTINENS, & quia est Continens & Basis, quod etiam sit FIRMAMENTUM.

32. Sed quomodo hæc fiunt, non paucis dici potest; sunt etiam Arcana, in quibus sunt Angeli Cæli, quæ in Transactionibus in Præfatione ad DOCTRINAM DE DOMINO memoratis, quæ erunt ex Sapientia Angelica, de DIVINA PROVIDENTIA, OMNIPOTENTIA, OMNIPRÆSENTIA, OMNISCIENTIA, de DIVINO AMORE ET DE DIVINA SAPIENTIA, tum DE VITA, quantum fieri potest, evolventur. Satis nunc est, quod ex supradictis possit concludi, quod Verbum, quod est Ipsum Divinum Opus pro Salvatione Humani Generis, quoad sensum ejus ultimum, qui est Naturalis, & vocatur Sensus literæ, sint binorum Sensuum interiorum Basis, Continens & Firmamentum.

33. Ex his sequitur, quod Verbum absque Sensu literæ ejus foret sicut Palatium absque fundamento, ita sicut Palatium in aere & non super terra, quod modo foret umbra ejus, quæ evanesceret. Tum quod Verbum absque sensu literæ ejus foret sicut Templum, in quo plura Sancta sunt, & in medio ejus Adytum, absque Tecto & Pariete, quæ sunt Continentia ejus; quæ si abessent vel si auferrentur, Sancta ejus a furibus diriperentur, aut a bestiis terræ & a volucribus cæli, violarentur, & sic dissiparentur. Similiter foret sicut Tabernaculum, in cujus intimo fuit Arca fœderis, ac in medio ejus Candelabrum aureum, Altare aureum super quo suffimenta, tum Mensa super qua panes facierum, quæ erant Sancta ejus, absque ultimis suis, quæ erant Aulæa & Vela.

Imo foret Verbum abſque ſenſu literæ ejus, ſicut Corpus humanum, abſque Integumentis quæ vocantur Cutes, & abſque Suſtentaculis quæ vocantur Oſſa, abſque his & illis diffluerent omnia Interiora ejus. Ac foret ſicut Cor & Pulmo in Thorace, abſque integumento ſuo, quod vocatur Plevra, & ſuſtentaculis ſuis quæ vocantur Coſtæ. Aut ſicut Cerebtum abſque integumento ſuo quod vocatur Dura mater, & abque communi Tegumento, Continente & Firmamento ſuo, quod vocatur Cranium. Simile foret cum Verbo abſque ſenſu literæ ejus, quare dicitur apud Eſajam,, *Quod Jehovah creet ſuper omni gloria obtegumentum*,, IV. 5.

34. Simile foret cum Cælis ubi ſunt Angeli, abſqne Mundo ubi ſunt Homines, Humanum Genus eſt Baſis, Continens & Firmamentum illorum, & apud homines & in illis eſt Verbum. Omnes enim Cæli diſtincti ſunt in duo Regna, quæ vocantur Regnum Cæleſte & Regnum Spirituale, hæc duo Regna fundantur ſuper Regno Naturali, in quo ſunt homines: ſimiliter itaque Verbum, quod apud homines & in hominibus eſt. Quod Cæli Angelici diſtincti ſint in duo Regna, Cæleſte & Spirituale, videatur in Opere DE CÆLO ET INFERNO n. 20 ad 28.

35. Quod Prophetæ Veteris Teſtamenti repræſentaverint Dominum quoad Verbum, & per id ſignificaverint Doctrinam Eccleſiæ ex Verbo, & quod inde vocati ſint Filii hominis, in DOCTRINA DE DOMINO n. 28, oſtenſum eſt; ex quo ſequitur, quod illi per varia, quæ paſſi ſunt & ſuſtinuerunt, repræſentaverint violentiam Senſui literæ Verbi a Judæis illatam; ut quod Eſajas Propheta exueret ſaccum deſuper lumbis ſuis, & exueret calceum deſuper pede ſuo, ac iret nudus & diſcalceatus tres annos,, Eſaj. XX. 2. 3. Similiter quod Ezechiel Propheta novaculam tonſorum traduceret ſuper caput & ſuper barbam, & tertiam partem combureret in medio urbis, tertiam parcuteret gladio, & tertiam diſpergeret in ventum, & parum ex illis alligatet in alis, & tandem projiceret in medium ignis & combureret,, Ezech. V. 1 ad 4. Quia Prophetæ repræſentaverunt Verbum, & inde ſignificaverunt Doctrinam Eccleſiæ ex Verbo, ut ſupra dictum eſt, eſt quia per caput ſignificatur ſapientia ex Verbo, inde per capillitium & per barbam ſignificabatur Ultimum veri: quia hoc per illa ſignificabatur, ideo ſignum grandis luctus, & quoque grande dedecus erat, *Calvitium* ſibi inducere, & quoque *Calvus* apparere: propter illam & non aliam cauſam erat, quod Propheta abraderet capillos capitis ſui & barbam, ut per id repræſentaret ſtatum Eccleſiæ Judaicæ quoad Verbum: propter illam & non aliam cauſam diſcerpti ſunt quadraginta duo pueri a duabus urſis, *qui Eliſæum vocaverunt Calvum*,, II Reg. II. 23. 24. 25, nam Propheta repræſentabat Verbum, ut prius dictum eſt, & Calvum ſignificabat illud abſque ſuo ſenſu ultimo. Quod Naziræi repræſentaverint Dominum quoad Verbum in ſuis ultimis, in ſequente Articulo n. 49 videbitur, ideo ſtatutum fuit pro illis, ut creſcere facerent comam, & nihil ejus abraderent; Naziræus etiam in Lingua Hebræa ſignificat Comam: ſtatutum etiam fuit pro Sacerdote magno, quod non raderet caput, Levit. XXI. 10: ſimiliter pro Patrefamilias, Levit. XXI. 5: Inde erat, quod Calvitium illis grande dedecus eſſet, ut conſtare poteſt ex his,, *In*

omni-

omnibus capitibus Calvities, & omnis Barba rasa,, Esaj. XV. 2. Jerem. XLVIII. 37. ,, *Super omnibus faciebus pudor, & in omnibus capitibus Calvities*,, Ezech. VII. 18.,, *Omne Caput decalvatum, & omnis humerus depilatus*,, Ezec. XXIX. 18.,, *Ascendere faciam super omnes lumbos saccum, & super omne caput calvitiem*,, Amos VIII. 10.,, *Calvitiem indue, & tonde te propter filios delitiarum tuasum, & dilata calvitiem, quia migrarunt a te*, Mich. I. 17: hic per Calvitiem induere & dilatare, significatur vera Verbi in ultimis ejus falsificare, quibus falsificatis, ut factum est a Judæis, totum Verbum destructum est; nam ultima Verbi sunt fulcra & sustentacula ejus, imo unaquævis vox est fulcrum & sustentaculum veritatum cælestium & spiritualium ejus. Quia Capillitium significat Verum in ultimis, ideo in Mundo Spirituali, omnes qui contemnunt Verbum, & sensum literæ ejus falsificant, apparent Calvi; at qui honorant & amant illum, apparent in decentibus comis. De hac re videatur etiam infra n. 49.

36. Verbum in sensu ultimo seu naturali, qui est sensus literæ ejus, significatur etiam per Murum Sanctæ Hierosolymæ, cujus structura erat Jaspis, perque fundamenta muri, quæ erant Lapides pretiosi, tum etiam per Portas, quæ erant Margaritæ,, Apoc. XIX: 18 ad 21: nam per Hierosolymam significatur Ecclesia quoad Doctrinam: sed de his plura in sequente Articulo. Ex allatis nunc constare potest, quod sensus literæ Verbi, qui est naturalis, sit Basis, Continens, & Firmamentum sensuum interiorum ejus, qui sunt sensus spiritualis & cælestis.

Quod Divinum Verum in sensu literæ Verbi, sit in suo Pleno, in suo Sancto, & in sua Potentia.

37. Quod Verbum in suo sensu literæ sit in suo pleno, in suo sancto & in sua potentia, est quia bini sensus priores seu interiores, qui vocantur spiritualis & cælestis, in sensu naturali, qui est sensus literæ, sunt simul, ut supra n. 29 dictum est; sed quomodo sunt simul, paucis nunc dicetur.

38. Datur in Cælo & in Mundo Ordo successivus & Ordo simultaneus: in Ordine successivo succedit & sequitur unum post alterum, a supremis usque ad infima: in Ordine autem simultaneo est unum juxta alterum, ab intimis usque ad extima. Ordo successivus est sicut Columna cum gradibus a summo ad imum; at Ordo simultaneus est sicut Opus cohærens cum peripheriis a centro ad superficiem. Nunc dicetur, quomodo Ordo successivus fit in Ultimo Ordo simultaneus; fit hoc modo; suprema ordinis successivi fiunt intima Ordinis simultanei, ac infima Ordinis successivi fiunt extima Ordinis simultanei; est comparative sicut Columna graduum subsidens fit corpus cohærens in plano. Ita formatur Simultaneum a Successivo, & hoc in omnibus & singulis Mundi naturalis, & in omnibus & singulis Mundi spiritualis, nam ubivis est Primum, Medium & Ultimum, ac Primum per Medium tendit & vadit ad suum Ultimum.

mum. Nunc ad Verbum; Cæleste, Spirituale & Naturale, procedunt a Domino in Ordine successivo, & in Ultimo sunt in Ordine simultaneo; ita nunc sensus cælestis & spiritualis Verbi sunt in sensu ejus naturali simul. Dum hoc comprehenditur, videri potest, quomodo sensus naturalis Verbi, qui est sensus literæ ejus, est basis, continens & firmamentum sensus spiritualis & cælestis ejus; tum quomodo Divinum Bonum & Divinum Verum in sensu literæ Verbi est in suo Pleno, in suo Sancto, & in sua Potentia.

39. Ex his constare potest, quod Verbum sit ipsum Verbum in suo sensu literæ, in hoc enim intus est spiritus & vita, sensus spiritualis est ejus spiritus, & sensus cælestis est ejus vita. Hoc est quod Dominus dicit,, *Verba, quæ Ego loquor vobis, spiritus & vita sunt*, Joh. VI. 63, Dominus verba sua coram Mundo, & in sensu naturali loquutus est. Sensus spiritualis & sensus cælestis non sunt Verbum absque sensu naturali, qui est sensus literæ, sunt enim sicut spiritus & vita absque corpore; & sunt, ut prius n. 33, dictum est, sicut palatium, cui deest basis.

40. Vera sensus literæ Verbi quoad partem non sunt nuda vera, sed sunt apparentiæ veri, ac sicut similitudines & comparationes, desumptæ ex talibus quæ in natura sunt, ita quæ accommodata & adæquata sunt captui simplicium & quoque infantum: sed quia sunt correspondentiæ, sunt genuini veri receptacula & habitacula; & sunt sicut vasa quæ includunt & continent; quemadmodum poculum Chrystallinum includit nobile vinum, & quemadmodum patina argentea continet edules cibos; & sunt quemadmodum vestes quæ amiciunt, ut fasciæ infantem, ac decori amictus virginem: sunt etiam sicut scientifica naturalis hominis, quæ in se comprehendunt perceptiones & affectiones veri spiritualis hominis. Ipsa nuda vera, quæ includuntur, continentur, investiuntur & comprehenduntur, sunt in Verbi sensu spirituali, & nuda bona sunt in ejus sensu Cælesti: Sed hoc e Verbo illustretur,, *Dixit Jesus, væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia purgatis exterius poculi & patinæ, interiora vero sunt plena rapina & intemperantia: Pharisæe cæce, purga prius interius poculi & patinæ, ut sit etiam exterius mundum*,, Matth. XXIII. 25. 26; hic loquutus est Dominus per ultima, quæ sunt continentia, & dixit poculum & patinam, & per poculum intelligitur vinum, ac per vinum verum Verbi, & per patinam intelligitur cibus, ac per cibum bonum Verbi; per purgare internum poculi & patinæ, intelligitur purificare interiora, quæ sunt voluntatis & cogitationis, ita amoris & fidei, per Verbum; per quod sic exterius mundum sit, intelligitur quod sic exteriora purificata sint, quæ sunt opera & loquela, nam hæc ab illis trahunt suam essentiam. Adhuc ,, *Jesus dixit, homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & oblectabat se quotidie splendide: & pauper quidam erat nomine Lazarus, qui projectus ad vestibulum ejus ulcerosus*,, Luc. XVI. 19. 20; hic etiam Dominus loquutus est per naturalia, quæ erant correspondentiæ, & continebant spiritualia; per hominem divitem intelligitur Gens Judaica, quæ dives vocatur quia habebat Verbum, in quo sunt divitiæ spirituales; per purpuram & byssum, quibus indutus erat, significatur bonum & verum Verbi, per purpuram bonum ejus, & per byssum verum ejus;

jus; per oblectare se quotidie splendide, significatur oblectatio quod illud haberet & legeret; per Lazarum pauperem intelliguntur gentes, quæ non habebant Verbum; quod illæ contemtæ & rejectæ a Judæis essent, intelligitur per quod Lazarus ad vestibulum divitis esset projectus ulcerosus. Quod Gentes per Lazarum intelligantur, erat quia Gentes amabantur a Domino, sicut Lazarus, qui a mortuis resuscitatus est, amabatur a Domino, Joh. XI. 3. 5. 36; & vocatur Ipsius amicus, Joh. XI. 11. & accumbebat ad mensam cum Domino, Joh. XII. 2. Ex his binis locis patet, quod vera & bona sensus literæ Verbi sint sicut vasa & sicut vestes nudi veri & boni, quæ in sensu spirituali & cælesti Verbi latent.

41. Quoniam Verbum in sensu literæ tale est, sequitur, quod illi qui in Divinis veris sunt & in fide quod Verbum intus in suo sinu Sanctum Divinum sit, & magis illi qui in fide sunt quod Verbum tale sit ex sensu spirituali & cælesti ejus, dum in illustratione a Domino legunt Verbum, videant Divina vera in luce naturali; nam lux cæli, in qua est sensus spiritualis Verbi, influit in lucem naturalem, in qua est sensus literæ Verbi, ac hominis intellectuale, quod vocatur rationale, illuminat, & facit ut videat & agnoscat Divina Vera, ubi exstant & ubi latent: hæc cum luce Cæli influunt apud quosdam, quandoque etiam cum nesciunt.

42. Quoniam Verbum nostrum in intimo suo sinu, ex sensu cælesti ejus, est sicut flamma quæ accendit, & in medio suo sinu, ex sensu spirituali, est sicut lux quæ illustrat, inde Verbum in ultimo suo sinu, ex sensu ejus naturali, in quo bini interiores sunt, est sicut rubinus & adamas; ex flamma cælesti sicut rubinus, & ex luce spirituali sicut adamas. Quia tale est Verbum in suo sensu literæ ex transparentia, ideo Verbum in hoc sensu intelligitur per FUNDAMENTA MURI HIEROSOLYMÆ; per URIM ET THUMIM in Ephodo Aharonis; per HORTUM EDENIS in quo Rex Tyri fuerat; tum etiam per AULÆA ET VELA TABERNACULI; & per EXTERNA TEMPLI HIEROSOLYMITANI; at in ipsa sua gloria per DOMINUM CUM TRANSFORMATUS EST.

43. *Quod vera sensus literæ Verbi intelligantur per Fundamenta muri novæ Hierosolymæ in Apocalypsi Cap. XXI*, sequitur ex eo, quod per novam Hierosolymam intelligatur nova Ecclesia quoad Doctrinam, ut in DOCTRINA DE DOMINO n. 62. 63, ostensum est, quare per murum ejus, & per muri fundamenta non aliud potest intelligi, quam Verbi Externum, quod est sensus literæ ejus, nam ille est, ex quo Doctrina est, & per Doctrinam Ecclesia; & illa est sicut murus cum fundamentis, qui urbem includit & tutatur. De Muro novæ Hierosolymæ & de ejus Fundamentis leguntur hæc in Apocalypsi,, *Angelus mensus est Murum urbis Hierosolymæ* 144 *cubitorum, quæ erat mensura hominis, hoc est, angeli: & Murus habebat Fundamenta duodecim, omni Lapide pretioso exornata; Fundamentum primum Jaspis, secundum Sapphirus, tertium Chalcedonius, quartum Smaragdus, quintum Sardonyx, sextum Sardius, septimum Chrysolithus, octavum Beryllus, nonum Topazius, decimum Chrysoprasus, undecimum Hyacinthus, duodecimum Amethistus* ,, XXI. 17. 18. 19. 20: per numerum 144 significantur omnia vera & bona Ecclesiæ ex doctrina e sensu literæ Verbi, similiter per duodecim;

per

per hominem ſignificatur intelligentia, per angelum Divinum verum ex quo illa, per menſuram quale illorum, per murum & per fundamenta ejus ſenſus literæ Verbi, & per lapides pretioſos vera & bona Verbi in ſuo ordine, ex quibus Doctrina, & per Doctrinam Eccleſia.

44. *Quod vera & bona ſenſus literæ Verbi intelligantur per Urim & Thumim.* Urim & Thumim erant ſuper Ephodo Aharonis, per cujus ſacerdotium repræſentabatur Dominus quoad Divinum Bonum, & quoad Opus ſalvationis; per Veſtes ſacerdotii ſeu ſanctitatis repræſentabatur Divinum Verum ex Divino Bono; per Ephodum repræſentabatur Divinum Verum in ſuo ultimo, ita Verbum in ſenſu literæ, nam hoc eſt Divinum Verum in ſuo ultimo, ut ſupra dictum eſt; inde per duodecim Lapides pretioſos, cum nominibus duodecim Tribuum Iſraelis, quæ fuerunt Urim & Thumim, repræſentabantur Divina Vera ex Divino Bono in omni complexu. De his ita legitur apud Moſen,, *Facient Ephodum ex hyacinthino & purpura, coccineo dibapho & xylino intertexto: poſtea facient Pectorale judicii, ſecundum opus Ephodi, & opplebis id oppleturis lapidis; quatuor ordines Lapis; Pyropus, Topazius & Smaragdus, primus ordo: Chryſopraſus, Sapphirus & Adamas, ſecundus ordo: Cyanus, Achates & Amethyſtus, tertius ordo: Thalaſſius, Sardius & Jaſpis, quartus ordo. Lapides hi erunt juxta Nomina filiorum Iſraelis; ſculpturæ ſigilli juxta Nomen ſuum erunt pro* 12 *Tribubus: & portabit Aharon ſuper Pectorali judicii Urim & Thumim, ſintque ſuper corde Aharonis, cum ingredietur ante Jehovam*,, Exod. XXXVIII. 6. 15 ad 21. 30. Quid per Veſtes Aharonis, ejus Ephodum, Pallium, Tunicam, Cidarim, Baltheum, repræſentatum eſt, in ARCANIS CÆLESTIBUS ſuper eo Capite, explicatum eſt; ubi oſtenſum, quod per Ephodum repræſentatum ſit Divinum Verum in ſuo ultimo; quod per Lapides pretioſos ibi repræſentata ſint vera pellucentia ex bono; per duodecim lapides pretioſos omnia vera ultima pellucentia ex bono amoris in ſuo ordine; per duodecim Tribus Iſraelis omnia Eccleſiæ; per Pectorale Divinum Verum ex Divino Bono; per Urim & Thumim exſplendeſcentia Divini Veri ex Divino Bono in ultimis, Urim enim eſt ignis lucens, & Thumim explendeſcentia in Lingua Angelica, & integritas in Lingua Hebræa; tum quod Reſponſa data ſint per lucis variegationes, & ſimul tunc per tacitam perceptionem, vel per vivam vocem, præter plura. Ex quibus conſtare poteſt, quod per hos Lapides pretioſos etiam ſignificata ſint vera ex bono in ſenſu ultimo Verbi; nec per alia dantur Reſponſa e Cælo, quia in illo ſenſu eſt Divinum procedens in ſuo Pleno. Quod Lapides pretioſi & Diademata ſignificent Divina Vera in ſuis ultimis, qualia ſunt Vera ſenſus literæ Verbi, patuit mihi manifeſte ex Lapidibus pretioſis & Diadematibus in Mundo ſpirituali apud Angelos & ſpiritus ibi, quos vidi illis indutos & quoque in thecis illorum, & datum eſt ſcire, quod illa correſponderent Veris in ultimis, imo etiam quod inde ſint & appareant. Quia hæc per diademata & lapides pretioſos ſignificantur, ideo illa etiam viſa ſunt Johanni ſuper capite Draconis, Apoc. XII. 3. ſuper cornibus Beſtiæ, Apoc. XIII. 1: & Lapides pretioſi ſuper Meretrice ſedente ſuper beſtia coccinea, Apoc. XVII. 4; ſuper illis viſa ſunt, quia per illos ſignificantur ii in Chriſtiano Orbe, apud quos eſt Verbum.

45. *Quod vera ſenſus literæ Verbi intelligantur per Lapides pretioſos in Horto Edenis, in quo apud Ezechielem Rex Tyri dicitur fuiſſe.* Legitur apud Ezechielem ,, *Rex Tyri, tu obſignans demenſum tuum, plenus ſapientia, & perfectus pulchritudine; in Eden Horto Dei fuiſti; omnis Lapis pretioſus tegumentum tuum, Rubinus, Topazius & Adamas, Tharſciſh, Sardonyx, & Jaſpis, Sapphirus, Chryſopraſus & Smaragdus, & Aurum*, XXVIII. 12. 13: per Tyrum in Verbo ſignificantur cognitiones veri & boni; per Regem ſignificatur verum Eccleſiæ; per Hortum Edenis ſignificatur ſapientia & intelligentia ex Verbo; per Lapides pretioſos ſignificantur vera pellucentia ex bono, qualia ſunt in ſenſu literæ Verbi; & quia hæc per illos Lapides ſignificantur, ideo vocantur Tegumentum ejus; quod ſenſus literæ tegat interiora Verbi, videatur Articulus præcedens.

46. *Quod ſenſus literæ Verbi ſignificetur per aulæa & vela Tabernaculi.* Per Tabernaculum repræſentatum eſt Cælum & Eccleſia, quare forma ejus a Jehovah ſuper monte Sinai oſtenſa eſt; inde per omnia, quæ in Tabernaculo erant, quæ erant Candelabrum, Altare aureum pro ſuffitu, & Menſa ſuper qua panes facierum, repræſentata & inde ſignificata ſunt Sancta Cæli & Eccleſiæ; ac per Sanctum ſanctorum, ubi erat Arca fæderis, repræſentatum & inde ſignificatum eſt intimum Cæli & Eccleſiæ; & per ipſam Legem inſcriptam binis Tabulis lapideis, & incluſam Arcæ, ſignificatus eſt Dominus quoad Verbum; nunc quia Externa trahunt ſuam eſſentiam ab internis, & hæc & illa ab Intimo, quod ibi erat Lex, ideo ſancta Verbi per omnia Tabernaculi etiam repræſentata & ſignificata ſunt; inde ſequitur, quod per ultima Tabernaculi, quæ erant Aulæa & Vela, ita tegumenta & continentia, ſignificata ſint ultima Verbi, quæ ſunt vera & bona ſenſus literæ ejus: quia illa ſignificata ſunt, ideo *omnia Aulæa & Vela facta ſunt ex xylino intertexto, & hyacintino & purpura, & coccineo dibapho, cum cherubis*,, Exod. XXVI. 1. 31. 36. Quid per Tabernaculum, & per omnia quæ in illo erant, in genere & ſpecie repræſentatum & ſignificatum eſt, in ARCANIS CÆLESTIBUS ſuper illo Capite Exodi explicatum eſt; & ibi oſtenſum, quod per Aulæa & Vela repræſentata ſint externa Cæli & Eccleſiæ, ita quoque externa Verbi; tum quod per xylinum ſeu byſſinum ſignificatum ſit verum ex origine ſpirituali, per hyacinthinum verum ex origine cæleſti, per purpuram bonum cæleſte, per coccineum dibaphum bonum ſpirituale, & per Cherubos cuſtodiæ interiorum Verbi.

47. *Quod per externa Templi Hieroſolymitani repræſentata ſint externa Verbi, quæ ſunt ſenſus literæ ejus*, eſt quia ſimile per Templum, quod per Tabernaculum, repræſentatum eſt, nempe Cælum & Eccleſia, & inde quoque Verbum. Quod per Templum Hieroſolymitanum ſignificatum ſit Divinum Humanum Domini, docet Ipſe apud Johannem ,, *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus exſuſcitabo illud: Ipſe loquebatur de Templo corporis ſui*., II. 19. 21; & ubi intelligitur Dominus, etiam intelligitur Verbum, quia Dominus eſt Verbum. Nunc quia per interiora Templi repræſentata ſunt interiora Cæli & Eccleſiæ, ita quoque Verbi, ideo per exteriora ejus repræſentata & ſignificata ſunt exteriora Cæli & Eccleſiæ, ita quoque Verbi, quæ ſenſus literæ ejus ſunt. De exterioribus Templi legitur,, *Quod ædificata ſint ex lapide integro non cæſo, & ex cedro intus; &*

quod omnes parietes ejus intus sculpti essent Cherubis, palmis & aperturis florum; & solum obductum auro,, I. Reg. VI. 7. 29. 30; per quæ omnia etiam significantur externa Verbi, quæ sancta sensus literæ ejus sunt.

48. *Quod Verbum in sua gloria per Dominum, cum transformatus est, repræsentatum sit.* De Domino coram Petro, Jacobo & Johanne tranformato legitur,, *Quod facies Ipsius fulserit sicut Sol; vestimenta Ipsius facta sint sicut Lux: & quod visi sint Moses & Elias cum Ipso colloquentes: & quod Nubes lucida discipulos obtexerit; & quod ex nube audita sit vox, dicens, Hic est Filius meus dilectus, Ipsum audite*, Matth. XVII. 1 ad 5. Instructus sum, quod Dominus tunc repræsentaverit Verbum; per Faciem, quæ fulsit sicut Sol, Divinum Bonum Ipsius; per Vestimenta quæ facta sicut lux, Divinum Verum Ipsius; per Mosen & Eliam, Verbum Historicum & Propheticum, per Mosen Verbum quod per illum scriptum est, & in genere Verbum Historicum, ac per Eliam Verbum Propheticum; per Nubem lucidam quæ obtexit discipulos, Verbum in sensu literæ; quare ex hac vox audita est, & dixit, Hic est Filius meus dilectus, Ipsum audite; omnia enim Enuntiata & Responsa e Cælo, nusquam fiunt nisi per ultima, qualia sunt in sensu literæ Verbi, fiunt enim in pleno ex Domino.

49. Hactenus ostensum est, quod Verbum in sensu naturali, qui est sensus literæ, sit in suo sancto & in suo pleno, nunc aliquid dicetur, quod Verbum in illo sensu etiam sit in sua POTENTIA. Quanta & qualis est Potentia Divini Veri in Cælis, & quoque in Terris, constare potest ex illis, quæ in Opere de CÆLO ET INFERNO, de Potentia Angelorum Cæli, n. 228 ad 233, dicta sunt. Potentia Divini Veri est imprimis contra falsa & mala, ita contra Inferna, contra hæc per Vera ex sensu literæ Verbi pugnandum est; per Vera apud hominem etiam est Domino potentia salvandi illum, nam homo per Vera ex sensu literæ Verbi reformatur & regeneratur, & tunc eximitur ex inferno, & introducitur in Cælum; hanc potentiam suscepit Dominus etiam quoad Divinum Humanum suum, postquam implevit omnia Verbi usque ad ultima ejus; quare Dominus ad Principem sacerdotum dixit, quando reliqua per Passionem crucis impleret,, *Ex nunc videbitis Filium hominis sedentem a dextris potentiæ, venientem in nubibus Cæli*,, Matth. XXVI. 64. Marc. XIV. 62; Filius hominis est Dominus quoad Verbum, nubes Cæli est Verbum in sensu literæ, sedere a dextris Dei est Omnipotentia per Verbum, ut quoqve Marc. XVI. 19, Potentia Domini ex ultimis Veri repræsentata est per Naziræos in Ecclesia Judaica, & per Simsonem, de quo dicitur, quod Naziræus esset ab utero matris, & quod potentia ejus constaret in crinibus ejus; per Naziræum & Naziræatum etiam significatur crinis: quod potentia ejus in crinibus fuerit, manifestavit ipse, dicens,, *Novacula non ascendit super caput meum, quia Naziræus ego ab utero matris meæ; si rador, tunc recedet a me robur meum, & reddar infirmus, & ero sicut quivis homo*,, Judic. XVI. 17.: nemo scire potest, cur Naziræatus, per quem significatur Crinis, institutus est, & unde est quod Simsoni fuerit robur ex crinibus, nisi sciat, quid per caput in Verbo significatur; per caput significatur sapientia Cælestis, quæ est angelis & hominibus a Domino per Divinum Verum; inde per crines capitis significatur sapientia cælestis in ultimis, & quoque

Divi-

Divinum Verum in ultimis. Quia hoc per crines ex correſpondentia cum cælis ſignificabatur, ideo ſtatutum pro Naziræis erat,, *Quod non raderent comam capitis ſui, quia ille eſt Naziræatus Dei ſuper capite eorum*,, Num. VI. 1 ad 21: & quoque ideo ſtatutum eſt,, *Quod ſummus Sacerdos, ac filii ejus non raderent caput ſuum, ne morerentur, & univerſa domus Iſraelis iraſceretur*,, Levit. X. 6. Quia crines propter illam ſignificationem, quæ eſt ex correſpondentia, tam ſancti erant, ideo Filius hominis, qui eſt Dominus quoad Verbum, deſcribitur etiam quoad crines,, *Quod eſſent tanquam lana candida, tanquam nix*,, Apoc. I. 14; ſimiliter *Antiquus dierum*, Dan. VII. 9: de hac re etiam videatur aliquid ſupra n. 35. In ſumma, quod Potentia Divini Veri ſeu Verbi ſit in ſenſu literæ, eſt quia Verbum ibi eſt in ſuo Pleno; & quia in illo ſunt Angeli utriuſque Regni Domini & homines ſimul.

Quod Doctrina Eccleſiæ ex ſenſu literæ Verbi haurienda ſit, & per illum confirmanda.

50. In præcedente Articulo oſtenſum eſt, quod Verbum in ſenſu literæ ſit in ſuo Pleno, in ſuo Sancto, & in ſua Potentia; & quia Dominus eſt Verbum, eſt enim omne Verbi, ſequitur quod Dominus in illo ſenſu ſit maxime præſens, & quod ex illo doceat & illuſtret hominem. Sed hæc demonſtranda ſunt in hoc ordine, I. Quod Verbum abſque Doctrina non intelligatur. II. Quod Doctrina e Verbi ſenſu literæ haurienda ſit. III. At quod Divinum Verum, quod Doctrinæ erit, non appareat aliis, quam qui in illuſtratione a Domino ſunt.

51. I *Quod Verbum abſque Doctrina non intelligatur*, eſt, quia Verbum in ſenſu literæ ex meris correſpondentiis conſiſtit, ob finem ut ſpiritualia & cæleſtia inibi ſimul ſint, ac unaquævis vox illorum continens & fulcrum ſit; idcirco in ſenſu literæ in quibuſdam locis ſunt non nuda vera, ſed veſtita, quæ vocantur apparentiæ veri; & ſunt plura accommodata captui ſimplicium, qui cogitationes non ſupra talia, quæ vident ante oculos, elevant; & aliqua quæ apparent ſicut contradictiones, cum tamen in Verbo in ſua luce ſpectato nulla contradictio eſt: & quoque in quibuſdam locis apud Prophetas, ſunt nomina locorum & perſonarum collata, ex quibus non aliquis ſenſus poteſt elici, ut ex illis ſupra n. 5 allatis. Cum itaque Verbum in ſenſu literæ tale eſt, conſtare poteſt, quod non poſſit abſque Doctrina intelligi. Sed exempla hoc illuſtrent: dicitur, *quod Jehovam pæniteat*,, Exod. XXXII. 12. 14. Jon. III. 9. Cap. IV. 2: dicitur etiam, *quod Jehovam non pæniteat*, Num. XXIII. 19. 1 Sam. XV. 29; hæc abſque Doctrina non conformantur. Dicitur, quod *Jehovah viſitet iniquitatem patrum ſuper filios ad tertiam & quartam generationem*,, Num. XIV. 18: ac dicitur,, *Quod non morietur pater propter filium, nec filius propter patrem, ſed quiſque in peccato ſuo*,, Deut. XXIV. 16; hæc non diſcordant, ſed concordant per Doctrinam. *Dicit Jeſus, petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis: quiſquis petit, accipiet, & quærit inveniet, & pulſanti aperietur*,,

 Matth.

Matth. VII. 7. 8. Cap. XXI. 21. 22; absque Doctrina crederetur, quod quisque accepturus sit, quod petit; sed ex Doctrina creditur, quod quicquid homo petit non ex se, sed ex Domino, hoc detur; hoc enim Dominus etiam docet,, *Si manseritis in Me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petitis, & fiet vobis*,, Joh. VII. 7. Dicit Dominus, *Beati pauperes, quoniam illorum est Regnum Dei*,, Luc. VI. 20; absque Doctrina cogitari potest, quod pauperibus sit cælum, & non divitibus; sed Doctrina docet, quod pauperes spiritu intelligantur, nam dicit Dominus,, *Beati pauperes spiritu, quia eorum est regnum cælorum*,, Matth. V. 5. Dicit Dominus,, *Ne judicate ne judicemini, cum quo judicio judicatis, judicabimini*,, Matth. VII. 1. 2. Luc. VI. 37: hoc absque Doctrina potest adduci ad confirmandum, quod non dicendum sit de malo quod sit malum, ita non judicandum quod malus sit malus; sed ex Doctrina licet judicare, at juste; dicit enim Dominus,, *Justum judicium judicate*,, Joh. VII 24. Jesus dicit,, *Nolite vocari doctor, quia unus est Doctor vester Christus: nec vocetis patrem vestrum in terra, unus namque est Pater vester in cælis. Nec vocemini magistri, unus enim est vester Magister Christus*,, Matth. XXIII. 8. 9. 10; absque Doctrina foret, quod non liceat vocare aliquem Doctorem, Patrem, & Magistrum; sed ex doctrina scitur, quod liceat in naturali sensu, at non in spirituali. Jesus dixit ad discipulos, *Quando sedebit Filius hominis super throno gloriæ suæ, sedebitis etiam vos super duodecim thronis judicantes duodecim tribus Israelis*,, Matth. XIX. 28; ex his verbis concludi potest, quod etiam discipuli Domini judicaturi sint, cum tamen neminem judicare possunt; Doctrina itaque revelabit hoc arcanum per hoc, quod solus Dominus, qui est Omniscius & novit omnium corda, judicaturus sit, & judicare possit, & quod per duodecim discipulos Ipsius, intelligatur Ecclesia quoad omnia vera & bona, quæ ei sunt a Domino per Verbum; ex quo Doctrina concludit, quod illa judicatura sint unumquemvis, secundum Domini verba apud Johannem Cap. III. 17. 18. Cap. XII. 47. 48. Qui absque Doctrina legit Verbum, non scit quomodo cohærent illa, quæ de Gente Judaica & de Hierosolyma apud Prophetas dicuntur, quod Ecclesia apud illam Gentem, & sedes ejus in illa urbe in æternum mansura sit, ut in sequentibus,, *Visitabit Jehovah gregem suum, domum Jehudæ, & ponet illos sicut equum gloriæ in bello; ex illo angularis, ex illo clavus; & ex illo arcus belli*,, Sach. X. 3. 4. 6. 7.,, *Ecce Ego venio, ut habitem in medio tui, & Jehovah hæreditatem faciet Jehudam, & eliget rursus Hierosolymam*, Sach. II. 14. 15. 16;, *Fiet in die illo, montes stillabunt mustum, & colles fluent lacte, & Jehudah in æternum erit; & Hierosolyma in generationem & generationem*,, Joel IV. 18. 19. 20.;, *Ecce dies venientes, quibus seminabo domum Israelis & domum Jehudæ semine hominis; & quibus pangam cum domo Israelis & cum domo Juhudæ fœdus novum, & hoc fœdus, dabo legem meam in medio eorum, & super cor eorum scribam illam, & ero illis in Deum, & illi erunt Mihi in populum*,, Jerem. XXXI. 27. 31. 33.;, *In die illo apprehendent decem viri ex omnibus linguis gentium, alam viri Judæi, dicentes, ibimus vobiscum, quia audivimus Deum vobiscum*,, Sachar. VIII. 22. 23; similiter alibi, ut Esaj. XLIV. 24. 26. Cap. XLIX. 22. 23. Cap. LXV. 9. Cap. LXVI. 20. 22. Jerem. III. 18. Cap. XXIII. 5. Cap. L. 19. 20. Nahum II. 1. Malach. III.

4; in quibus locis agitur de Adventu Domini, & quod hoc tunc futurum sit. Contrarium autem in pluribus aliis locis dicitur, ex quibus hic modo adducetur,, *Occultabo facies meas ab illis, videbo quid posteritas illorum, generatio enim perversionum illi, filii in quibus fidelitas non; dixerim, in extremos angulos ejiciam illos, cessare faciam ab homine memoriam illorum, nam gens deperdita consilii illi, nec in illis intelligentia. De vite Sodomæ vitis eorum & de agris Gomorrhæ; uvæ ejus uvæ fellis; botri amaritudinum illis; venenum draconum vinum illorum, & fel aspidum crudele. Omne illud absconditum apud Me, obsignatum in thesauris meis: Mihi vindicta & retributio*,, Deutr. XXXII. 20 ad 35; hæc de illa gente dicta sunt; & similia alibi, ut Esaj. III. 1. 2. 8. Cap. V. 3 ad 6. Deutr. IX. 5. 6 Matth. XII. 39. Cap. XXIII. 27. 28. Joh. VIII. 44; & ubivis apud Jeremiam & Ezechielem; sed hæc, quæ apparent contrariantia, patebunt ut concordantia ex Doctrina, quæ docet, quod per Israelem & per Jehudam in Verbo non intelligantur Israel & Jehudah, sed Ecclesia in utroque sensu, in uno quod devastata sit, in altero quod a Domino instauranda. His similia sunt alia in Verbo; ex quibus manifeste patet, quod Verbum absque Doctrina non intelligatur.

52. Ex his constare potest, quod qui Verbum absque Doctrina legunt, aut qui non ex Verbo sibi Doctrinam comparant, sint in obscuro de omni veritate, & quod mens eorum sit vaga & incerta, prona in errores, & quoque facilis ad hæreses, quas etiam amplectuntur, si favor aut auctoritas aspirat, & fama non periclitatur: est enim Verbum illis sicut candelabrum absque lumine, ac vident in umbra tanquam multa, & tamen vident vix aliquid, nam sola Doctrina est lucerna: vidi tales exploratos ab Angelis, ac inventos, quod confirmare possent ex Verbo quodcunque volunt, & quod confirment, quæ sunt amoris sui, & amoris illorum quibus favent; & vidi illos nudatos vestibus, signum quod essent absque veris: vestes ibi sunt vera.

53. II. *Quod Doctrina ex Sensu literæ Verbi haurienda sit, & confirmanda*, est quia Dominus ibi & non alibi apud hominem præsens est, ac illustrat & docet illum vera Ecclesiæ; & Dominus nusquam operatur aliquid nisi in pleno, & Verbum in sensu literæ est in suo pleno, ut supra ostensum est: inde est quod Doctrina ex sensu literæ haurienda sit.

54. Quod Verbum per Doctrinam non modo intelligatur, sed etiam quasi luceat, est quia Verbum absque Doctrina non intelligitur, & est sicut candelabrum absque lumine, ut supra ostensum est, ideo Verbum per doctrinam intelligitur & est sicut candelabrum cum accenso lumine: homo tunc videt plura quam prius viderat, & quoque intelligit illa quæ non prius intellexerat; obscura & discordantia vel non videt & præterit, vel videt & explicat ut cum Doctrina concordent. Quod Verbum ex Doctrina videatur, & quoque secundum illam explicetur, testatur Experientia in Christiano Orbe; Omnes Reformati enim vident Verbum ex sua Doctrina, & Verbum secundum illam explicant; similiter Pontificii ex sua & secundum illam; imo Judæi ex sua & secundum illam, consequenter falsa ex Doctrina falsa, & vera ex Doctrina vera. Inde patet, quod Doctrina vera sit instar lucernæ in tenebris, ac instar indicis in viis. At Doctrina non modo ex sensu literæ Verbi haurienda est,

ſed etiam per illum confirmanda, nam ſi non per illum confirmatur, apparet Verum Doctrinæ ſicut modo intelligentia hominis foret in illa, & non Divina Sapientia Domini, & ſic foret doctrina ſicut domus in aere, & non ſuper terra, ita non fundata.

55. Doctrina genuini veri ex ſenſu literali Verbi etiam plene poteſt hauriri; nam Verbum in illo ſenſu eſt tanquam homo veſtitus, cui facies eſt nuda, & quoque manus ſunt nudæ; omnia quæ ad vitam hominis, ita quæ ad ſalutem ejus pertinent, ſunt ibi nuda, reliqua autem veſtita; & in multis locis, ubi veſtita ſunt, tranſparent, ſicut facies per tenue ſericum. Etiam vera Verbi, ſicut multiplicantur ex amore illorum, & ſicut per hunc ordinantur, ita clarius & clarius per veſtes pellucent & apparent: ſed hoc quoque per Doctrinam.

56. Credi poteſt, quod Doctrina genuini veri comparari poſſit per ſenſum ſpiritualem Verbi, qui datur per ſcientiam correſpondentiarum; at Doctrina per illum non comparatur, ſed modo illuſtratur & cortoboratur; nam, ut prius n. 26 dictum eſt, in ſenſum ſpiritualem Verbi per correſpondentias nemo venit, niſi prius in genuinis veris ex doctrina ſit: ſi non in genuinis veris prius eſt, poteſt homo Verbum per aliquot correſpondentias notas falſificare, conjungendo & explicando illas ad confirmandum id quod menti ex principio capto inhæret. Præterea ſenſus ſpiritualis non datur alicui, niſi a ſolo Domino, & cuſtoditur ab Ipſo, ſicut cuſtoditur cælum, nam Cælum eſt in illo. Præſtat itaque ut homo ſtudeat Verbo in ſenſu literæ, ex illo ſolo datur Doctrina.

57. III. *Quod genuinum verum, quod Doctrinæ erit, in ſenſu literæ Verbi non appareat aliis quam qui in illuſtratione ſunt a Domino.* Illuſtratio eſt a ſolo Domino, & apud illos qui amant vera quia vera ſunt, & faciunt illa uſus vitæ; apud alios non datur illuſtratio in Verbo. Quod illuſtratio ſit a ſolo Domino, eſt quia Dominus eſt in omnibus Verbi; quod illuſtratio ſit apud illos, qui amant vera quia vera ſunt, & faciunt illa uſus vitæ, eſt quia illi ſunt in Domino, & Dominus in illis; eſt enim Dominus Divinum ſuum Verum, hoc cum amatur quia Divinum Verum eſt, & hoc amatur quando fit uſus, tunc Dominus in illo eſt apud hominem. Hæc etiam Dominus docet apud Johannem, *In die illo cognoſcetis, quod vos in Me & Ego in vobis; qui habet præcepta mea & facit illa, ille amat Me, & Ego amabo illum, & manifeſtabo illi Me Ipſum, & ad illum veniam & manſionem apud illum faciam*, XIV. 20. 21. 23: Et apud Matthæum „ *Beati mundi corde, quia hi Deum videbunt*„ V: 8. hi ſunt, qui in illuſtratione ſunt, cum legunt Verbum, & apud quos Verbum lucet & tranſlucet.

58. Quod Verbum apud illos luceat & tranſluceat, eſt quia ſingulis Verbi ſenſus ſpiritualis & cæleſtis ineſt, & hi ſenſus ſunt in luce cæli, quare Dominus per illos ſenſus, & per illorum lucem, influit in ſenſum naturalem, & in hujus lucem apud hominem; inde homo ex interiore perceptione agnoſcit verum, & dein in cogitatione ſua videt illud, & hoc quoties in affectione veri propter verum eſt; ex affectione enim venit perceptio, ex perceptione cogitatio, & ſic fit agnitio, quæ fides vocatur. Sed de hac re plura dicentur in ſequente Articulo de conjunctione Domini cum homine per Verbum.

59. Apud hos primum eſt, quod ex Verbi ſenſu literali comparent ſibi Doctrinam,

trinam, ita accendunt sibi lucernam ad ulteriorem progressum; postquam autem comparata est Doctrina, & sic accensa lucerna, ex illa vident Verbum. Illi autem, qui non comparant sibi Doctrinam, primum inquirunt num Doctrina ab aliis data, & a communi cœtu recepta, cum Verbo concordet, & ad illa quæ concordant, consentiunt, & ad illa quæ non concordant, dissentiunt; ita fit illis sua Doctrina, & per Doctrinam sua Fides. Sed hoc fit solum apud illos, qui non distracti a negotiis mundi possunt videre, hi, si amant vera quia vera sunt & faciunt illa usus vitæ, in illustratione sunt a Domino: reliqui qui in aliqua vita sunt secundum vera, possunt ab illis discere.

60. Contrarium fit illis, qui ex doctrina religionis falsæ legunt Verbum, & plus illis qui Doctrinam illam ex Verbo confirmant, & tunc spectant ad sui gloriam aut ad mundi opes: apud hos verum Verbi est sicut in umbra noctis, & falsum sicut in luce diei; legunt verum, sed non vident illud, & si umbram ejus vident, falsificant illud; sunt hi, de quibus Dominus dicit,, *Quod oculos habeant & non videant, & quod aures & non intelligant*, Matth. XIII. 14. 15; nam nihil aliud occæcat hominem, quam proprium ejus, & confirmatio falsi; proprium hominis est amor sui, & inde fastus propriæ intelligentiæ; ac confirmatio falsi est caligo mentiens lucem; lux horum est mere naturalis, & visus illorum est sicut videntis larvas in umbra.

61. Datum est loqui cum multis post mortem, qui crediderunt se sicut stellæ lucituros in cælo, quia, ut dixerunt, sanctum habuerunt Verbum, sæpius perlegerunt illud, plura inde collegerunt, per quæ fidei suæ dogmata confirmaverunt, & per id in mundo ut docti celebrati sunt, ex quo credebant se Michaeles & Raphaeles futuros: sed plures ex illis explorati sunt, ex quo amore studuerunt Verbo, ac inventi, quod aliqui ex amore sui, ut magni in mundo apparerent, & sicut primates Ecclesiæ colerentur, aliqui autem ex amore mundi ut lucrarentur opes; hi dum explorati sunt, quid scirent ex Verbo, compertum est, quod inde nihil genuini veri scirent, sed modo tale, quod vocatur verum falsificatum, quod in se est falsum; & dictum est illis, quod hoc illis esset ex causa, quia ipsi & mundus fuerunt fines, seu quod idem est, amores, & non Dominus & cælum, & cum ipsi & mundus sunt fines, tunc cum legunt Verbum, hæret mens illorum in seipsis & in mundo, & inde cogitant jugiter ex suo proprio, quod in caligine est quoad omnia quæ cæli sunt; in quo statu non potest homo a Domino subduci ex proprio, & sic elevari in lucem cæli, proinde nec aliquem influxum a Domino per cælum recipere. Vidi etiam hos in cælum admissos, at cum ibi inventi sunt quod absque veris essent, dejecti sunt; sed usque remansit apud illos fastus, quod meruerint. Aliter factum est cum illis, qui studuerunt Verbo ex affectione sciendi Verum quia est Verum, & quia inservit usibus vitæ, non modo suæ, sed etiam proximi, illos vidi elevatos in Cælum, & sic in lucem in qua est Divinum Verum ibi, & simul tunc exaltatos in sapientiam angelicam, & in felicitatem ejus, quæ est vita æterna.

Quod

Quod per ſenſum literæ Verbi ſit conjunctio cum Domino, & conſociatio cum angelis.

62. Quod per Verbum ſit conjunctio cum Domino, eſt quia Verbum de ſolo Ipſo agit, & per id Dominus eſt omne in omnibus ejus, & vocatur Verbum, ut in Doctrina de Domino, oſtenſum eſt. Quod in ſenſu literæ ſit conjunctio, eſt quia Verbum in illo ſenſu eſt in ſuo pleno, in ſuo ſancto & in ſua potentia, ut ſupra in ſuo Articulo oſtenſum eſt. Conjunctio non apparet homini, ſed eſt in affectione veri, & in perceptione ejus, ita in Divini veri amore & fide apud illum.

63. Quod per ſenſum literæ ſit conſociatio cum angelis cæli, eſt quia illi ſenſui ineſt ſenſus ſpiritualis & ſenſus cæleſtis, & in his ſenſibus ſunt angeli; angeli Regni ſpiritualis in ſeuſu ſpirituali Verbi, & angeli Regni cæleſtis in ſenſu cæleſti ejus: hi ſenſus evolvuntur ex ſenſu naturali Verbi, qui eſt ſenſus literæ, dum homo verus in illo eſt: evolutio eſt inſtantanea, proinde etiam conſociatio.

64. Quod Angeli ſpirituales in ſenſu ſpirituali Verbi ſint, & Angeli cæleſtes in ſenſu cæleſti ejus, manifeſtatum eſt mihi per multam experientiam: datum eſt percipere, quod cum legi Verbum in ſenſu literæ ejus, communicatio facta ſit cum cælis, nunc cum hac illorum ſocietate, nunc cum illa; & quod ea, quæ ego ſecundum ſenſum naturalem intellexi, Angeli ſpirituales ſecundum ſenſum ſpiritualem, & Angeli cæleſtes ſecundum ſenſum cæleſtem intellexerint, & hoc in inſtanti: hæc communicatio quia per aliquot millenas vices percepta eſt, de illa non relicta eſt mihi ulla dubitatio. Sunt etiam ſpiritus, qui infra cælos ſunt, & hac communicatione abutuntur, recitant enim aliquot dicta ex ſenſu literæ Verbi, & illico animadvertunt & notant Societatem, cum qua communicatio fit: hoc etiam ſæpe vidi & audivi. Ex his per vivam experientiam datum eſt ſcire, quod Verbum quoad ſenſum literæ ejus ſit Divinum medium conjunctionis cum Domino & cum Cælo. De hac conjunctione per Verbum videantur etiam, quæ in Opere de CÆLO ET INFERNO n. 303 ad 310, allata ſunt.

65. Sed quomodo evolutio illorum ſenſuum fit, etiam paucis dicetur, ſed ut intelligatur, recolligendum eſt quod ſupra n. 6. 38, de Ordine ſucceſſivo & de Ordine ſimultaneo, dicta ſunt, nempe quod cæleſte, ſpirituale, & naturale ſequantur in ordine ſucceſſivo unum poſt alterum a ſupremis quæ in cælo ſunt ad ultima quæ in mundo; & quod eadem in Ordine ſimultaneo ſint in ultimo, quod eſt naturale, unum juxta alterum ab intimis ad extima: & quod ſimiliter ſint ſucceſſivi ſenſus Verbi, cæleſtis & ſpiritualis, ſimul in naturali. His comprehenſis aliquantum explicari ad intellectum poteſt, quomodo bini ſenſus, ſpiritualis & cæleſtis, evolvuntur ex ſenſu naturali, quando homo Verbum legit; tunc enim Angelus ſpiritualis evocat ſpirituale, & Angelus cæleſtis evocat cæleſte, nec aliter poſſunt, ſunt enim homogenea, ac naturæ & eſſentiæ illorum conſentanea.

66. Sed

66. Sed hoc primum illuſtretur per comparationes ex tribus Regnis naturæ, quæ vocantur Animale, Vegetabile & Minerale. Ex Regno animali: ex cibo, cum factus eſt Chylus, hauriunt & evocant vaſa ſuum ſanguinem; fibræ nerveæ ſuum ſuccum; & ſubſtantiæ, quæ ſunt origines fibrarum, ſuum ſpiritum animalem. Ex Regno Vegetabili: Arbor cum trunco, ramis, foliis & fructibus ſtat ſuper radice ſua, & ex humo per radicem extrahit & evocat ſuccum craſſiorem pro trunco, ramis & foliis, puriorem pro carne fructuum, & puriſſimum pro ſeminibus intra fructus. Ex Regno minerali: in gremio terræ in quibusdam locis ſunt mineræ imprægnatæ auro, argento & ferro; ex halitibus in terra reconditis trahit aurum ſuum elementum, argentum ſuum, & ferrum ſuum.

67. Illuſtretur nunc per exemplum, quomodo Angeli ſpirituales extrahunt ſuum ſenſum, & Angeli cæleſtes ſuum, ex ſenſu naturali, in quo eſt Verbum apud homines: in exemplum ſint quinque Præcepta decalogi. Præceptum, *Patrem tuum & Matrem tuam honorabis*: homo per patrem & matrem intelligit patrem & matrem in terra, ut & omnes qui loco patris & matris ſunt, & per honorare intelligit illos honore habere, & illis obedire. At Angelus ſpiritualis per Patrem intelligit Dominum & per Matrem Eccleſiam; & per honorare intelligit amare. Angelus autem cæleſtis per Patrem intelligit Divinum Amorem Domini, per Matrem Divinam Sapientiam Ipſius, & per honorare facere bonum ab Ipſo. Præceptum, *Non furaberis*, homo per furari intelligit furari, defraudare, ſub aliqua ſpecie proximo auferre ſua bona. Angelus ſpiritualis per furari intelligit deprivare alios ſuæ fidei veris & charitatis bonis, per falſa & mala. Angelus autem cæleſtis per furari intelligit attribuere ſibi illa quæ Domini ſunt, ac vindicare ſibi juſtitiam & meritum Ipſius. Præceptum, *non adulteraberis*; homo per adulterari intelligit adulterium committere, ſcortari, obſcæna facere, laſciva loqui, & ſpurca cogitare. Angelus ſpiritualis per adulterari intelligit adulterare bona Verbi, & falſificare vera ejus. Angelus autem cæleſtis per adulterari intelligit negare Divinum Domini, & prophanare Verbum. Præceptum, *non occides*; homo per occidere etiam intelligit odio habere, & vindictam cupere uſque ad necem. Angelus ſpiritualis pro occidere intelligit diabolum agere & necare animam hominis. Angelus autem cæleſtis pro occidere intelligit Dominum odio habere, & illa quæ Domini ſunt. Præceptum, *Non falſe teſtaberis*; homo per falſe teſtari etiam intelligit mentiri & diffamare. Angelus ſpiritualis pro falſe teſtari intelligit dicere & perſuadere quod falſum ſit verum, ac malum ſit bonum, & viciſſim. Angelus autem cæleſtis pro falſe teſtari intelligit blaſphemare Dominum & Verbum. Ex his videri poteſt, quomodo evolvitur & extrahitur ſpirituale & cæleſte ex ſenſu naturali Verbi, cui inſunt: & quod mirabile eſt, quod Angeli extrahant ſua, præter quod ſciant quid homo cogitat; at uſque cogitationes angelorum & hominum unum faciunt per correſpondentias, ſicut finis, cauſa & effectus; fines etiam actualiter ſunt in Regno cæleſti, cauſæ in Regno ſpirituali, & effectus in Regno naturali: ipſa conjunctio per correſpondentias talis eſt ex creatione; inde nunc eſt conſociatio cum angelis per Verbum.

68. Quod consociatio hominis cum angelis sit per sensum naturalem seu literalem Verbi, est quoque, quia in unoquovis homine ex creatione sunt tres gradus vitæ, cælestis, spiritualis & naturalis; sed homo in naturali est, quamdiu est in mundo, & tunc tantum in spirituali quantum in genuinis veris est, & tantum in cælesti quantum in vita secundum illa est; at usque non venit in ipsum spirituale aut cæleste quam post mortem. Sed de hac re plura alibi.

69. Ex his constare potest, quod in solo Verbo, per id quod sit conjunctio cum Domino, & consociatio cum angelis, sit spiritus & vita, sicut Dominus docet,, *Verba, quæ Ego loquor vobis, spiritus & vita sunt*,, Joh. VI. 63.,, *Aqua, quam Ego dabo vobis, fiet fons aquæ salientis in vitam æternam*,, Joh. IV. 14.,, *Homo non ex solo pane vivit, sed ex omni verbo egrediente ex ore Dei*,, Matth. IV. 4.,, *Operamini cibum, qui manet in vitam æternam, quem Filius hominis vobis dabit*,, Joh. VI. 27.

Quod Verbum in omnibus Cælis sit, & quod inde sapientia angelica.

70. Quod Verbum in Cælis sit, non est hactenus notum, nec potuit notum fieri, quamdiu Ecclesia ignoravit, quod angeli & spiritus sint homines similes hominibus in mundo, & quod illis similia sint quæ hominibus in omni re, cum sola differentia, quod illi spirituales sint, & quod omnia quæ apud illos sunt, ex origine spirituali sint, & quod homines in mundo naturales sint, & quod omnia apud eos ex origine naturali sint; quamdiu hoc latuit, non potuit sciri, quod Verbum etiam in cælis sit, & quod legatur ab angelis ibi, & quoque a spiritibus qui sub cælis sunt. Sed ne hoc lateret in perpetuum, datum est mihi in consortio esse cum angelis & spiritibus, & loqui cum illis, & videre quæ apud illos, & postea referre plura quæ audivi & vidi; hoc factum est in Opere de CÆLO ET INFERNO Anno 1748 Londini edito: ex quo videri potest, quod angeli & spiritus sint homines, & quod omnia in copia apud illos sint, quæ apud homines in mundo. Quod angeli & spiritus homines sint, videatur in illo Opere n. 73 ad 77, & n. 453 ad 456: quod similia sint apud illos, quæ apud homines in mundo, n. 170 ad 190: tum etiam quod Cultus Divinus, & quod Prædicationes in Templis apud illos sint, n. 221 ad 227: & quod Scripturæ & quoque Libri, n. 258 ad 264: & quod Verbum, n. 259.

71. Quod Verbum in Cælo attinet, hoc scriptum est stylo spirituali, qui prorsus differt a stylo naturali: stylus spiritualis consistit ex meris literis, quarum unaquævis involvit sensum, & sunt punctationes super literis, quæ exaltant sensum Literæ apud Angelos Regni spiritualis sunt similes literis typographicis in nostro mundo; & literæ apud Angelos Regni cælestis, quarum unaquævis etiam involvit integrum sensum, sunt similes vetustis literis Hebraicis, inflexæ vario modo, cum signis supra & intra. Quia talis est scriptura illorum, ideo non aliqua Nomina personarum & locorum in illorum Verbo sunt, quæ in nostro,

ſtro, ſed pro Nominibus ſunt res, quas ſignificant; ſicut pro Moſe Verbum Hiſtoricum, pro Elia Verbum Propheticum; pro Abrahamo, Iſaco & Jacobo, Dominus quoad Divinum & Divinum Humanum; pro Aharone Sacerdotium, pro Davide Regium, utrumque Domini; pro nominibus duodecim filiorum Jacobi, ſeu tribuum Iſraelis, varia Cæli & Eccleſiæ; ſimilia pro nominibus duodecim diſcipulorum Domini; pro Zione & Hieroſolyma, Eccleſia quoad Verbum & quoad Doctrinam e Verbo; pro Terra Canaane ipſa Eccleſia; pro Urbibus ibi cis & trans Jordanem, varia quæ Eccleſiæ & ejus Doctrinæ ſunt; ſimiliter in reliquis. Simile eſt cum Numeris, hi nec in Verbo, quod in cælo eſt, ſunt, ſed pro illis res, quibus numeri, qui in noſtro Verbo ſunt, correſpondent. Ex his conſtare poteſt, quod Verbum in Cælo ſit Verbum correſpondens noſtro Verbo, & ſic quod unum ſint; nam correſpondentiæ faciunt unum.

72. Hoc mirabile eſt, quod Verbum in cælis ita ſcriptum ſit, ut ſimplices illud ſimpliciter intelligant, ac ut ſapientes ſapienter; ſunt enim plures punctationes & ſignationes ſuper literis, quæ, ut dictum eſt, exaltant ſenſum; ſimplices ad illas non attendunt, nec illas norunt, at ſapientes attendunt, quiſque ſecundum ſuam ſapientiam, uſque ad ſummam. Exemplar Verbi ab angelis a Domino inſpiratis ſcriptum, apud unamquamque ſocietatem Cæli majorem in Sacrario ejus, repoſitum eſt, ne illud quoad aliquod punctum alibi immutetur. Verbum noſtrum quidem in eo ſimile eſt Verbo in Cælo, quod ſimplices illud ſimpliciter intelligant, & ſapientes ſapienter, ſed hoc fit alio modo.

73. Quod omnis ſapientia ſit Angelis per Verbum, hoc fatentur ipſi, nam quantum in Verbi intellectu ſunt, tantum in luce ſunt: Lux Cæli eſt Divina Sapientia, quæ coram oculis eorum eſt Lux. In Sacrario, in quo Exemplar Verbi repoſitum eſt, eſt Lux flammea & candida, excedens omnem gradum lucis, quæ extra illud in Cælo eſt. Cauſa eadem eſt, quæ ſupra dicta, quod Dominus ſit in verbo.

74. Sapientia Angelorum cæleſtium excedit ſapientiam Angelorum ſpiritualium, pæne ſicut ſapientia angelorum ſpiritualium excedit ſapientiam hominum; & hoc ex cauſa, quia Angeli cæleſtes in bono amoris a Domino ſunt, & Angeli ſpirituales in veris ſapientiæ a Domino ſunt; & ubi bonum amoris eſt, ibi reſidet ſapientia ſimul, at ubi vera ſunt, ibi non reſidet plus ſapientiæ, quam quantum ſimul bonum amoris. Hæc cauſa eſt, quod Verbum in Regno cæleſti aliter ſcriptum ſit, quam Verbum in Regno ſpirituali; nam in Verbo Regni cæleſtis ſunt expreſſa bona amoris, & ſigna ſunt affectiones, at in Verbo Regni ſpiritualis ſunt expreſſa vera ſapientiæ, & ſigna ſunt perceptiones.

75. Ex his concludi poteſt, qualis ſapientia in Verbo, quod in mundo eſt, recondita latet; in hoc enim latet omnis ſapientia angelica, quæ ineffabilis eſt, eſt enim continens ejus; & in illam venit homo poſt mortem, qui a Domino per Verbum Angelus fit.

Quod Ecclesia sit ex Verbo, & quod talis sit qualis ei est intellectus Verbi.

76. Quod Ecclesia sit ex Verbo, hoc non venit in dubium; nam Verbum est ipsum Divinum Verum, n. 1 ad 4. Ex Verbo est Doctrina Ecclesiæ, n. 50 ad 61. Et per Verbum est conjunctio cum Domino, n. 62 ad 69. Sed quod Intellectus Verbi faciat Ecclesiam, hoc in dubium venire potest, quoniam sunt qui credunt, quod ab Ecclesia sint quia Verbum habent, id legunt vel a prædicatore audiunt, & aliquid ex sensu literæ ejus sciunt: sed quomodo hoc & illud in Verbo intelligendum est, non sciunt, & quidam non tanti æstimant: quare hic confirmabitur, quod non Verbum faciat Ecclesiam, sed intellectus ejus, & quod Ecclesia talis sit, qualis est intellectus Verbi apud illos, qui in Ecclesia sunt. Hoc confirmatur ex his.

77. Verbum est Verbum secundum intellectum ejus apud hominem, hoc est, sicut intelligitur, si non intelligitur, Verbum quidem vocatur Verbum, sed apud hominem non est. Verbum est Veritas secundum intellectum ejus, nam potest Verbum non Veritas esse, potest enim falsificari. Verbum est spiritus & vita secundum intellectum ejus, nam litera absque intellectu ejus est mortua. Quoniam homini est veritas & vita secundum intellectum Verbi, est quoque ei fides & amor secundum illum, nam veritas est fidei, & amor est vitæ. Nunc quia per fidem & amorem, & secundum illa, est Ecclesia, sequitur quod per intellectum Verbi, & secundum illum, Ecclesia sit Ecclesia, Ecclesia nobilis si in genuinis veris est, ignobills si non in genuinis veris, & destructa si in falsificatis veris.

78. Præterea Dominus apud hominem præsens est & ei conjunctus per Verbum, quoniam Dominus est Verbum, & in illo quasi loquitur cum homine, tum quia Dominus est ipsum Divinum Verum, & quoque Verbum est illud. Ex hoc patet, quod Dominus apud hominem præsens sit, & simul illi conjunctus, secundum intellectum Verbi, nam secundum illum est homini veritas & inde fides, tum etiam amor & inde vita: sed est Dominus præsens apud hominem per lectionem Verbi, at ei conjunctus per intellectum veri ex Verbo, & secundum illum; & quantum Dominus homini conjunctus est, tantum in homine est Ecclesia. Ecclesia est in homine, Ecclesia quæ extra illum est, est Ecclesia apud plures, in quibus est Ecclesia; hoc intelligitur per Domini verba ad Pharisæos interrogantes, quando venit Regnum Dei,, *Regnum Dei intra vos est*,, Luc. XVII. 21; per Regnum Dei intelligitur ibi Dominus, & ab Ipso Ecclesia.

79. In multis locis apud Prophetas agitur de intellectu Verbi, ubi agitur de Ecclesia, & docetur quod non alibi sit Ecclesia, quam ubi Verbum juste intelligitur, & quod talis sit Ecclesia, qualis est intellectus Verbi apud illos qui in illa sunt: multis in locis apud Prophetas etiam describitur Ecclesia apud gentem Israeliticam & Judaicam, quod prorsus destructa & nulla facta sit per id, quod sensum seu intellectum Verbi falsificaverint, nam aliud non destruit Ec-

clesiam. Intellectus Verbi tam verus quam falsus describitur apud Prophetas per Ephraimum, imprimis apud Hoscheam, nam per Ephraimum in Verbo significatur Intellectus Verbi in Ecclesia: & quia intellectus Verbi facit Ecclesiam, ideo Ephraim vocatur *Filius pretiosus, & natus delitiarum*,, Jerem. XXXI. 21. *Primogenitus*, Jerem. XXXI. 20. *Robur capitis Jchovæ*,, Psalm. LX. 9. Psalm. CVIII. 9. *Potens*, Sach. X. 7. *Impletus arcu*, Sach. IX. 13: & filii *Ephraimi vocantur armati & jaculatores arcus*, Psalm. LXXVIII. 9; per arcum significatur doctrina ex Verbo pugnans contra falsa. Ideo etiam *Ephraim ad dextram Israelis translatus est, & benedictus: tum loco Rubenis acceptatus*, Gen. XLVIII. 5. 11, seq. Et ideo *Ephraim una cum fratre suo Menasse, a Mose in Benedictione filiorum Israelis sub nomine Josephi patris illorum supra omnes exaltatus est*,, Devtr. XXXIII. 13 ad 17. Qualis autem Ecclesia est, quando Intellectus Verbi est deperditus, per Ephraimum etiam apud Prophetas describitur, imprimis apud Hoscheam; ut patet ex his,, *Israel & Ephraim corruent. Ephraim in solitudinem erit. Ephraim oppressus & concussus judicii. Ego ero ut leo Ephraimo, rapiam & ibo, auferam & non eripiens*,, Hosch. V. 5. 9. 11. 12. 13. 14.,, *Quid faciam tibi Ephraim, quia sanctitas tua, sicut nubes auroræ, & sicut ros mane cadens, abit*,, Hosch. VI. 4. *Non habitabunt in terra Jehovæ, revertetur Ephraim Ægyptum, & in Assyria immundum comedet*,, Hosch. IX. 3; terra Jehovæ est Ecclesia; Ægyptus est scientificum naturalis hominis; Assyria est ratiocinatio inde, ex quibus Verbum quoad intellectum ejus falsificatur; ideo dicitur, quod Ephraim in Ægyptum revertetur, & in Assyria immundum comedet.,, *Ephraim pascens ventum, & persequitur eurum; omni die mendacium & vastationem multiplicat; fœdus cum Assyrio pangit, & oleum in Ægyptum defertur*,, Hosch. XII. 2; pascere ventum, persequi eurum, ac multiplicare mendacium & vastationem, est falsificare vera, & sic destruere Ecclesiam. Simile etiam significatur per scortationem Ephraimi; nam scortatio significat falsificationem intellectus Verbi, hoc est, genuini veri ejus; in his,, *Ego novi Ephraimum, quod omnino scortatus sit, & pollutus sit Israel*,, Hosch. V. 3.,, *In domo Israelis vidi rem fœdam, ibi scortatus est Ephraim, & pollutus est Israel*,, Hosch. VI. 10: Israel est ipsa Ecclesia, & Ephraim est intellectus Verbi, ex quo & secundum quem est Ecclesia, quare dicitur scortatus est Ephraim & pollutus est Israel. Quoniam Ecclesia apud Judæos per falsificationes Verbi plane destructa fuit, ideo de Ephraimo ita dicitur,, *Dabo te Ephraim, tradam te Israel, sicut Adamam, & ponam te sicut Zeboim*,, Hosch. XI. 8. Nunc quia apud Prophetam Hoscheam a primo Capite ad ultimum ibi agitur de falsificatione Verbi, & de destructione Ecclesiæ per illam, & quia per scortationem significatur falsificatio veri ibi, ideo mandatum est illi Prophetæ, ut repræsentaret illum statum Ecclesiæ per quod acciperet sibi scortum in mulierem, & ex illa gigneret filios, Cap. I. ac iterum ut acciperet mulierem adulteram; Cap. III. Hæc allata sunt, ut ex Verbo sciatur & confirmetur, quod Ecclesia talis sit qualis est intellectus Verbi in illa, præstans & pretiosa, si intellectus ejus sit ex genuinis veris ex Verbo, at destructa, imo fœda, si ex falsificatis. Ad confirmationem, quod per Ephraimum significetur intellectus Verbi, & in opposito sensu ille falsificatus, & quod

inde sit destructio Ecclesiæ, conferri possunt reliqua loca, in quibus de Ephraimo agitur, ut Hosch. IV. 17. 18. Cap. VII. 1. 11. Cap. VIII. 9. 11. Cap. IX. 11. 12. 13. 16. Cap. X. 11. Cap. XI. 3. Cap. XII. 1. 9. 15. Cap. XIII. 1. 12. Esaj. XVII. 3. Cap. XXVIII. 1. Jerem. IV. 15. Cap. XXXI. 6. 18. Cap. L. 19. Ezech. XXXVII. 16. Cap. XLVIII. 5. Obad. Vers. 9. Sachar. IX. 10.

Quod in singulis Verbi sit conjugium Domini & Ecclesiæ, & inde conjugium boni & veri.

80. QUod in singulis Verbi sit conjugium Domini & Ecclesiæ, & inde conjugium boni & veri, hactenus non visum est, nec videri potuit, quia sensus spiritualis Verbi non prius detectus est, & id non videri potest nisi per illum. Sunt enim bini sensus in Verbo, latentes in sensu literæ ejus, spiritualis & cælestis; in Spirituali sensu se referunt illa quæ in Verbo sunt, maxime ad Ecclesiam, & in Cælesti maxime ad Dominum; tum in Spirituali sensu se referunt illa ad Divinum Verum, & in Cælesti ad Divinum Bonum; inde est in sensu literæ Verbi illud conjugium. Sed hoc non apparet alicui, nisi qui ex sensu spirituali & cælesti Verbi scit vocum & nominum significationes, nam quædam voces & nomina prædicantur de bono, & quædam de vero, & quædam includunt utrumque; quare absque illa cognitione Conjugium illud in singulis Verbi non videri potuit. Hæc causa est, quod hoc Arcanum non prius detectum fuerit.

81. Quia tale Conjugium in singulis Verbi est, ideo multoties in Verbo sunt binæ Expressiones, quæ apparent sicut Repetitiones ejusdem rei, attamen non sunt repetitiones, sed una se refert ad bonum, & altera ad verum, & utraque simul sumta facit conjunctionem illorum, ita unam rem; inde etiam est Divinitas Verbi, & Sanctitas ejus; nam in omni Opere Divino est Bonum conjunctum Vero, & Verum conjunctum Bono.

82. Dicitur, quod in singulis Verbi sit conjugium Domini & Ecclesiæ, & inde conjugium boni & veri, quia ubi conjugium Domini & Ecclesiæ est, ibi etiam conjugium boni & veri est, est enim hoc ab illo; nam cum Ecclesia seu homo Ecclesiæ in veris est, tunc Dominus in vera ejus influit cum bono, & illa vivificat; seu quod idem, cum Ecclesia seu homo Ecclesiæ per vera in intelligentia est, tunc Dominus per bonum amoris & charitatis in intelligentiam ejus influit, & sic ei infundit vitam.

83. Sunt binæ Facultates vitæ apud unumquemvis hominem, quæ vocantur Intellectus & Voluntas; Intellectus est receptaculum veri, & inde sapientiæ, & Voluntas est receptaculum boni & inde amoris; hæc unum facient, ut homo sit homo Ecclesiæ; ac unum faciunt, dum homo intellectum format ex genuinis veris, & hoc fit ad apparentiam sicut ab illo, & dum Voluntas ejus impletur bono amoris, hoc fit a Domino; inde homini vita veri & vita boni est,

est, vita veri in intellectu ex voluntate, & vita boni in voluntate per intellectum; hoc est conjugium veri & boni apud hominem, tum conjugium Domini & Ecclesiæ apud illum. Sed de reciproca hac conjunctione, quæ hic vocatur conjugium, in Sapientia Angelica de DIVINA PROVIDENTIA, de DIVINO AMORE ET DE DIVINA SAPIENTIA, & de VITA videbitur.

84. Quod in Verbo sint binæ Expressiones, quæ apparent sicut Repetitiones ejusdem rei, a legentibus, qui ad id attendunt, potest videri, ut frater & egenus, vastitas & solitudo, vacuitas & inanitas, hostis & inimicus, peccatum & iniquitas, ira & excandescentia, gens & populus, gaudium & lætitia, luctus & lachrymatio, justitia & judicium, &c: quæ apparent sicut synonyma, cum tamen usque non sunt, nam frater, pauper, vastitas, hostis, peccatum, ira, gens, gaudium, luctus, justitia, prædicantur de bono, & in opposito sensu de malo; at socius, egenus, solitudo, inanitas, inimicus, iniquitas, excandescentia, populus, lætitia, lachrymatio, judicium, prædicantur de vero, & in oppositio sensu de falso, & tamen apparet legenti, qui hoc arcanum non novit, quod pauper & egenus, vastitas & solitudo, vacuitas & inanitas, hostis & inimicus, una res sint, similiter peccatum & iniquitas, ira & excandescentia, gens & populus, gaudium & lætitia, luctus & lachrymatio, justitia & judicium, & tamen non una res sunt, sed una res fiunt per conjunctionem. In Verbo etiam conjunguntur plura, ut ignis & flamma, aurum & argentum, æs & ferrum, lignum & lapis, panis & aqua, panis & vinum, purpura & byssus &c. & hoc, quia ignis, aurum, æs, lignum, panis, purpura, significant bonum, ac flamma, argentum, ferrum, lapis, aqua, vinum & byssus significant verum: similiter, quod dicatur quod amaturi sint Deum ex toto corde & ex tota anima, tum quod Deus creaturus sit in homine novum cor & novum spiritum, cor enim prædicatur de bono amoris, anima de vero ex illo bono. Sunt etiam voces, quæ quia de utroque tam bono quam vero participant, solitarie absque adjunctis aliis dicuntur; sed hæc & plura alia, non exstant nisi coram Angelis, & coram illis, qui dum in sensu naturali, etiam in sensu spirituali, sunt.

85. Quod binæ tales Expressiones in Verbo sint, quæ apparent sicut repetitiones ejusdem rei, prolixum foret ex Verbo ostendere, nam chartas impleret: sed ut tollatur dubium, velim loca afferre, ubi JUDICIUM & JUSTITIA simul dicuntur, tum ubi GENS & POPULUS, ut & ubi GAUDIUM & LÆTITIA. Loca ubi JUDICIUM & simul JUSTITIA nominantur, hæc sint „ Urbs plena erat *Judicio*, *Justitia* pernoctabat, Esaj. I. 21. „ Zion in *Justitia* redimetur, & reduces ejus in *Judicio*., Esaj. I. 27. „ Exaltetur Jehovah Zebaoth in *Judicio*, & Deus Sanctus Sanctificetur in *Justitia*„ Esaj. V. 16. „ Sedebit super throno Davidis & super Regno ejus, ad stabiliendum illud in *Judicio* & in *Justitia*„ Esaj. IX. 6. „ Exaltetur Jehovah, quia inhabitat altum, & implevit terram *Judicio* & *Justitia*„ Esaj. XXXIII. 5. „ Dixit Jehovah, custodite *Judicium* & facite *Justitiam*; quia prope est *Salus* mea, ut *Justitia* mea revêletur „ Esaj. LVI. 1. „ Quasi gens quæ *Justitiam* fecit, & *Judicium* Dei sui non deseruit: rogent *Judicia Justitiæ* „ Esaj. LVIII. 2. Jura per vivum Jehovam in *Judicio* & in *Justitia* „

ſtitia,, Jer. IV. 2.,, De hoc glorietur qui gloriatur, quod Jehovah faciat *Judicium* & *Juſtitiam* in terra,, Jerem. IX. 23.,, Facito *Judicium* & *Juſtitiam*. Væ ædificanti domum ſuam ſine *Juſtitia*, & hyperoa ſua ſine *Judicio*. Nonne pater tuus fecit *Judicium* & *Juſtitiam*, & tunc bene illi,, Jer. XXXII. 3. 13. 15.,, Suſcitabo Davidi germen juſtum, qui regnet Rex, & faciat *Judicium* & *Juſtitiam* in terra,, Jer. XXIII. 5. Cap. XXXIII, 15.,, Si vir fuerit juſtus, qui fecerit *Judicium* & *Juſtitiam*,, Ezech XVIII. 5.,, Si impius reverſus fuerit, & fecerit *Judicium* & *Juſtitiam*, non fiet mentio contra eum, *Judicium* & *Juſtitiam* fecit, vivendo vivet,, Ezech. XXXIII. 14. 16. 19.,, Deſponſabo Me tibi in æternum in *Juſtitia* & in *Judicio*; & in *Miſericordia* & in *Miſerationibus*,, Hoſch. II. 19. Fluet ſicut aqua *Judicium*, & *Juſtitia* ſicut torrens fortis,, Amos V. 24.,, Convertiſtis *Judicium* in fel, & fructum *Juſtitiæ* in abſinthium,, Amos VI. 12.,, Jehovah litiget litem meam, & faciat *Judicium* mihi, & educat me in lucem, & videam *Juſtitiam* Ipſius,, Mich. VII. 9.,, Jehovah *Juſtitia* tua ſicut montes Dei, *Judicia* tua abyſſus magna,, Pſalm. XXXVI. 7.,, Jehovah educet ſicut lucem *Juſtitiam* ſuam, & *Judicium* ſicut meridiem,, Pſalm. XXXVII. 6.,, Jehovah judicabit populum ſuum in *Juſtitia*, & miſeros ſuos in *Judicio*,, Pſalm. LXXII. 2.,, *Juſtitia* & *Judicium* fulcrum Throni tui,, Pſalm. LXXIX. 5.,, Cum didicero *Judicia Juſtitiæ* tuæ. Septies in die laudo Te ſuper *Judiciis Juſtitiæ tuæ*,, Pſalm. CXIX. 7. 164.,, Gad *Juſtitiam* Jehovæ facit, & *Judicium* Ipſius cum Iſraele,, Deutr. XXXIII. 21.,, Spiritus veritatis arguet mundum de *Juſtitia* & de *Judicio*,, Joh. XVI. 8. 10: & alibi. Quod Judicium & Juſtitia toties dicantur, eſt quia Judicium dicitur de veris, & Juſtitia de bono, quare per facere Judicium & Juſtitiam etiam intelligitur facere ex vero & ex bono. Quod Judicium dicatur de vero & Juſtitia de bono, eſt quia Regimen Domini in Regno ſpirituali vocatur JUDICIUM, & Regimen Domini in Regno cæleſti vocatur JUSTITIA, de quo videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO n. 214. 215. Quia Judicium dicitur de vero, ideo in quibuſdam locis dicitur *Veritas* & *Juſtitia*, ut Eſaj. XI. 5. Pſalm. LXXXV. 12; & alibi.

86. Quod Repetiones ſicut ejuſdem rei, propter conjugium boni & veri, in Verbo ſint, clarius poteſt videri ex locis ubi dicuntur GENTES & POPULI; ut in his;,, Væ *Genti* peccatrici, *Populo* gravi iniquitate,, Eſaj. I. 4.,, *Populi* ambulantes in tenebris viderunt lucem magnam, multiplicaſti *Gentem*,, Eſaj. IX. 1. 2.,, Aſchur virga iræ meæ, contra *Gentem* hypocriticam mittam illum, contra *Populum* excandeſentiæ meæ mandabo illum,, Eſaj. X. 5. 6.,, Fiet in die illo, radicem Jiſchaji, qui ſtans in ſignum *Populorum Gentes* quærent,, Eſaj. XI. 10.,, Jehovah percutiens *Populos* plaga non curabili, dominans cum ira *Gentibus*,, Eſaj. XVI. 6.,. In die illo adducetur munus Jehovæ Zebaoth *Populus* diſtractus & expilatus, & *Gens* delineata & conculcata,, Eſaj. XVI. 2.,, Honorabunt Te *Populus* validus, urbs *Gentium* potentium timebunt Te,, Eſaj. XXV. 3,, Jehovah abſorbebit obvolutionem ſuper omnes *Populos*, & velamen ſuper omnes *Gentes*,, Eſaj. XXV. 8.,, Appropinquate *Gentes*, & *Populi* auſcultate,, Eſaj. XXXIV. 1.,, Vocavi Te in fœdus *Populo*, in lucem *Gentium*,, Eſaj XLII. 6,, Omnes *Gentes* congregentur una, & conveniant *Populi*,, E-

ſaj.

ſaj. XLIII. 9.,, Ecce tollam erga *Gentes* manum meam, & erga *Populos* ſignum meum,, Eſaj. XLIX. 22.,, In teſtem *Populis* dedi Ipſum, principem & legiſlatorem *Gentibus*,, Eſaj. LIV. 4. 5.,, Ecce *Populus* veniens e terra ſeptentrionis, & *Gens* magna e lateribus terræ,, Jer. VI. 22. 23.,, Non audire te faciam amplius calumniam *Gentium*, & opprobrium *Populorum* non portabis amplius,, Ezech. XXXVI 15.,, Omnes *Populi* & *Gentes* Ipſum colent,, Dan. VII. 14.,, Ne dicterium de illis faciant *Gentes*, & dixerint in *Populis*, ubi Deus eorum,, Joel. II. 17. Reliquiæ *Populi* mei deprædabuntur illos, & reſidui *Gentis* meæ hæreditabunt eos,, Zeph. II. 9.,, Venient *Populi* multi, & *Gentes* numeroſæ ad quærendum Jehovam Zebaoth in Hieroſolyma,, Sachar. VIII. 22.,, Viderunt oculi mei Salutare tuum, quod præparaſti ante faciem omnium *Populorum*, lumen in revelationem *Gentium*,, Luc. II. 30. 31. 32.,, Redemiſti nos ſangvine tuo ex omni *Populo* & *Gente*,, Apoc V. 9.,, Oportet te rurſus prophetare ſuper *Populos* & *Gentes*,, Apoc. X. 11.,, Pones Me in caput *Gentium*, *Populus*, quem non noveram, ſervient Mihi,, Pſalm. XVIII. 44.,, Jehovah irritum reddit conſilium *Gentium*, ſubvertit cogitationes *Populorum*,, Pſalm. XXXIII. 10.,, Ponis nos proverbium inter *Gentes*, motionem capitis inter *Populos*,, Pſalm. XLIV. 15.,, Jehovah ſubjiciet *Populos* ſub nos, & *Gentes* ſub pedes noſtros. Regnavit Jehovah ſuper *Gentes*; ſpontanei *Populorum* congregati ſunt,, Pſalm. XLVII. 4. 9. 10.,, Confitebuntur Te *Populi*, lætabuntur & jubilabunt *Gentes*; eo quod judicaturus ſis *Populos* rectitudine, & *Gentes* in terra ducturus es,, Pſalm. LXVII. 3. 4. 5.,, Memento mei Jehovah in beneplacito *Populi* tui, ut læter in gaudio *Gentium* tuarum,, Pſalm. CVI. 4. 5: præter alibi. Quod Gentes & ſimul Populi dicantur, eſt quia per Gentes intelliguntur qui in bono ſunt, & in oppoſito ſenſu qui in malo; & per Populos qui in veris, & in oppoſito ſenſu qui in falſis: quare illi qui e Spirituali Regno Domini ſunt, vocantur Populi, & illi qui e Cæleſti Regno Domini ſunt, vocantur Gentes; nam in Spirituali Regno ſunt omnes in veris & inde in ſapientia, in Cæleſti autem Regno ſunt omnes in bono & inde in amore.

87. Simile eſt cum reliquis, ſicut quod ubi dicitur Gaudium etiam dicatur Lætitia, ut in his,, Ecce *Gaudium* & *Lætitia* occidere bovem,, Eſaj. XXII. 13. *Gaudium* & *Lætitia* aſſequentur, fugient triſtitia & gemitus,, Eſaj. XXXV. 10. Cap. LI 11.,, Exciſum eſt e domo Dei noſtri *Lætitia* & *Gaudium*,, Joel. I. 16.,, Abrogabitur vox *Gaudii* & vox *Lætitiæ*,, Jer. VII. 34. Cap. XXV. 10.,, Jejunium decimi erit domui Jehudæ in *Gaudium* & *Lætitiam*,, Sach VIII. 19.,, Ut *Gaudeamus* omnibus diebus noſtris, *Lætifica* nos,, Pſalm. XC. 14. 15.,. *Lætemini* in Hieroſolyma, *Gaudete* in ea,, Eſaj. LXVI. 10.,, *Gaude* & *Lætare* filia Edomi,, Thren. IV. 21.,, *Lætabuntur* Cæli, & *Gaudebit* terra,, Pſalm. LXVIII. 4.,, Audire me facient *Gaudium* & *Lætitiam*,, Pſalm. LI 10.,, *Gaudium* & *Lætitia* invenietur in Zione, confeſſio & vox cantus,, Eſaj. LI. 3.,, Erit *Lætitia*, & multi ſuper nativitate Ipſius *Gaudebunt*,, Luc. I. 14.,, Ceſſare faciam vocem *Gaudii* & vocem *Lætitiæ*, vocem ſponſi & vocem ſponſæ,, Jer. VII. 34. Cap. XVI. 9. Cap. XXV. 10.,, Adhuc audietur in loco hoc vox *Gaudii* & vox *Lætitiæ*, & vox ſponſi & vox ſponſæ,, Jerem. XXXIII. 10.

11; & alibi. Quod utrumque tam gaudium quam lætitia dicatur, est quia gaudium est boni & lætitia est veri, seu gaudium est amoris & lætitia est sapientiæ, est enim gaudium cordis & lætitia animæ, seu est gaudium voluntatis & lætitia intellectus. Quod conjugium Domini & Ecclesiæ etiam in his sit, patet ex eo, quod dicatur, *Vox gaudii & vox lætitiæ, vox Sponsi & vox Sponsæ*, Jerem. VII. 34. Cap. XVI. 9. Cap. XXV. 10. Cap. XXXIII. 10. 11, & Dominus est Sponsus & Ecclesia est Sponsa; quod Dominus sit Sponsus, videatur Matth IX. 15. Marc. II. 19. 20. Luc. V. 35. & quod Ecclesia sit sponsa, Apoc. XXI. 2. 9. Cap. XXII. 17: quare Johannes Baptista dicit de Jesu, *Qui habet sponsam Sponsus est*, Joh. III. 29.

88. Propter conjugium Domini cum Ecclesia, seu quod idem est, propter Conjugium Divini Boni & Divini Veri, in singulis Verbi, permultis in locis dicitur Jehovah & Deus, ac Jehovah & Sanctus Israelis, sicut forent duo, cum tamen unum sunt; per Jehovam enim intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum, & per Deum Dominus quoad Divinum Verum. Quod Jehovah & Deus, tum Jehovah & Sanctus Israelis in permultis locis in Verbo dicantur, & tamen intelligatur Unus, qui est Dominus, in DOCTRINA DE DOMINO, n. 34. 38 & 46, videatur

89. Quoniam in omnibus & singulis Verbi est Conjugium Domini & Ecclesiæ, constare potest, quod omnia & singula Verbi de Domino agant, ut in DOCTRINA de DOMINO n. 1 ad 7, cæptum est demonstrare: Ecclesia, de qua etiam agitur, est quoque Dominus, nam docet Dominus, quod homo Ecclesiæ sit in Ipso, & Ipse in illo, Joh. VI. 56. Cap. XIV. 20. 21. Cap. XV. 5. 7.

90. Quia de Divinitate & Sanctitate Verbi hic agitur, aliquid memorabile illis, quæ hactenus dicta sunt, adjicere licet. Quondam ad me e Cælo missa est chartula exarata literis Hebraicis, sed scriptis sicut apud Antiquos, apud quos illæ literæ, quæ hodie quoad aliquam partem lineares sunt, fuerunt inflexæ cum corniculis sursum vergentibus, & dicebant Angeli, qui tunc apud me erant, quod scirent integros sensus ex ipsis literis, & quod illos scirent imprimis ex flexuris linearum & apicum literæ, & explicabant, quid significarent seorsim & quid conjunctim, dicentes quod H, quod additum est nominibus Abrami & Sarai, significaret Infinitum ac Æternum; Explicabant etiam coram me sensum Verbi Psalm. XXXII. Vers. 2, ex solis literis seu syllabis, quod sensus illarum in summa esset, *Quod Dominus etiam misericors sit illis qui malefaciunt*: informabant me, quod Scriptura in Tertio Cælo ex literis inflexis & varie incurvatis, quarum unaquævis haberet sensum, constaret; & quod Vocales ibi essent pro sono, qui correspondet affectioni, & quod in illo Cælo non possent enuntiare Vocales i & e, sed pro illis y & eu, & quod Vocales a, o & u illis in usu essent, quia dant sonum plenum: tum quod non exprimerent aliquas literas consonantes aspere, sed molliter, & quod inde sit quod literæ quædam Hebraicæ intus punctatæ sint, in signum ut molliter enuntientur, dicentes, quod asperitas in literis esset in usu in spirituali Cælo, ex causa quia ibi in veris sunt, & verum admittit asperum, non autem bonum, in quo sunt Angeli Regni cælestis seu Tertii Cæli. Dicebant etiam, quod Verbum apud se

con-

conſcriptum haberent literis inflexis cum corniculis & apicibus ſignificativis; ex quo patuit, quid ſignificant hæc Domini,, *Non Jotha & Corniculum præteribit de Lege, donec omnia fiunt*,, Matth. V. 18. Tum,, *Facilius eſt Cælum & Terram tranſire, quam Legis unum Apicem cadere*,, Luc. XVI. 17.

Quod Hæreſes ex ſenſu literæ Verbi captari poſſint, ſed quod confirmare illas damnoſum ſit.

91. Supra oſtenſum eſt, quod Verbum non poſſit intelligi abſque Doctrina, & quod Doctrina ſit ſicut Lucerna, ut genuina Vera videantur; & hoc ex cauſa, quia Verbum per meras Correſpondentias conſcriptum eſt, inde eſt, quod plura ibi Apparentiæ veri ſint, & non nuda vera, & plura ad captum naturalis imo ſenſualis hominis ſcripta, ſed tamen ita, ut ſimplices illud ſimpliciter poſſint intelligere, & intelligentes intelligenter, ac ſapientes ſapienter. Nunc quia Verbum tale eſt, poſſunt apparentiæ veri, quæ ſunt veſtita vera, pro nudis veris captari; quæ dum confirmantur, fiunt falſa: ſed hoc fit ab illis, qui ſupra alios ſe credunt ſapere, cum tamen non ſapiunt, nam ſapere eſt videre num verum ſit antequam confirmatur, non autem confirmare quodcunque lubet; hoc faciunt illi, qui genio confirmandi pollent, & in faſtu propriæ intelligentiæ ſunt; illud autem faciunt qui amant vera, & afficiuntur illis, quia vera ſunt, & faciunt illa uſus vitæ; hi enim illuſtrantur a Domino, ac vident vera ex luce illorum; illi autem illuſtrantur a ſemet, & vident falſa etiam ex luce illorum.

92. Quod Apparentiæ veri, quæ ſunt veſtita vera, pro nudis veris ex Verbo captari poſſint, & quod, dum confirmantur, fiant falſa, conſtare poteſt ex tot Hæreſibus, quæ in Chriſtianiſmo fuerunt, & adhuc ſunt. Ipſæ hæreſes non damnant homines, ſed vita mala, tum confirmationes falſitatum, quæ in hæreſi ſunt, ex Verbo, & per ratiocinia ex naturali homine, damnant. Quiſque enim naſcitur in Religionem parentum ſuorum, ab infantia initiatur in illam, & poſtea retinet illam, nec poteſt ſemet ipſum educere ex falſis ejus propter negotia in mundo: ſed vivere male, & confirmare falſa uſque ad deſtructionem genuini veri, hoc damnat: nam qui manet in ſua Religione, & credit in Deum, ac intra Chtiſtaniſmum, credit in Dominum, & Verbum ſanctum habet, & ſecundum Præcepta decalogi ex religione vivit, is non jurat in falſa, quare dum audit vera, & ſuo modo percipit illa, poteſt illa amplecti, & ſic a falſis educi; non autem ille, qui falſa Religionis ſuæ confirmaverat, nam falſum confirmatum manet, & non poteſt exſtirpari; eſt enim falſum poſt confirmationem, ſicut quis juraverit in illud, imprimis ſi cohæret cum amore proprii, & inde faſtu ſapientiæ.

93. Loquutus ſum cum quibuſdam in Mundo ſpirituali, qui ante plura ſæcula vixerunt, & ſe confirmaverunt in falſis Religionis ſuæ, & compertus ſum, quod in iiſdem adhuc conſtanter manerent: & loquutus ſum cum quibuſdam ibi, qui ex eadem Religione fuerunt, & cogitaverunt ſicut illi, ſed non con-

firmaverunt falsa ejus apud se, & compertus sum, quod instructi ab Angelis falsa rejecerint, & vera imbuerint; & quod hi salvati sint, non autem illi. Unusquisque homo post mortem instruitur ab angelis, & recipiuntur illi qui vera vident, & ex veris falsa, nam datur cuivis vera spiritualiter videre post mortem; vera vident illi qui non se confirmaverunt, sed qui se confirmaverunt, non volunt videre vera, & si vident, se retro vertunt, & tunc vel ad illa rident, vel illa falsificant.

94. Sed hoc illustretur per Exemplum: in Verbo multis in locis tribuitur Domino ira, excandescentia, vindicta, & quod puniat, dejiciat in infernum, tentet, & plura similia; qui hoc simpliciter credit, & propterea timet Deum, & sibi cavet a peccare contra Ipsum, ille propter simplicem illam fidem non damnatur; sed qui apud se confirmat illa eousque, ut credat, quod ira, excandescentia, vindicta, & sic talia quæ mali sunt, apud Dominum sint, & quod ex ira, excandescentia & vindicta hominem puniat, & in infernum dejiciat, ille damnatur, quia genuinum verum destruxit, quod est quod Dominus sit Ipse Amor, Ipsa Misericordia, & Ipsum Bonum, & Qui est illa; non potest irasci, excandescere, & vindicare. Quod illa Domino tribuantur, est ex apparentia. Similiter in multis aliis.

95. Quod plura in sensu literæ sint Vera apparentia, in quibus Vera genuina latent, & quod non damnosum sit secundum Vera cogitare & loqui, sed quod damnosum sit confirmare illa usque ad destructionem genuini Veri, quod intus latet, illustrari etiam potest per Exemplum in natura, quod adfertur, quia naturale clarius quam spirituale docet & persuadet. Coram oculis apparet, sicut Sol quovis die circum tellurem feratur, & quoque semel quotannis, inde in Verbo dicitur quod Sol oriatur & occidat, quod faciat mane, meridiem, vesperam & noctem, atque tempora veris, æstatis, autumni & hyemis, & sic dies & annos; cum tamen Sol immotus stat, est enim Oceanus igneus, & Tellus circumvolvitur quotidie, & circumfertur quotannis: homo qui ex simplicitate & ex ignorantia cogitat, quod circumferatur, non destruit veritatem naturalem, quæ est, quod Tellus quotidie rotetur circum axem, & quotannis feratur secundum eclipticam: at qui confirmat apparentem solis motum & cursum per Verbum, & per ratiocinia ex naturali homine, is infirmat veritatem, & quoque destruit illam. Quod Sol moveatur, est apparens verum, quod non moveatur, est genuinum verum, quisque potest loqui secundum apparens verum, & quoque loquitur, sed cogitare secundum illud ex confirmatione, hoc intellectum rationalem hebetat & opacat. Simile est cum stellis Cæli astriferi; apparens verum est, quod illæ quoque semel quotidie, sicut sol, circumferantur, quare dicitur etiam de stellis, quod oriantur & occidant; sed genuinum verum est, quod stellæ sint fixæ, & quod Cælum illarum immotum stet; attamen potest quisque secundum apparentiam loqui.

96. Quod damnosum sit confirmare apparens verum Verbi, usque ad destructionem genuini veri, quod intus latet, est quia omnia & singula sensus literæ Verbi communicant cum Cælo, & aperiunt illud, secundum illa, quæ supra n. 62 ad 69, dicta sunt. Cum itaque homo illum sensum applicat ad con-

firman-

firmandum amores mundi contrarios amoribus Cæli, tunc internum Verbi falsum fit; quare cum externum ejus, quod est sensus literæ, cujus internum est falsum, communicatur cum Cælo, tunc clauditur Cælum, nam Angeli, qui in interno Verbi sunt, rejiciunt illud. Ex quo patet, quod falsum internum seu verum falsificatum auferat communicationem cum Cælo, & claudat illud. Hæc causa est, quod confirmare aliquod falsum hæreticum, damnosum sit.

96. Verbum est sicut Hortus, qui Paradisus cælestis vocandus est, in quo cupediæ & delitiæ omnis generis sunt, cupediæ ex fructibus & delitiæ ex floribus, in cujus medio sunt arbores vitæ, juxta quas fontes aquæ vivæ; at circumcirca Hortum sunt arbores sylvæ: homo qui ex Doctrina in Divinis veris est, in medio est, ubi sunt arbores vitæ, & actualiter cupediis & delitiis inde fruitur: homo autem, qui non ex Doctrina in veris est, sed ex solo sensu literæ, is in circuitu est, & videt modo Sylvestria: at qui in Doctrina religionis falsæ est, & falsum ejus apud se confirmavit, ne quidem in sylva est, sed extra illam in campo arenoso, ubi nec gramen. Quod etiam tales status illorum post mortem sit, in suo loco confirmabitur.

97. Insuper sciendum est, quod sensus literæ Verbi sit custodia pro genuinis veris, quæ intus latent; & in eo est custodia, quod ille sensus possit huc illuc verti, & explicari secundum captum, & per id tamen internum non lædi & violari: non enim nocet, ut sensus literæ Verbi aliter ab uno quam ab altero intelligatur; sed id nocet, si Divina Vera, quæ intus latent, pervertantur, per hoc enim infertur Verbo violentia. Ne hoc fiat, custodit sensus literæ; & custodit apud illos, qui in falsis sunt ex religione, & falsa illa non confirmant, nam hi non aliquam violentiam inferunt. Hæc Custodia significatur per Cherubos, & quoque discribitur per illos in Verbo. Illa significatur per Cherubos, qui, postquam Adamus cum uxore ejectus est ex Horto Edenis, ad introitum ejus positi sunt, de quibus hæc leguntur, *Cum Jehovah Deus expulerat hominem, habitare fecit ab oriente Horti Edenis Cherubos, & flammam gladii hinc inde vertentis se, ad custodiendum viam Arboris vitæ* ,, Genes. III. 23. 24: per Cherubos significatur custodia; per viam arboris vitæ, significatur introitus ad Dominum, qui hominibus est per Verbum; per flammam gladii hinc inde vertentis se, significatur Divinum Verum in ultimis, quod est sicut Verbum in sensu literæ, qui ita verti potest. Simile intelligitur per *Cherubos ex auro positos super duabus extremitatibus Propitiatorii, quod erat super Arca, in Tabernaculo*,, Exod. XXV. 18 ad 21; quia hoc significabatur per Cherubos, ideo Dominus inter illos loquutus est cum Mose,. Exod. XXV. 22. Cap. XXXVI. 9. Num. VII. 89; quod Dominus loquatur cum homine non nisi quam in pleno, & Verbum in sensu literæ est Divinum Verum in pleno, videatur supra n. 37 ad 49; sic itaque Dominus loquutus est cum Mose inter Cherubos. Nec aliud significatum est per *Cherubos super Aulæis Tabernaculi, & super Velo* ibi ,, Exod. XXVI. 31; nam aulæa & vela Tabernaculi repræsentabant ultima Cæli & Ecclesiæ, ac ita etiam Verbi, videatur supra n. 46. Nec aliud significatum est per *Cherubos in medio Templi Hierosolymitani*,, 1 Reg. VI. 22 ad 28: & per *Cherubos sculptos super parietibus & super foribus Templi*, 1 Reg. VI. 29. 32. 35. Similiter *per Cherubos*

in novo Templo,, Ezech. XLI. 18. 19. 20; videatur etiam supra n. 47. Quoniam per Cherubos signficabatur Custodia ne Dominus, Cælum & Divinum Verum, quale est intus in Verbo, immediate adeantur, sed mediate per ultima, ideo de Rege Tyri ita dicitur,, *Tu obsignans demensum, plenus sapientia & perfectus pulchritudine, in Eden horto fuisti, omnis lapis pretiosus tegumentum tuum, tu Cherube expansio contegentis: perdidi te, Cherube contegens, in medio lapidum ignis*,, Ezech. XXVIII. 12. 13. 14. 16: per Tyrum significatur Ecclesia quoad cognitiones veri & boni, & inde per Regem ejus Verbum ubi & unde cognitiones illæ sunt; quod Verbum hic in suo ultimo, quod est sensus literæ, per illum, & per Cherubum custodia significetur, patet, nam dicitur, tu obsignans demensum, omnis lapis pretiosus tegumentum tuum, ac tu Cherube expansio contegentis, ut & Cherube contegens: quod per lapides pretiosos, qui etiam ibi nominantur, intelligantur vera sensus literæ Verbi, videatur supra n. 45. Quoniam per Cherubos significatur ultimum Divini Veri, ut Custodia, ideo dicitur apud Davidem,, *Jehovah inclinavit Cælos, & descendit, & equitavit super Cherubo*,, Psalm XVIII. 10. 11., *Pastor Israelis, qui sedet super Cherubis, effulge*,, Psalm LXXX. 2.,, *Jehovah insidens Cherubis*, Psalm XCIX. 1: equitare super Cherubis, sedere super illis, & insidere illis, est super sensu ultimo Verbi. Divinum Verum in Verbo, & ejus quale discribitur per Cherubos apud Ezechielem in Capite Imo & in IXno & Xmo: at quia nemo scire potest, quid per singula descriptionis illorum significatur, nisi cui apertus est sensus spiritualis, ideo mihi detectum est quid in summa per omnia illa, quæ de Cherubis dicuntur in Primo Capite apud Ezechielem, significatur, quæ hæc sunt; describitur Divina sphæra externa Verbi, Vers. 4: Illa repræsentata sicut homo, Vers. 5. Conjuncta spiritualibus & cælestibus, Vers. 6. Naturale Verbi, quale est, Vers. 7. Spirituale & cæleste Verbi conjunctum naturali ejus, quale, Vers. 8. 9. Divinus Amor boni & veri cælestis, spiritualis & naturalis inibi distinctim & simul, Vers. 10. 11: Quod ad unum spectent, Vers. 12. Sphæra Verbi ex Divino Bono & Divino Vero Domini, ex quibus Verbum vivit, Vers. 13. 14. Doctrina boni & veri in Verbo & ex Verbo, Vers. 15 ad 21. Divinum Domini supra illud & in illo, Vers. 22. 23. Et ex illo, Vers. 24. 25. Quod Dominus sit supra Cælos, Vers. 26. Et quod Ipsi sit Divinus Amor & Divina sapientia, Vers. 27. 28. Hæc summaria etiam collata sunt cum Verbo in Cælo, & cum illo conformia sunt.

Quod Dominus in Mundum venerit, ut impleret omnia Verbi, & per id fieret Divinum Verum seu Verbum etiam in ultimis.

98. Quod Dominus in mundum venerit, ut impleret omnia Verbi, videatur in Doctrina de Domino n. 8 ad 11. Quod per id factus sit Divinum Verum seu Verbum etiam in ultimis, intelligitur per hæc apud Johannem,, *Verbum Caro factum est, & habitavit inter nos, & vidimus gloriam*

riam Ipsius, gloriam sicut Unigeniti a Patre, plenus gratia & veritate,, I. 14; fieri Caro est fieri Verbum in ultimis. Qualis fuit ut Verbum in ultimis, ostendit discipulis cum transformatus est, Matth. XVII. 2 seq: Marc IX. 2 seq: Luc. IX. 28 seq: & ibi dicitur, quod Moses & Elias visi sint in gloria; per Mosen & Eliam intelligitur Verbum, videatur supra n. 48. Dominus ut Verbum in ultimis, etiam describitur apud Johannem in Apocalypsi Cap. I. 13 ad 16: ubi omnia descriptionis Ipsius significant ultima Divini Veri seu Verbi. Dominus prius quidem fuerat Verbum, sed in Primis, nam dicitur, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum*,, Joh. I. 1. 2. 3: sed quando Verbum Caro factum est, tunc Dominus factus est Verbum etiam in Ultimis: ex eo est, quod dicatur Primus & Ultimus, Apoc. I. 8. 11. 17. Cap. II. 8. Cap. XXI. 6. Cap. XXII. 12. 13.

99. Per id quod Dominus etiam factus sit Verbum in ultimis, status Ecclesiæ prorsus mutatus est; omnes Ecclesiæ, quæ ante Adventum Ipsius fuerunt, Ecclesiæ Repræsentativæ fuerunt; quæ Divinum Verum non videre potuerunt nisi quam in umbra; at post Adventum Domini in Mundum, Ecclesia ab Ipso instituta est, quæ Divinum Verum vidit in luce: differentia est, qualis inter vesperam & mane; status Ecclesiæ ante Adventum Ipsius etiam vocatur Vespera, & status Ecclesiæ post Adventum Ipsius vocatur Mane. Dominus ante adventum suum in mundum quidem præsens fuit apud homines Ecclesiæ, sed mediate per Cælum, at post adventum suum in mundum præsens est apud homines Ecclesiæ immediate; nam in mundo induit etiam Divinum Naturale, in quo apud homines præsens est: Glorificatio Domini est Glorificatio Humani Ipsius, quod assumsit in mundo; ac Humanum Domini glorificatum est Divinum Naturale.

100. Quomodo Dominus est Verbum, a paucis intelligitur, cogitant enim quod Dominus quidem per Verbum potest hominem illustrare & docere, & tamen non inde potest vocari Verbum: at sciant, quod unusquisque homo sit suus amor, & inde suum bonum & suum verum, homo non aliunde est homo, & non aliud apud illum est homo. Ex eo quod homo sit suum bonum & suum verum, sunt etiam Angeli & spiritus homines; nam omne bonum & verum procedens a Domino in sua forma est homo: Dominus autem est Ipsum Divinum Bonum & Divinum Verum, ita est Ipse Homo, a quo omnis homo est homo. Quod omne Divinum Bonum & Divinum Verum in sua forma sit homo, videatur in Opere de CÆLO & INFERNO n. 460; & clarius videbitur in Trans actionibus sequentibus, quæ erunt de SAPIENTIA ANGELICA.

Quod

Quod ante hoc Verbum, quod hodie eſt in mundo, fuerit Verbum quod deperditum eſt.

101. Quod ante Verbum per Moſen & Prophetas apud Gentem Iſraeliticam datum, Cultus per ſacrificia notus fuerit, & quod ex ore Jehovæ prophetaverint, ex memoratis in Libris Moſis, conſtare poteſt. *Quod cultus per ſacrificia notus fuerit*, ex his „ Mandatum eſt, ut filii Iſraelis Gentium altaria everterent; illarum ſtatuas confringerent, & illarum lucos exſcinderent,„ Exod. XXXIV. 13. Devtr. VII. 5. Cap. XII. 3 „ Quod Iſrael in Schittim cæperit ſcortari cum filiabus Moabi, vocaverint populum ad ſacrificia deorum ſuorum, & comederit populus, & incurvaverit ſe diis eorum, & imprimis adjunxerit ſe Baalpeori, & quod accenſa ſit ira Jehovæ contra Iſraelem propterea, Num. XXV. 1. 2. 3. Tum„ Quod Bileamus, qui fuit ex Syria, fecerit exſtruere altaria, & ſacrificaverit boves & pecudes„ Num. XXII. 40. Cap. XXIII. 1. 2. 14. 29. 30. *Quod etiam ex ore Jehovæ prophetaverint*, conſtat ex Prophetiis Bileami, Num. XXIII. 7 ad 10. 18 ad 24. Cap. XXIV. 3 ad 9; 16 ad 25. quod etiam prophetaverit de Domino„ quod oriretur ſtella ex Jacobo, & ſceptrum ex Iſraele„ Num. XXIII. 17. Quod prophetaverit ex ore Jehovæ, Num. XXII. 13. 18. Cap. XXIII. 3. 5. 8. 16. 26. Cap. XXIV. 1. 13. Ex his patet, quod cultus Divinus ſimilis cultui apud Gentem Iſraeliticam per Moſen inſtituto apud gentes fuerit. *Quod etiam ante Abrami tempus fuerit*, aliquantum elucet ex verbis apud Moſen, Devtr. XXXII. 7. 8; ſed evidentius ex Malchizedecho Rege Schalemi, quod eduxerit Panem & Vinum, & benedixerit Abramo, & quod Abram dederit ei decimas de omnibus, Gen. XIV. 18 ad 20: & quod Malchizedech repræſentaverit Dominum, nam vocatur Sacerdos Deo Altiſſimo, Geneſ. XIV. 18; & de Domino dicitur apud Davidem„ Tu Sacerdos in æternum, juxta modum Malchizedechi„ Pſalm. CX. 4: inde erat, quod Malchizedech eduxerit Panem & Vinum, ut ſancta Eccleſiæ, ſicut in Sacramento Cænæ ſancta ſunt; & quod Malchizedech potuerit benedicere Abramo, & quod Abram dederit ei decimas de omnibus.

102. Quod Verbum apud Antiquos fuerit conſcriptum per meras coreſpondentias, ſed quod deperditum ſit, relatum mihi eſt per Angelos cæli, & dictum, quod id Verbum adhuc apud illos conſervatum ſit, & in uſu apud Antiquos in illo cælo, apud quos, cum in mundo fuerunt, id Verbum fuit. Antiqui illi, apud quos illud Vetbum in cælo adhuc in uſu eſt, fuerunt quoad partem ex terra Canaane, & ex confiniis ejus, ut ex Syria, Meſopotamia, Arabia, Chaldæa, Aſſyria, ex Ægypto, ex Zidone, Tyro & Ninive, quorum omnium Regnorum incolæ fuerunt in Cultu repræſentativo, & inde in ſcientia correſpondentiarum: ſapientia illius temporis fuit ex illa Scientia, & per illam fuit illis perceptio interior, & communicatio cum cælis. Illi, qui correſpondentias iſtius Verbi interius noverunt, vocati ſunt Sapientes & Intelligentes, at poſtea Divinatores & Magi. Sed quia id Verbum erat plenum talibus correſpondentiis, quæ remote ſignificabant cæleſtia & ſpiritualia, & inde a mul-

tis

tis incepit falsificari, ideo ex Divina Domini Providentia id successu temporis evanuit, & tandem deperditum est; & aliud Verbum per correspondentias non ita remotas conscriptum, datum est, & hoc per Prophetas apud filios Israelis. In hoc tamen Verbo retenta sunt plura nomina locorum, quæ in terra Canaane, ac circum circa in Asia sunt, in quo significant similia, quæ in Verbo vetusto. Propter hanc causam Abram in illam terram ire jussus est, & ejus posteri ex Jacobo in illam introducti sunt.

103. Quod Verbum apud Antiquos fuerit, constat etiam apud Mosen, a quo nominatur, & aliquod desumptum est, Num. XXI. Vers. 14. 15. 27 ad 30; & quod Historica illius Verbi appellata sint Bella Jehovæ, ac Prophetica Enuntiata. Ex Historicis istius Verbi a Mose desumptum est hoc,, *Propterea dicitur in* Libro Bellorum Jehovæ: *Vahebam in Supha, & fluvios Arnonem; & Aquæductum fluviorum, qui declinavit usque habitatur Ar, & sistit se ad terminum Moabi*,, Num. XXI. 14. 15; per Bella Jehovæ in illo Verbo, sicut in nostro, intellectæ & descriptæ sunt Pugnæ Domini cum Inferno, & Victoriæ super illud, quando in mundum venturus esset: eædem etiam Pugnæ multis in locis intelliguntur & describuntur in Historicis nostri Verbi, ut in Bellis Josuæ cum gentibus terræ Canaanis, & in Bellis Judicum & Regum Israelis. Ex Propheticis istius Verbi hæc desumpta sunt a Mose,, *Propterea dicunt* Enuntiatores; *ingredimini Chesbonem, ædificabitur & confirmabitur urbs Sichonis; nam ignis exivit ex Chesbone, flamma ex urbe Sichonis; comedit Ar Moabi, possessores excelsorum Arnonis: væ tibi Moabe, periisti popule Kemoschi, dedit filios suos evasores, & filias suas in captivitatem Regi Emorræi Sichoni: cum telis confecimus eos: periit Chesbon usque ad Dibonem, & devastavimus usque ad Nophach, quod usque ad Medebam*,, Num. XXI. 27. 28. 29. 30. Translatores vertunt Proverbiorum Compositores, sed vocandi Enuntiatores seu Enuntiata Prophetica, ut constare potest a significatione vocis Moschalim in Lingua Hebræa, quod non modo sint Proverbia, sed etiam Enuntiata Prophetica, ut Num. XXIII. 7. 18. Cap. XXIV. 3. 15, ubi dicitur quod Bileamus ediderit Enuntiatum suum, quod fuit Propheticum, etiam de Domino; Enuntiatum ejus ibi vocatur Maschal in singulari; accedit, quod illa a Mose inde desumpta non sint Proverbia, sed Prophetica. Quod illud Verbum similiter Divinum seu Divinitus inspiratum fuerit, patet apud Jeremiam, ubi pæne similia verba leguntur;,, *Ignis exivit ex Chesbone, & flamma ab inter Sichonem, quæ comedit angulum Moabi, & verticem filiorum strepitus: væ tibi Moabe, periit populus Kemoschi, nam rapti sunt filii tui in captivitatem, & filiæ tuæ in captivitatem*,, Jerem. XLVIII 45. 46. Præter illa nominatur etiam Liber Propheticus Verbi Vetusti, vocatus Liber Jaschar seu Liber Recti, a Davide & a Josua: a Davide,, *Lamentatus est David super Schaule & super Jonathane, & inscripsit ad docendum filios Jehudæ arcum: ecce scripta super* Libro Jaschar,, II Sam. I. 17. 18. Et a Josua,, *Dixit Josua, Sol in Gibeone quiesce, & Luna in valle Ajalonis, nonne hoc scriptum est super* Libro Jaschar,, Jos. X. 12. 13. Insuper, dictum est mihi, quod septem prima Capita Geneseos in Verbo illo Vetusto exstent, ut non verbulum desit.

Quod per Verbum etiam ſit Lux illis, qui extra Eccleſiam ſunt, & non habent Verbum.

104. Non poteſt dari conjunctio cum Cælo, niſi alicubi in Tellure ſit Eccleſia, ubi eſt Verbum, & per id Dominus notus, quia Dominus eſt Deus Cæli & Terræ, & abſque Domino nulla ſalus. Satis eſt, ut Eccleſia ſit, ubi Verbum, tametſi illa conſiſtit ex paucis reſpective; per id uſque Dominus præſens eſt ubivis in univerſo terrarum orbe, nam per id Cælum conjunctum eſt Humano Generi; quod conjunctio ſit per Verbum, videatur ſupra n. 62 ad 69.

105. Quomodo autem præſentia & conjunctio Domini & Cæli datur in omnibus terris per Verbum, dicetur. Univerſum Cælum coram Domino eſt ſicut unus Homo, ſimiliter Eccleſia; quod etiam actualiter appareant ut Homo, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO, n. 59 ad 87. In illo Homine eſt Eccleſia, ubi Verbum legitur, & per id Dominus notus eſt, ſicut COR & ſicut PULMO, Regnum cæleſte ut Cor, & Regnum ſpirituale ut Pulmo. Sicut ex his binis fontibus Vitæ in Humano Corpore omnia reliqua Membra & Viſcera ſubſiſtunt & vivunt, ita quoque omnes illi in Terrarum Orbe, apud quos Religioſum eſt, & Deus unus colitur, & bene vivitur, & per id in Homine illo ſunt, & referunt Membra & Viſcera ejus extra Thoracem, ubi ſunt Cor & Pulmo, ex conjunctione Domini & Cæli per Verbum cum Eccleſia, ſubſiſtunt & vivunt; nam Verbum in Eccleſia, tametſi eſt apud paucos reſpective, eſt vita reliquis a Domino per Cælum, ſicut Membrorum & Viſcerum totius Corporis eſt vita ex Corde & Pulmone; eſt quoque communicatio ſimilis. Quæ etiam cauſa eſt, quod Chriſtiani, apud quos Verbum legitur, conſtituant Pectus illius Hominis: ſunt etiam in medio omnium, & circum illos ſunt Pontificii, circum hos ſunt Mahumedani, qui agnoſcunt Dominum ut Maximum Prophetam, ac ut Filium Dei; poſt hos autem ſunt Africani, ac ultimam circumferentiam conſtituunt Gentes & Populi in Aſia & in Indiis; de qua illorum Ordinatione videantur aliqua in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO n. 48. Spectant etiam omnes, qui in Homine illo ſunt, verſus Meditullium, ubi ſunt Chriſtiani.

106. In meditullio, ubi ſunt Chriſtiani, quibus eſt Verbum, eſt maxima Lux, Lux enim in Cælis eſt Divinum Verum procedens a Domino ut Sole ibi, & quia Verbum eſt illud, eſt maxima Lux ubi ſunt illi, quibus eſt Verbum. Lux inde ut a ſuo Centro ſe propagat circum in omnes peripherias uſque ad ultimam; inde eſt illuſtratio Gentium & Populorum extra Eccleſiam etiam per Verbum. Quod Lux in Cælis ſit Divinum Verum procedens a Domino, & quod illa Lux det intelligentiam non modo Angelis, ſed etiam hominibus, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO n. 126 ad 140.

107. Quod tale ſit in univerſo Cælo, concludi poteſt a ſimili in unaquavis ſocietate ibi, nam unaquævis Societas cæli eſt Cælum in minore forma, & quo-

quoque est sicut Homo; quod ita sit, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO n. 41 ad 87. In omni Societate cæli, illi qui in medio ejus sunt, similiter referunt Cor & Pulmonem, & apud illos est maxima Lux: ipsa Lux & inde Perceptio veri, a medio illo se propagat versus peripherias quaquaversum, ita ad omnes qui in societate sunt, & facit vitam illorum spiritualem. Ostensum est, quod quando illi qui in medio erant, qui provinciam Cordis & Pulmonum constituebant, & apud quos maxima Lux erat, auferrentur, illi qui circum erant, in umbra essent, & tunc in tam exili perceptione veri, ut vix in aliqua; sed mox ut redierunt, visa est Lux & fuit illis Perceptio veri sicut prius.

108. Idem etiam illustrari potest ab hac experientia: erant apud me Spiritus Africani ex Abyssina; illis quondam aperiebantur aures, ut audirent cantum in aliquo Templo in Mundo ex Psalmo Davidis, ex quo afficiebantur tali jucunditate, & una cum illis canerent: sed mox claudebantur aures, ut non audirent inde aliquid; at tunc adhuc majore jucunditate afficiebantur, quia spirituali, & simul implebantur intelligentia, quia Psalmus ille agebat de Domino, & de Redemptione: causa crescentis jucunditatis erat, quod illis data sit communicatio cum illa Societate in Cælo, quæ in conjunctione erat cum illis, qui in Mundo Psalmum illum canebant. Ex hac & pluri alia experientia, patuit, quod communicatio cum universo Cælo detur per Verbum. Propter illam causam, ex Divina Domini Providentia, Commercium universale Regnorum Europæ, principaliter illorum, ubi Verbum legitur, est cum Gentibus extra Ecclesiam.

109. Comparatio fieri potest cum calore & luce ex Sole mundi, quæ vegetationem dat arboribus & virgultis, etiam illis quæ ad latera, & quæ sub nube, stant, mode Sol ortus sit, & in mundo appareat. Ita Lux & Calor Cæli a Domino ut Sole, quæ Lux est Divinum Verum, ex quo omnis intelligentia & sapientia est angelis & hominibus: quare dicitur de *Verbo*, *quod erat apud Deum, & erat Deus; quod illuminet omnem hominem venientem in mundum*,, Joh. I. 1. 9. Et *quod Lux illa etiam in tenebris appareat*,, Vers. 5.

110. Ex his constare potest, quod Verbum, quod est in Ecclesia Reformatorum, illustret omnes gentes & populos per communicationem spiritualem: tum quod provideatur a Domino, ut in Tellure semper sit Ecclesia, ubi Verbum legitur, & per id Dominus notus est. Quare cum Verbum a Pontificiis pæne rejectum erat, ex Divina Domini Providentia, facta est Reformatio, & inde Verbum iterum receptum est: & quoque quod Sanctum habeatur Verbum a Nobili gente inter Pontificios.

111. Quoniam absque Verbo non est cognitio Domini, ita non salvatio, ideo quando Verbum apud Gentem Judaicam prorsus falsificatum & adulteratum erat, & inde quasi nullum factum est, tunc placuit Domino e Cælo descendere, & venire in mundum, ac implere Verbum, & per id redintegrare & restituere illud, ac iterum dare lucem incolis telluris; secundum Domini Verba,, *Populus sedens in tenebris vidit lumen magnum, sedentibus in regione & umbra mortis, lux exorta illis est*,, Matth. IV. 16. Esaj. IX. 1.

112. Quoniam prædictum est, quod in fine hujus Ecclesiæ etiam oborirentur tenebræ ex non cognitione & agnitione Domini, quod sit Deus Cæli & Terræ,

ræ, & ex fidei ſeparatione a charitate, ne per id genuinus intellectus Verbi periret, ideo placuit Domino nunc revelare Senſum ſpiritualem Verbi, & manifeſtare quod Verbum in illo ſenſu, & ex illo in ſenſu naturali, agat de Domino & de Eccleſia, imo de illis ſolis; & plura alia, per quæ Lux veri ex Verbo pæne exſtincta, reſtituatur. Quod Lux veri in fine hujus Eccleſiæ pæne exſtincta eſſet, prædicitur multis in locis in Apocalypſi; & quoque intelligitur per hæc Domini verba, apud Matthæum; „ *Statim poſt afflictionem dierum iſtorum Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cælo, & Virtutes cælorum commovebuntur: & tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli cum gloria & virtute* „ Matth. XXIV. 29. 30; per Solem ibi intelligitur Dominus quoad amorem; per Lunam Dominus quoad fidem; per Stellas Dominus quoad cognitiones boni & veri; per Filium hominis Dominus quoad Verbum; per Nubem Senſus literæ Verbi, & per Gloriam Senſus ſpiritualis, ac tranſparentia ejus in ſenſu literæ.

113. Per multam experientiam mihi ſcire datum eſt, quod per Verbum ſit homini communicatio cum Cælo: dum perlegi Verbum a primo Capite Eſajæ uſque ad ultimum Malachiæ, & Pſalmos Davidis, datum eſt clare percipere, quod unuſquiſque Verſus communicaret cum aliqua Societate Cæli, & quod ſic totum Verbum cum univerſo Cælo.

Quod niſi Verbum foret, nemo ſciret Deum, Cælum & Infernum, Vitam poſt mortem, & minus Dominum.

114. Hoc ut commune Concluſum ſequitur ex omnibus quæ hactenus dicta & oſtenſa ſunt; ut quod Verbum ſit ipſum Divinum Verum, n. 1 ad 4. Quod Verbum ſit medium conjunctionis cum Angelis Cæli, n. 62 ad 69. Quod in Verbo ubivis ſit conjugium Domini & Eccleſiæ, & inde conjugium boni & veri, n. 80 ad 89. Quod Eccleſia talis ſit, qualis eſt intellectus Verbi ab illa, n. 76 ad 79. Quod Verbum etiam in Cælis ſit, & quod ex illo Angelis ſapientia, n. 70 ad 75. Quod etiam ſit Lux ſpiritualis gentibus & populis extra Eccleſiam per Verbum, n. 104 ad 113; præter plura; ex quibus concludi poteſt, quod abſque Verbo non alicui ſit intelligentia ſpiritualis, quæ eſt, quod ſciat Deum, Cælum & Infernum, & Vitam poſt mortem; & prorſus non aliquid ſciat de Domino, de fide & amore in Ipſum, ita non aliquid de Redemptione, per quam tamen ſalvatio. Dicit etiam Dominus ad diſcipulos „ *Sine Me non poteſtis facere quicquam* „ Joh. XV. 5. Et Johannes „ *Non poteſt homo ſumere quicquam, niſi ſit datum illi e Cælo* „ Joh III. 27.

115. Sed quia illi, qui ſtatuunt, & apud ſe confirmaverunt, quod homo abſque Verbo ſcire poſſet exiſtentiam Dei, & quoque Cæli & Inferni, tum aliquid de reliquis, quæ Verbum docet, & illi per id auctoritatem & ſanctitatem Verbi infirmant, ſi non ore uſque corde, ideo non licet cum illis ex Ver-

bo

bo agere, ſed ex lumine rationali, nam non credunt Verbo, ſed ſibi. Ex lumine rationali inquire, & invenies, quod duæ Facultates vitæ ſint apud hominem, quæ vocantur Intellectus & Voluntas; & quod Intellectus ſubjectus ſit Voluntati, & non Voluntas Intellectui, Intellectus enim ſolum docet & monſtrat viam. Inquire etiam, & invenies, quod Voluntas hominis ſit ejus proprium, & quod hoc in ſe ſpectatum ſit mere malum, & quod inde ſit falſum in Intellectu. Quum hæc inveneris, videbis, quod homo ex ſe non velit aliud intelligere, quam quod eſt ex proprio Voluntatis ejus, & quod nec poſſit, niſi alibi ſit, unde id ſciat: homo ex proprio voluntatis ſuæ, non vult aliud intelligere, quam quod ſui & mundi eſt, quicquid ſupra eſt, ei in caligine eſt; ut dum videt ſolem, lunam & ſtellas, ſi tunc forte cogitaret de ortu illorum, num aliter poſſet cogitare, quam quod illa a ſe ſint; num altius quam plures Docti in mundo, qui tametſi ſciunt ex Verbo Creationem omnium a Deo, uſque agnoſcant Naturam; quid tunc iidem ſi nihil ex Verbo ſciviſſent. Num credis, quod veteres Sophi, ac Ariſtoteles, Cicero, Seneca & alii, qui de Deo, & de Immortalite animæ ſcripſerunt, id primum ex proprio ſumſerint, non, ſed ex aliis, qui per traducem ex illis qui id primum ſciverunt ex Verbo. Scriptores Theologiæ naturalis nec hauriunt quicquam tale ex ſe, ſed modo confirmant illa, quæ ſciunt ab Eccleſia, in qua eſt Verbum, per rationalia; & poſſunt dari inter illos, qui confirmant, & tamen non credunt.

116. Datum eſt videre populos in inſulis natos, quoad civilia rationales, qui ne hilum ſciverunt de Deo; illi in Mundo ſpirituali apparent ſicut ſimiæ, ac pæne ſimili vita cum illis; at quia homines nati ſunt, & inde in facultate recipiendi vitam ſpiritualem, inſtruuntur ab Angelis, & per cognitiones de Domino ut Homine vivificantur. Qualis eſt homo ex ſe, apparet evidenter ex illis, qui in Inferno ſunt, inter quos etiam aliqui Antiſtites & Eruditi ſunt, qui ne quidem volunt audire de Deo, & propterea nec poſſunt nominare Deum; hos vidi, & cum illis loquutus ſum: & quoque loquutus ſum cum illis, qui in ignem iræ & excandeſcentiæ venerunt, cum audiverunt aliquem loquentem de Deo. Expende itaque, qualis homo foret, qui nihil audivit de Deo, cum quidam tales ſunt, qui audiverunt de Deo, ſcripſerunt de Deo, & prædicaverunt de Deo; ſunt plures tales ex Jeſuitis Quod tales ſint, eſt ex voluntate quæ mala eſt, & hæc, ut prius dictum eſt, ducit intellectum, & aufert verum quod ibi eſt ex Verbo. Si homo ex ſe potuiſſet ſcire, quod Deus ſit, & quod vita poſt mortem, cur non ſciverat, quod homo ſit homo poſt mortem, cur credit quod anima ſeu ſpiritus ejus ſit ſicut ventus aut ſicut æther, qui non videt oculis & audit auribus, & loquitur ore, priuſquam conjungitur & coaleſcit cum ſuo cadavere & cum ſuo ſceleto. Pone itaque Doctrinam pro cultu ex ſolo lumine rationali excluſam, annon foret, ut ipſe coleretur, ut factum eſt a ſæculis & hodie fit ab illis, qui ſciunt ex Verbo, quod ſolus Deus colendus ſit: cultus alius ex proprio hominis non dari poteſt, ne quidem cultus ſolis & lunæ.

117. Quod ab antiquiſſimis temporibus fuerit Religio, & Incolæ orbis ubivis noverint de Deo, & aliquid de vita poſt mortem, non fuit ex ipſis, & ex proprio illorum acumine, ſed ex Verbo Vetuſto, de quo ſupra n. 101 ad 103; &

& postea ex Verbo Israelitico: ex his Religiosa emanaverunt in Indias & illarum Insulas; perque Ægyptum ac Ætiopiam in Regna Africæ; & ex maritimis Asiæ in Græciam, & inde in Italiam. Sed quia Verbum non potuit aliter quam per Repræsentativa esse conscriptum, quæ sunt talia in mundo, quæ correspondent Cælestibus & inde significant illa, ideo Religiosa plurium Gentium versa sunt in Idololatrica, & in Græcia in Fabulosa, ac Attributa & Prædicata Divina in totidem Deos, quibus præfecerunt Supremum, quem vocaverunt Jovem a Jehovah: quod illis cognitio fuerit de Paradiso, de Diluvio, de Igne sacro, de quatuor Ætatibus, a prima aurea ad ultimam ferream, per quas in Verbo significantur quatuor status Ecclesiæ, ut apud Danielem Cap. II. 31 ad 35, notum est. Quod Religiosum Mahumedanum, quod successit, & Religiosa plurium gentium priora delevit, ex Verbo utriusque Testamenti desumptum sit, etiam notum est.

118. Ultimo dicam, quales illi post mortem fiunt, qui propriæ intelligentiæ omnia adscribunt, ac parum, si quicquam Verbo; primum fiunt sicut ebrii, postea sicut fatui, & demum stupidi, & sedent in tenebris. Caveant itaque sibi a tali delirio.

F I N I S.



DOCTRINA VITÆ

PRO

NOVA HIEROSOLYMA

E X

PRÆCEPTIS DECALOGI.



AMSTELODAMI:

MDCCLXIII.



DOCTRINA VITÆ

PRO

NOVA HIEROSOLYMA



Quod omnis Religio ſit vitæ, & quod vita ejus ſit facere bonum.

1. Omnis homo, cui eſt religio, ſcit & agnoſcit, quod qui bene vivit, ſalvetur, & quod qui male vivit condemnetur: ſcit enim & agnoſcit, quod, qui bene vivit, bene cogitet, non ſolum de Deo, ſed etiam de proximo, non autem qui male vivit. Vita hominis eſt ejus amor, & quod homo amat, non modo libenter facit, ſed etiam libenter cogitat. Quod itaque dicatur, quod vita ſit facere bonum, eſt quia facere bonum unum agit cum cogitare bonum; quæ ſi non unum agunt apud hominem, non ſunt vitæ ejus. Sed hæc in ſequentibus demonſtranda ſunt.

2. Quod Religio ſit vitæ, & quod Vita ſit facere bonum, hoc omnis qui legit Verbum videt, & cum legit, agnoſcit. In Verbo hæc ſunt.,, Quiſquis ſolverit Præceptorum horum minimum, & docuerit ita homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum: qui vero *facit & docet*, hic magnus vocabitur in Regno cælorum. Dico vobis, niſi *Juſtitia* veſtra abundaverit ſuper Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum,, Matth. V. 19. 20.,, Omnis Arbor, quæ non *facit fructum bonum*, exſcinditur, & in ignem conjicitur; quare ex *fructibus eorum* cognoſcetis illos,, Matth. VII. 19. 20.,, Non omnis dicens Mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum, ſed *faciens voluntatem* Patris mei, qui eſt in Cælis,, Matth. VII. 21.,, Multi dicent Mihi in die illo, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus,

& in Nomine tuo multas virtutes fecimus; sed tunc confitebor illis, non novi vos, discedite a Me *Operantes iniquitatem*,, Matth. VII. 22. 23.,, Omnis qui audit verba mea, & *facit illa*, comparabo viro prudenti, qui ædificavit domum suam super petra: at omnis audiens verba mea & *non faciens illa*, comparabitur viro stulto, qui ædificavit domum suam super arena,, Matth. VII. 24. 26.,, Jesus dixit; exivit seminans ad seminandum; semina alia ceciderunt super viam duram; alia in petrosa; alia inter spinas; & alia in terram bonam. Ille qui in terram bonam seminatus, hic est, qui verbum audit & attendit, qui inde *fructum fert & facit*, alius centuplum, alius sexagecuptum, & alius trigecuplum: cum hæc dixit Jesus, exclamabat, dicens, qui habet aures ad audiendum audiat,, Matth. XIII. 3 ad 9. 23.,, Venturus est Filius hominis in gloria Patris sui, & tunc *reddet unicuique secundum facta ejus*,, Matth. XVI. 27.,, Auferetur a Vobis Regnum Dei, & dabitur *Genti facienti fructus ejus*,, Matth. XXI. 43.,, Quando venerit Filius hominis in gloria sua, tunc sedebit super throno gloriæ; & dicet ovibus a dextris, venite benedicti, & tanquam hæreditatem possidete paratum vobis regnum a fundatione mundi; *nam esurivi & dedistis Mihi quod ederem, sitivi & potastis Me, peregrinus fui & collegistis Me, nudus fui & induistis Me, ægrotus fui & visitastis Me, in custodia fui & venistis ad Me.* Tunc respondebunt justi; quando ita vidimus Te: sed respondens Rex dicet, amen dico vobis, in quantum fecistis uni ex fratribus meis minimis, Mihi fecistis. Et Rex dicet similia ad hircos, qui a sinistris, & quia illi talia non fecerunt, dicet, discedite a Me maledicti in ignem æternum, paratum diabolo, & angelis ejus,, Matth. XXV. 31 ad 46.,, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, jam jam securis ad radicem arborum jacet; omnis igitur arbor *non faciens fructum bonum*, exscinditur & in ignem conjicitur,, Luc. III. 8. 9.,, Jesus dixit, quid Me vocatis Domine, Domine, *& non facitis quæ dico.* Omnis qui venit ad Me, & audit sermones meos, *& facit illos*, similis est homini ædificanti domum, & posuit fundamentum super petra: qui vero audit & non facit, similis est homini ædificanti domum super humo sine fundamento,, Luc. VI. 46 ad 49.,, Jesus dixit, Mater mea & fratres mei hi sunt, qui audiunt verbum Dei *& faciunt illud*,, Luc. VIII. 21.,, Tunc incipietis stare & pulsare januam, dicentes, Domine, aperi nobis; sed respondens dicet illis, non novi vos unde sitis, *discedite a Me omnes operarii iniquitatis*,, Luc. XIII. 25 ad 27.,, Hoc est judicium, quod Lux venerit in mundum, sed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, *erant* enim *opera eorum mala*; omnis *qui mala facit*, odit lucem, ne coarguantur *opera ejus.* Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur *opera ejus*, quoniam *in Deo facta sunt*,, Joh. III. 19 ad 21.,, Et exibunt *qui bona fecerunt*, in resurrectionem judicii, Joh. V. 29.,, Scimus quod peccatores Deus non audiat, sed si quis Deum colit, & *voluntatem Ejus facit*, hunc audit,, Joh. IX. 31.,, Si hæc scitis, *beati estis si feceritis illa*,, Joh. XIII. 17.,, Qui habet præcepta, *& facit illa*, ille est qui amat Me, & Ego amabo illum, & manifestabo illi Me Ipsum; & ad illum veniam, & mansionem apud illum faciam. Qui non amat Me, *verba mea non servat*,, Joh. XIV. 15. 21 ad 24., Jesus dixit, Ego sum Vitis, & Pater meus Vinitor: omnem pal-

mitem

mitem in Me *non ferentem fructum*, tollit illum; omnem autem palmitem *fructum ferentem*, putabit illum, ut *plus fructus ferat*,, Joh. XV. 1. 2,, In hoc glorificatus est Pater meus, *ut fructum multum feratis*, & reddamini discipuli mei,, Joh. XV. 8.,, Vos amici mei estis, *si feceritis quæcunque mando vobis*: Ego elegi vos, *ut fructum feratis*, & *fructus vester maneat*,, Joh. XV. 14. 16.,, Dominus dixit Johanni, scribe Angelo Ephesinæ Ecclesiæ, *novi opera tua*: habeo contra te, quod *charitatem* priorem reliqueris; age pænitentiam, & *priora opera fac*; sin vero, movebo candelabrum tuum e loco ejus,, Apoc. II. 1. 2. 4. 5.,, Angelo Ecclesiæ Smyrnæorum scribe, *novi opera tua*,, Apoc. II. 8.,, Angelo Ecclesiæ in Pergamo scribe, *novi opera tua*, *pænitentiam age*,, Apoc. II. 13. 16.,, Angelo Ecclesiæ in Thyatiris scribe, *novi opera tua* & *charitatem*; & *opera tua* posteriora plura primis,, Apoc. II. 26.,, Angelo Ecclesiæ in Sardibus scribe, *novi opera tua*, quod nomen habeas quod vivas, sed mortuus es: *non inveni opera tua perfecta coram Deo*, *pænitentiam age*,, Apoc. III. 1. 2. 3.,, Angelo Ecclesiæ quæ in Philadelphia scribe, *novi opera tua*,, Apoc. III. 7. 8.,, Angelo Ecclesiæ Laodicensium scribe, *novi opera tua*, *age pænitentiam*,, Apoc. III. 14. 15. 19,, Audivi vocem e cælo dicentem, scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur a nunc: dicit spiritus, ut requiescant ex laboribus suis, *Opera illorum sequuntur cum illis*,, Apoc. XIV. 13.,, Liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui, juxta ea quæ scripta in Libro, *omnes secundum opera illorum*,, Apoc. XX. 12. 13.,, Ecce venio cito, & merces mea Mecum, *ut dem unicuique secundum opus ejus*,, Apoc. XXII. 12. Similiter in Veteri Testamento,, Retribue illis *juxta opus illorum*, & *juxta factum manuum illorum*, Jerem. XXV. 14.,, Jehovah, cujus oculi aperti sunt super omnes vias hominum, *ad dandum cuivis secundum vias ejus*, & *secundum fructum operum ejus*,, Jerem. XXXII. 19.,, Visitabo *secundum vias ejus*, & *opera ejus* retribuam illi,, Hosch. IV. 9.,, Jehovah *juxta vias nostras*, *juxta opera nostra* facit nobiscum,, Sach. I. 6. Ac multis in locis, quod statuta, mandata & leges facerent; ut,, Observabitis statuta mea, & judicia mea, *quæ si fecerit homo*, *vivet per illa*,, Levit. XVIII. 5.,, Observabitis omnia statuta mea, & judicia mea, *ut faciatis illa*,, Levit. XIX. 37. Cap XX. 8. Cap. XXII. 31. Benedictiones, si *fecerint præcepta*, & maledictiones *si non fecerint*,, Levit. XXVI. 4 ad 46. Mandatum filiis Israelis, ut facerent sibi peniculamentum super alis vestium suarum, ut recordarentur omnium præceportum Jehovæ, *ut facerent illa*,, Deutr. XXVII. 25; & in mille aliis locis. Quod Opera sint quæ faciunt hominem Ecclesiæ; & quod salvetur secundum illa, docet etiam Dominus in Parabolis, quarum plures involvunt, quod qui bona faciunt acceptentur, & qui mala, rejiciantur; ut in Parabola de Agricolis in Vinea Matth. XXI. 33 ad 44. De Ficu, quæ non dedit fructum, Joh. XIII. 6 seq. De Talentis & Minis cum quibus negotiarentur, Matth. XXV. 14 ad 31. Luc. XIX. 13 ad 25. De Samarita qui obligavit vulnera sauciati a latronibus, Luc. X. 30 ad 37. De Divite & Lazaro, Luc. XVI. 19 ad 31. De decem Virginibus, Matth. XXV. 1 ad 12.

3. Quod omnis, cui religio est, sciat & agnoscat, quod qui bene vivit salvetur, & qui male vivit condemnetur, est ex conjunctione Cæli cum homine,

qui ex Verbo novit quod Deus ſit, quod Cælum & Infernum ſint, & quod Vita poſt mortem ſit; inde eſt communis illa perceptio. Quare in Doctrina fidei Athanaſianæ de Trinitate, quæ univerſaliter in Chriſtiano Orbe recepta eſt, etiam hoc, quod in fine ejus dicitur, unniverſaliter receptum eſt, nempe,, „ Jeſus Chriſtus, qui paſſus eſt propter Salvationem noſtram, aſcendit in Cælum, & ſedet ad dextram Patris Omnipotentis, unde venturus eſt ad judicandum vivos & mortuos; *& tunc illi, qui bona fecerunt, intrabunt in vitam æternam, & qui mala fecerunt, in ignem æternum.*

4. Sunt tamen in Eccleſiis Chriſtianis multi, qui docent, quod ſola fides ſalvet, & non aliquod bonum vitæ ſeu bonum opus; hi etiam adjiciunt, quod non malum vitæ ſeu malum opus condemnet juſtificatos per ſolam fidem, quia in Deo & in gratia ſunt. Sed mirum eſt, quod tametſi illi talia docent, uſque agnoſcant, quod ſit ex communi perceptione e Cælo, quod ſalventur qui bene vivunt, & condemnentur qui male vivunt. Quod uſque agnoſcant, patet ex ORATIONE, quæ in Templis tam in Anglia, quam in Germania, Suecia & Dania legitur coram populo, qui ſacram Cænam obit. Quod in illis Regnis ſint, qui ſolam illam fidem docent, notum eſt. ORATIO, quæ in Anglia legitur coram populo qui ſacramentum Cænæ obit, eſt hæc.

5. „ The way and means to be received as worthy partakers of that Holy „ Table is Firſt, to examine your lives and Converſations by they rule of Gods „ commandiments, and wherein ſoever ye ſhall perceive yourſelves to have „ offended either by will, word or deed, there to bewail your own ſinfullnes, „ and to confeſſ yourſelves to Almighty God, with full purpoſe of amendment „ of life; and if ye ſhall perceive your offences to be ſuch, as are not only „ againſt God, but alſo againſt yours neighbours, then ye ſhall reconcile „ yourſelves unto them, being ready to make reſtitution and ſatisfaction according to the utmoſt of your power, for all injuries and wrongs done by you „ to any other, and being likewiſe ready to forgive others that have offended „ you, as ye would have forgivenes of yours offences of Gods hand, for otherwiſe the receiving of the Holy Communion doth nothing elſe but encreaſe jour damnation. Therfore if any of you be a blaſphemer of God, or „ hinderer or ſlanderer of his word, or adulterer, or be in malice or envy, „ or in any other grivous crime, repent you of yours ſins, or elſe come not „ to the Holy Table; leſt after the taking of that Holy Sacrament the Devil enter into you, as he entered into Judas, and fill you with all iniquites, „ and bring you to deſtruction both of body and ſoul.

6. „ Hæc in Latino ſermone ita ſunt.„ Hæc eſt via & hoc eſt medium, ut „ quis fiat dignus particeps Sanctæ Cænæ: primarium eſt, ut exploret ſuæ vitæ facta & commercia ſecundum normam præceptorum Dei; & in quibuscunque animadvertit ſe offendiſſe voluntate aut loquela aut facto, tunc deploret vitioſam ſuam naturam, & confeſſionem faciat coram Omnipotente „ Deo, cum pleno propoſito emendandi vitam; & ſi animadvertit offenſas „ tales eſſe, ut non modo ſint contra Deum, ſed etiam contra proximum, „ tunc reconciliabit ſe illi, & promptus erit ad reſtitutionem & ſatisfactionem

„ ex

„ ex omni potentia sua, propter injurias & mala alicui facta; & similiter promp-
„ tus erit ad remittendum aliis offensas, quemadmodum vult ut offensæ suæ
„ remittantur a Deo: alioquin receptio Sanctæ Communionis non facit nisi
„ quam aggravet damnationem. Quapropter si quis vestrum est blasphemator
„ Dei, obtrectator aut sugillator Verbi Ipsius, aut adulter, aut in malitia vel
„ in malevolentia, aut in aliquo alio enormi crimine, pænitentiam a peccatis
„ age; si non, ad Sanctam Cænam ne accedas; alioquin post receptionem e-
„ jus diabolus intraturus est in te, sicut intravit in Judam, & impleturus te
„ omni iniquitate, & destructurus & corpus & animam.

7. Datum est interrogare aliquos Presbyteros Angliæ, qui solam fidem confessi sunt & prædicaverunt, quod factum est in Mundo Spirituali, num quando in Templis prælegerunt illam Orationem, in qua non nominatur fides, crediderint quod ita sit, ut quod si mala faciunt, & non pænitentiam agant, diabolus intraturus in illos sicut in Judam, & destructurus illorum & corpus & animam, dixerunt, quod in illo statu, in quo fuerunt, cum prælegerunt Orationem, non aliud sciverint & cogitaverint, quam quod illa essent ipsa religio; sed quod cum sermones suos seu prædicationes concinnarent & elimarent, non similiter cogitaverint, quia de fide, quod esset unicum medium salutis, & de bono vitæ quod esset accessorium morale pro bono publico. Sed usque convicti sunt, quod etiam illis communis perceptio esset, quod qui bene vivit salvetur, & qui male vivit condemnetur, & quod hæc perceptio illis sit, quando non in suo proprio sunt.

8. Quod omnis Religio sit vitæ, est quia unusquisque post mortem est sua vita, manet enim eadem, quæ ei fuerat in mundo, & non mutatur, mala enim vita in bonam non potest converti, nec bona in malam, quia oppositæ sunt, & conversio in oppositum est exstinctio: quare quia oppositæ sunt, vita bona vocatur vita, & vita mala vocatur mors. Inde est quod Religio sit vitæ, & quod vita sit bonum facere. Quod homo sit post mortem qualis ejus vita fuerat in mundo, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO, n. 470 ad 484.

Quod nemo possit bonum facere, quod bonum est, a se.

9. Quod hactenus vix aliquis sciat, num bonum quod facit sit a se, vel a Deo, est causa, quia Ecclesia separavit fidem a charitate, & bonum est charitatis; homo dat pauperibus, opitulatur egenis, impendit Templis & Xenodochiis, consulit Ecclesiæ, Patriæ & Concivi, sedule invisit Templum, tunc devote auscultat & orat, Verbum & Libros pietatis legit, & cogitat de salute, & non scit num illa faciat a se vel a Deo: eadem potest facere ex Deo, & potest facere ex se; si illa ex Deo facit, bona sunt, si ex se, non bona sunt. Imo dantur similia bona ex se, quæ exstanter mala sunt, ut sunt bona hypocritica, quæ deceptoria & fraudulenta.

10. Bona ex Deo & ex se, possunt comparari auro: Aurum quod ab inti-

mo aurum, & vocatur aurum obryzum, hoc bonum aurum est: Aurum commixtum argento est quoque aurum, sed bonum secundum commixtionem; minus autem Aurum commixtum cupro. At Aurum arte factum, & simile auro ex colore, non est bonum, non enim substantia auri in eo est. Datur etiam Auratum, ut auratum argentum, cuprum, ferrum, stannum, plumbum, tum auratum lignum & auratus lapis, quæ superficietenus etiam possunt apparere sicut aurum, sed quia non sunt aurum, æstimantur vel secundum artem, vel secundum pretium aurati, vel secundum pretium auri quod abradi potest; hæc bonitate differunt ab ipso auro, sicut vestis ab homine. Potest etiam lignum putidum & scoria, imo fimus, induci auro; hoc aurum est, quod cum bono Pharisaico comparabile est.

11. Homo ex scientia novit, num aurum in substantia bonum est, num commixtum & falsificatum, & num inductum, sed non ex scientia novit, num bonum quod facit in se bonum est; hoc solum novit, quod bonum a Deo bonum sit, & quod bonum ab homine non bonum sit: quare quia interest saluti scire, num bonum quod facit a Deo sit, vel num a Deo non sit, ideo revelandum est; sed antequam revelatur, dicetur aliquid de Bonis.

12. Datur Bonum civile, Bonum morale, & Bonum spirituale. Bonum civile est quod homo facit ex Lege civili, per id bonum & secundum id est homo civis in Mundo naturali: Bonum morale est quod homo facit ex Lege rationali, per id bonum & secundum id est ille homo: Bonum Spirituale est quod homo facit ex Lege spirituali, per id bonum & secundum id est homo civis in Mundo Spirituali. Hæc Bona sequuntur in hoc ordine; Bonum spirituale est supremum, Bonum morale est medium, & Bonum civile est ultimum.

13. Homo, cui est Bonum spirituale, est homo moralis & quoque homo civilis; at homo, cui non est Bonum spirituale, apparet sicut sit homo moralis & civilis, sed usque non est. Quod homo, cui est Bonum spirituale, sit homo moralis & civilis, est quia Bonum spirituale essentiam boni in se habet, & ex illo Bonum morale & civile: essentia boni non potest dari aliunde, quam ab Ipso, Qui est Ipsum Bonum: effunde cogitationem quaquaversum, intende, & inquire, unde Bonum est bonum, & videbis quod sit a suo Esse, & quod id sit Bonum quod Esse boni in se habet, consequenter quod id sit Bonum, quod est ab Ipso Bono, ita a Deo; consequenter quod Bonum non a Deo, sed ab homine, non bonum sit.

14. Ex illis quæ in DOCTRINA de SCRIPTURA SACRA, n. 27. 28. 38, dicta sunt, videri potest, quod Supremum, Medium & Ultimum faciant unum, sicut Finis, Causa & Effectus, & quod quia faciunt unum, ipse finis dicatur finis primus, causa finis medius, & effectus finis ultimus: inde patebit, quod apud hominem, cui Bonum spirituale est, morale apud illum sit Spirituale medium, ac quod civile sit Spirituale ultimum. Inde nunc est, quod dictum sit, quod homo, cui est Bonum Spirituale, sit homo moralis & homo civilis; & quod homo, cui non est Bonum spirituale, non sit homo moralis, nec civilis, sed quod modo appareat sicut sit. Apparet sibi & quoque aliis.

15. Quod homo, qui non Spiritualis est, usque possit rationaliter cogitare

&

& inde loqui, ſicut Spiritualis homo, eſt quia Intellectus hominis poteſt elevari in lucem cæli, quæ eſt veritas, & ex illa videre; ſed Voluntas hominis non poteſt ſimiliter elevari in calorem cæli, qui eſt amor, & ex illo facere. Inde eſt, quod Veritas & Amor non unum faciant apud hominem, niſi Spiritualis ſit; inde etiam eſt quod homo poſſit loqui; hoc etiam facit diſcrimen inter hominem & inter beſtiam: per hoc quod Intellectus poſſit elevari in Cælum, cum adhuc non Voluntas, eſt quod homo poſſit reformari & ſpiritualis fieri, ſed tunc primum reformatur & ſpiritualis fit, quando etiam voluntas elevatur. Ex illa dote Intellectus præ dote Voluntatis, eſt, quod homo, qualiſcunque ſit, etiam malus, poſſit rationaliter cogitare & inde loqui, ſicut ſpiritualis; ſed quod non uſque rationalis ſit, eſt quia Intellectus non ducit Voluntatem, ſed Voluntas Intellectum, Intellectus modo docet & monſtrat viam, ut in Doctrina de Scriptura Sacra n. 115, dictum eſt; & quamdiu Voluntas non una cum Intellectu eſt in Cælo, homo non eſt ſpiritualis, & inde nec rationalis; nam cum relinquitur ſuæ Voluntati ſeu ſuo Amori, tunc rationalia intellectus ſui de Deo, de Cælo, & de Vita æterna, ejicit, & loco illorum aſſumit talia, quæ cum Voluntatis ejus amore concordant, & illa vocat rationalia. Sed hæc videnda erunt in Tranſactionibus de Sapientia Angelica.

16. In ſequentibus illi qui bonum faciunt a ſe, dicentur homines Naturales, quoniam Morale & Civile apud illos quoad eſſentiam eſt Naturale: at illi, qui bonum faciunt a Domino, dicentur homines Spirituales, quoniam Morale & Civile apud illos quoad eſſentiam eſt Spirituale.

17. Quod nemo poſſit facere aliquod bonum quod bonum eſt, a ſe, docet Dominus apud Johannem ,, *Homo non poteſt ſumere quicquam, niſi ſit datum illi e Cælo*,, III. 27. & apud Eundem,, *Qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum: quia ſine Me non poteſtis facere quicquam*,, XV. 5: qui manet in Me & Ego in illo, hic fert fructum multum, eſt quod a Domino ſit omne bonum, fructus eſt bonum; ſine Me non poteſtis facere quicquam, eſt quod nemo id poſſit facere a ſe. Illi qui credunt in Dominum, & bonum faciunt ab Ipſo, vocantur *Filii lucis*,, Joh XII. 36. Luc. XVI. 8. *Filii nuptiarum*, Marc. II. 19. *Filii reſurrectionis*, Luc XX. 36. *Filii Dei*, Luc. XX. 36. Joh. I. 12. *Ex Deo nati*, Joh. I. 13. *Quod Deum viſuri ſint*, Matth. V. 8. Quod *Dominus manſionem apud illos facturus ſit*, Joh. XIV. 23. *Quod fidem Dei habeant*, Marc. XII. 22. Quod *opera illorum ſint a Deo facta*, Joh. III. 21. Hæc in ſumma ſunt in his verbis., *Quotquot receperunt Jeſum, dedit illis poteſtatem ut filii Dei eſſent, credentibus in Nomen Ipſius; qui non ex ſangvinibus, neque e voluntate carnis, neque e voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*,, Joh. I. 12. 13; credere in Nomen Filii Dei, eſt credere Verbum, & vivere ſecundum id; voluntas carnis eſt proprium voluntatis hominis, quod in ſe eſt malum, & voluntas viri eſt proprium intellectus ejus, quod in ſe eſt falſum ex malo: nati ex illis, ſunt qui ex proprio volunt & faciunt, ac cogitant & loquuntur; nati a Deo ſunt qui illa ex Domino. In ſumma, quod non bonum ſit quod ab homine, ſed quod bonum ſit quod a Domino.

Quod quantum homo fugit mala ut peccata, tantum faciat bona non a ſe, ſed a Domino.

18. Quis non ſcit & ſcire poteſt, quod mala impediant, quin Dominus ad hominem intrare poſſit; Malum enim eſt Infernum, & Dominus eſt Cælum, ac Infernum & Cælum oppoſita ſunt, quantnm itaque homo eſt in uno, tantum non poteſt eſſe in altero; unum enim agit contra alterum, & deſtruit.

19. Homo, quamdiu eſt in Mundo, in medio eſt inter Infernum & Cælum; infra eſt Infernum & ſupra eſt Cælum, & tunc tenetur in Libero convertendi ſe aut ad Infernum aut ad Cælum; ſi ſe convertit ad Infernum, avertit ſe a Cælo, ſi autem convertit ſe ad Cælum avertit ſe ab Inferno. Seu quod idem eſt; homo, quamdiu eſt in mundo, in medio ſtat inter Dominum & diabolum ac tenetur in Libero convertendi ſe aut ad unum aut ad alterum, ſi ſe convertit ad diabolum, ſe avertit a Domino, ſi autem convertit ſe ad Dominum, avertit ſe a diabolo. Seu quod idem eſt; homo, quamdiu in mundo eſt, in medio eſt inter malum & bonum, & tenetur in Libero convertendi ſe aut ad unum aut ad alterum, ſi ſe convertit ad malum avertit ſe a bono, ſi autem convertit ſe ad bonum avertit ſe a malo.

20. Dicitur, quod homo teneatur in Libero convertendi ſe huc illuc; hoc Liberum eſt cuivis homini non ab ipſo, ſed a Domino, quare dicitur quod teneatur in illo. De Æquilibrio inter Cælum & Infernum, & quod homo ſit in illo, & inde in Libero, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO n. 589 ad 596 & n. 597 ad 603. Quod quivis homo in Libero teneatur, & quod id nemini auferatur, videbitur in ſuo loco.

21. Ex his manifeſte patet, quod quantum homo fugit mala, tantum apud Dominum & in Domino ſit, & quantum in Domino eſt, tantum faciat bona non a ſe, ſed a Domino. Inde hæc communis Lex reſultat; QUOD QUANTUM QUIS FUGIT MALA, TANTUM FACIAT BONA.

22. Sed duo Requiſita ſunt; Unum, quod homo fugere debeat mala quia peccata ſunt, hoc eſt, quia ſunt Infernalia & Diabolica, ita contra Dominum & contra Leges Divinas: Alterum, quod homo debeat fugere mala ut peccata ſicut ab ſeipſo, ſed ſciat & credat quod a Domino. Sed de hoc & de illo Requiſito dicetur in Articulis ſubſequentibus.

23. Ex his ſunt Tria hæc Conſequentia I. Quod ſi homo bona vult & facit, antequam fugit mala ut peccata, bona non ſint bona. II. Quod ſi homo pia cogitat & loquitur, & non fugit mala ut peccata, pia non ſint pia. III. Quod ſi homo ſcit & ſapit multa, & non fugit mala ut peccata, uſque non ſapiat.

24. I. *Quod ſi homo bona vult & facit, antequam fugit mala ut peccata, bona non ſint bona*, eſt quia non prius eſt in Domino, ut ſupra dictum eſt: prout ſi det pauperibus, opem ferat egenis, impendat Templis & Hoſpitalitiis, benefaciat Eccleſiæ, Patriæ & concivibus, doceat Evangelium & convertat, agat juſtitiam

tiam in judiciis, sincerita/tem in negotiis, & rectitudinem in operis; & tamen mala ut peccata nihili facit, sicut fraudes, adulteria, odia, blasphemias, & similia alia, tunc non aliter potest facere bona, quam quæ intus mala sunt, facit enim illa ex se, & non ex Domino, ita est ipse in illis, & non Dominus, & bona, in quibus ipse homo est, sunt omnia conspurcata malis ejus, & spectant ipsum & mundum Attamen eadem illa facta, quæ supra recensita sunt, interius bona sunt, si homo fugit mala ut peccata, prout fraudes, adulteria, odia, blasphemias, & similia alia; facit enim illa a Domino; & vocantur *in Deo facta*, Joh. III. 19. 20. 21.

25. II. *Quod si homo pia cogitat & loquitur, & non fugit mala ut peccata, pia non sint pia*, est quia non est in Domino; ut si frequentat Templa, devote auscultat prædicationes, legit Verbum & pietatis libros, obit sacramentum cænæ, quotidie fundit preces, imo si multum cogitat de Deo, & de salute, & tamen mala, quæ sunt peccata, nihili facit, ut fraudes, adulteria, odia, blasphemias, & similia alia, tunc non potest aliter cogitare & loqui pia, quam quæ intus non pia sunt, nam ipse homo cum malis suis est in illis; hæc quidem tunc nescit, sed tamen inibi sunt, & coram illo latent; est enim sicut fons, cujus aqua est impura ex vena. Exercitia pietatis ejus vel sunt modo solennia ex habitu, vel sunt meritoria, vel sunt hypocritica: ascendunt quidem versus cælum, sed reflectunt se in via & decidunt, sicut fumi in aere.

26. Datum est videre & audire multos post mortem, qui enumeraverunt bona sua opera, & pietatis exercitia, quæ nunc supra n. 24. 25 memorata sunt, & plura adhuc: inter illos etiam vidi quosdam habere lampades & non oleum: at inquisitum est num fugerint mala ut peccata, ac inventi, quod non, quare illis dictum est, quod mali sint; visi etiam postea intrare cavernas, ubi similes mali erant.

27. III. *Quod si homo scit & sapit multa, & non fugit mala ut peccata, usque non sapiat*, est ex simili causa, de qua prius, quod sapiat a se & non a Domino; prout si sciat doctrinam Ecclesiæ suæ, & omnia ejus ad amussim; si sciat confirmare illa per Verbum & per ratiocinia; si sciat Doctrinas omnium Ecclesiarum a sæculis, & simul edicta omnium Conciliorum; imo si sciat veritates, & quoque videat & intelligat illas, ut si sciat quid Fides, quid Charitas, quid Pietas, quid Pænitentia & Remissio peccatorum, quid Regeneratio, quid Baptismum & sacra Cæna, quid Dominus, & quid Redemptio & Salvatio; is usque non sapit si non fugit mala ut peccata, sunt enim cognitiones absque vita, quia modo intellectus ejus & non simul voluntatis ejus sunt, & quæ talia sunt, tempore pereunt, ex causa, de qua supra n. 15; post mortem etiam ipse homo ejicit illa, quia cum amore voluntatis ejus non concordant. Sed usque cognitiones maxime necessariæ sunt, quia illæ docent quomodo homo faciet, & cum facit illas, tunc apud illum vivunt; non prius.

28. Hæc omnia, quæ hactenus dicta sunt, Verbum multis in locis docet; ex quibus sequentia modo adducentur. Verbum docet quod nemo possit in bono esse & simul in malo, seu quod idem, quod nemo possit quoad animam in Cælo esse & simul in Inferno: docet hoc in his,, *Nemo potest duobus Dominis*

ſervire, nam aut unum odio habebit, & alterum amabit, aut uni adhærebit, & alterum contemnet: non poteſtis Deo ſervire & mammonæ, Matth. VI. 24,, *Quomodo poteſtis bona loqui, cum mali eſtis; ex abundantia cordis os loquitur; bonus homo ex bono theſauro cordis ſui emittit bona, & malus homo ex malo theſauro emittit mala*,, Matth. XII. 34. 35.,, *Arbor bona non facit fructum malum, neque arbor mala facit fructum bonum: omnis arbor ex proprio fructu cognoſcitur; non enim ex ſpinis colligunt ficus, neque ex rubo vindemiant uvam*,, Luc. VI. 43 44.

29. Verbum docet, quod nemo poſſit bonum facere a ſe, ſed a Domino; *Dixit Jeſus, Ego ſum Vitis, & Pater meus Vinitor: omnem palmitem in Me non ferentem fructum, tollit illum: omnem autem fructum ferentem, putabit illum; ut plus fructus ferat. Manete in Me etiam Ego in vobis: quemadmodum palmes non poteſt ferre fructum a ſe ipſo, niſi manſerit in vite, ita neque vos, niſi in Me manſeritis. Ego ſum Vitis, vos palmites; qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum; quia ſine Me, non poteſtis facere quicquam. Niſi quis manſerit in Me, ejectus eſt foras ſicut palmes, & areſactus eſt, & colligunt illum, & in ignem conjiciunt, & comburitur*,, Joh. XV. 1 ad 6.

30. Verbum docet, quod quantum homo non purificatus eſt a malis, bona ejus non ſint bona, nec pia ejus ſint pia, nec ſapiat; & viciſſim; in his,, *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, quia ſimiles vos facitis ſepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent pulchra, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum & omni immunditie: ſic etiam vos foris quidem apparetis juſti, intus vero pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. Væ vobis, quia purgatis exterius poculi & patinæ, interiora vero plena ſunt rapina & intemperantia. Phariſæe cæce, purga prius interius poculi & patinæ, ut fiat etiam exterius mundum*, Matth. XXIII. 25 ad 28. Tum ex his apud Eſajam,, *Audite verbum Jehovæ principes Sodomæ, audite legem Dei noſtri, populo Gomorrhæ: quid Mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum, ne addite adducere mincham vanitatis; ſuffitus abominatio Mihi eſt, novilunium & ſabbathum, non poſſum ferre iniquitatem: novilunia & feſta ſtata veſtra odit anima mea; unde quando expanditis manus veſtras, occulto oculos meos a vobis; etiam ſi multiplicatis orationem, non Ego audiens; manus veſtræ ſanguinibus plenæ ſunt. Lavate vos, purificate vos, removete malitiam operum veſtrorum a coram oculis meis, ceſſate malum facere: ſi fuerint peccata veſtra ſicut coccinea, ſicut nix albeſcent, ſi rubra fuerint, ſicut lana erunt*,, I. 10 ad 18; hæc in ſumma ſunt, quod niſi homo fugit mala, omnia cultus ejus non bona ſint, ſimiliter omnia ejus opera, nam dicitur, non poſſum ferre iniquitatem, purificate vos, removete malitiam operum veſtrorum, ceſſate malum facere. Apud Jeremiam,, *Revertimini quiſque a via ſua mala, & bona reddite opera veſtra*,, XXXV. 15.

Quod iidem nec ſapiant; apud Eſajam,, *Væ ſapientibus in oculis ſuis, & coram faciebus ſuis intelligentibus*,, V. 21. Apud Eundem,, *Peribit ſapientia ſapientium, ac intelligentia intelligentium: væ illis qui profunde ſapiunt, & fiunt in tenebris opera illorum*,, XXIX. 14. 15: & alibi apud Eundem,, *Væ deſcendentibus in Ægyptum pro auxilio, & ſuper equis innituntur, & confidunt ſuper curru quod multus, & ſuper equitibus quod validi ſint, ſed non reſpiciunt ad Sanctum Iſraelis, & Jehovam non quærunt. Sed ſurget contra domum malignorum, & contra auxilium operan-*

perantium iniquitatem: nam Ægyptus non Deus, & Equi ejus caro non spiritus,, XXXI. 1. 2. 3; ita describitur propria intelligentia; Ægyptus est scientia; equus est intellectus inde; currus est doctrina inde; eques est intelligentia inde, de quibus dicitur, væ illis, qui non respiciunt ad Sanctum Israelis, & Jehovam non quærunt: destructio eorum per mala, intelligitur per surget contra domum malignorum, & contra auxilium operantium iniquitatem: quod illa sint ex proprio, & ideo non in illis vita, intelligitur per quod Ægyptus homo & non Deus, & quod equi ejus caro & non spiritus, homo & caro sunt proprium hominis, Deus & Spiritus sunt vita a Domino; equi ægypti sunt propria intelligentia. Talia sunt plura in Verbo de Intelligentia a se, & de Intelligentia a Domino, quæ modo per sensum spiritualem patent.

Quod nemo salvetur per bona a se, quia non sunt bona, patet ex his,, *Non omnis dicens Mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum, sed faciens voluntatem Patris mei: multi dicent Mihi in die illo, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus, & per Nomen tuum dæmonia ejecimus, & in Nomine tuo multas virtutes fecimus, sed tunc confitebor illis, non novi vos, discedite a Me* OPERANTES INIQUITATEM,, Matth. VII. 21. 22. 23. Et alibi,, *Tunc incipietis foris stare, & pulsare januam, dicentes, Domine aperi nobis; & incipietis dicere, edimus coram Te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti; sed dicet, dico vobis, non novi vos unde sitis, discedite a Me omnes* OPERARII INIQUITATIS,, Luc. XIII. 25. 26. 27. Similes enim sunt Pharisæo, *qui in Templo stans orabat, dicens quod non esset sicut reliqui homines, rapax, injustus, mæchus, quod jejunaret bis in septimana, & daret decimas omnium quæ possidebat*,, Luc. XVIII. 11 ad 14. sunt etiam *illi qui vocantur inutiles servi*,, Luc. XVII. 10.

31. Veritas est, quod nullus homo possit facere bonum a se, quod bonum est; sed per id destruere omne bonum charitatis, quod homo, qui fugit mala ut peccata, facit, est enorme, est enim e diametro contra Verbum, quod mandat quod homo faciet; est contra præcepta amoris in Deum, & amoris erga proximum, a quibus mandatis Lex & Prophetæ pendent; & est sugillare & supplantare omne religionis; unusquisque enim scit, quod religio sit bonum facere, & quod quisque secundum facta judicetur. Omnis homo talis est, ut possit fugere mala sicut a seipso ex potentia Domini, si illam imploret, & quod postea facit, est bonum a Domino.

Quod quantum quis fugit mala ut peccata, tantum amet vera.

32. Sunt duo Universalia, quæ procedunt a Domino, Divinum Bonum & Divinum Verum, Divinum Bonum est Divini Amoris Ipsius, & Divinum Verum est Divinæ Sapientiæ Ipsius; illa Duo in Domino unum sunt, & inde ut Unum procedunt ab Ipso; sed non ut Unum recipiuntur ab angelis in Cælis, & ab hominibus in terris; sunt angeli & homines, qui plus ex Divino Vero recipiunt quam ex Divino Bono, & sunt qui plus ex Divino Bono quam

quam ex Divino Vero; inde eſt, quod Cæli in duo Regna diſtinguantur, quorum unum vocatur Regnum Cæleſte, alterum Regnum Spirituale; Cæli qui plus ex Divino Bono recipiunt, conſtituunt Regnum Cæleſte, qui autem plus ex Divino Vero, conſtituunt Regnum ſpirituale; de Binis his Regnis, in quæ Cæli diſtincti ſunt, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO n. 20 ad 28. Sed uſque Angeli omnium Cælorum tantum in ſapientia & intelligentia ſunt, quantum bonum apud illos unum facit cum vero; bonum quod non unum facit cum vero, hoc illis non eſt bonum, viciſſim etiam verum quod non unum facit cum bono, hoc illis non eſt verum: inde patet, quod bonum conjunctum vero faciat amorem & ſapientiam apud angelum & apud hominem; & quia angelus eſt angelus ex amore & ſapientia apud illum, ſimiliter homo, patet, quod bonum conjunctum vero faciat ut angelus ſit angelus cæli, & quod homo ſit homo Eccleſiæ.

33. Quoniam Bonum & Verum unum ſunt in Domino, ac ut unum procedunt ab Ipſo, ſequitur quod bonum amet verum, & verum amet bonum, ac velint unum eſſe. Similiter oppoſitum illorum, quod malum amet falſum, & falſum malum, ac velint unum eſſe. Conjunctio boni & veri in ſequentibus vocabitur Conjugium cæleſte, & conjunctio mali & falſi Conjugium infernale.

34. Horum conſequens eſt, quod quantum quis fugit mala ut peccata, tantum amet vera, tantum enim in bono eſt, ut in mox præcedente Articulo oſtenſum eſt. Tum viciſſim, quod quantum quis non fugit mala ut peccata, tantum non amet vera, quia tantum non in bono eſt.

35. Poteſt quidem homo, qui non fugit mala ut peccata, amare vera, ſed non amat illa quia vera ſunt, ſed quia inſerviunt famæ, ex qua ei honor aut lucrum, quare ſi non inſerviunt, non amat illa.

36. Bonum eſt voluntatis, verum eſt intellectus, ab amore boni in voluntate procedit amor veri in intellectu, ab amore veri procedit perceptio veri, a perceptione veri cogitatio veri, ex illis eſt agnitio veri, quæ eſt Fides in ſuo genuino ſenſu; quod hæc progreſſio ab amore boni ad fidem ſit, demonſtrabitur in Tranſactione de DIVINO AMORE & DIVINA SAPIENTIA.

37. Quoniam bonum non eſt bonum niſi ſit conjunctum vero, ut dictum eſt, conſequenter bonum non prius exiſtit, & tamen continue vult exiſtere, quare ut exiſtat, deſiderat & comparat ſibi vera, ex his eſt nutritio ejus & formatio ejus: hæc cauſa eſt, quod quantum quis in bono eſt, tantum amet vera, proinde quantum quis fugit mala ut peccata, nam tantum in bono eſt.

38. Quantum quis in bono eſt, & ex bono amat vera, tantum amat Dominum, quoniam Dominus eſt Ipſum Bonum & Ipſum Verum; eſt itaque Dominus apud hominem in bono & in vero, ſi hoc ex illo amatur, tunc Dominus amatur, & non aliter. Hoc Dominus docet apud Johannem „ *Qui habet præcepta mea & facit illa, ille eſt qui amat Me; qui vero non amat Me, verba mea non ſervat* „ XIV. 21. 24: & alibi „ *Si mandata mea ſervaveritis, manebitis in amore meo* „ Joh. XV. 10; præcepta, verba & mandata Domini ſunt vera.

39. Quod bonum amet verum, illuſtrari poteſt per comparationes cum Sacerdote, Milite, Negotiatore & Artifice: cum SACERDOTE; ille, ſi in bono

Sacer-

Sacerdotii est, quod est prospicere saluti animarum, docere viam ad cælum, ac ducere quos docet; is sicut est in illo bono, ita ex amore & ejus desiderio comparat sibi vera quæ doceat, & per quæ ducat. Sacerdos autem, qui non in bono Sacerdotii est, sed in jucundo functionis suæ ex amore sui & mundi, quod solum illi bonum est; ille etiam ex amore & ejus desiderio comparat sibi illa in copia secundum jucundum, quod est ejus bonum, inspirans. Cum MILITE: si in amore militiæ est, ac in tutela aut in fama sentit bonum, is ex bono hoc & secundum id comparat sibi scientiam ejus, & si præfectus est, intelligentiam ejus: hæc sunt sicut vera, ex quibus jucundum amoris, quod est bonum ejus, nutritur & formatur. Cum NEGOTIATORE; si se addixerat negotio ex amore ejus, is haurit cum voluptate omnia, quæ ut media illum amorem ingrediuntur & componunt: hæc quoque sunt sicut vera, cum negotiatio est bonum ejus. Cum ARTIFICE; si studio incumbit suæ operæ, & illam amat ut bonum suæ vitæ, is emit instrumenta, & per talia quæ sunt scientiæ ejus, perficit se, per hæc facit opus suum ut sit bonum. Ex his patet, quod vera sint media, per quæ bonum amoris existit, & fit aliquid; conseqnenter, quod bonum amet vera ut existat. Inde in Verbo per Veritatem facere, intelligitur facere ut bonum existat: hoc intelligitur per *Veritatem facere*, Joh. IV. 21. *Sermones Domini facere*, Luc. VI. 5. *Præcepta Ipsius facere*, Joh. XIV. 24. *Verba Ipsius facere*, Matth. VII. 20. *Verbum Dei facere*, Luc. VIII. 21. Ac *Statuta & Judicia facere*, Levit. XVII. 5. Hoc quoque est *bonum & fructum facere*, nam bonum & fructus est id quod existit.

40. Quod bonum amet verum, & velit cum illo conjungi, illustrari etiam potest per comparationem cum Cibo & Aqua, seu cum Pane & Vino, unum & alterum erit, cibus aut panis solus non facit aliquid in corpore ad nutritionem sed cum aqua aut vino; quare unum appetit & desiderat alterum. Per Cibum & Panem etiam in Verbo in sensu ejus spirituali intelligitur Bonum, ac per Aquam & Vinum intelligitur Verum.

41. Ex dictis nunc constare potest, quod qui fugit mala ut peccata, amet vera ac desideret illa, & quo plus fugit, eo plus amet & desideret, quia eo plus in bono est. Inde venit in Conjugium cæleste, quod est Conjugium boni & veri, in quo est Cælum, & in quo erit Ecclesia.

Quod quantum quis fugit mala ut peccata, tantum fidem habeat, & spiritualis sit.

42. Fides & Vita inter se distinctæ sunt, sicut cogitare & facere, & quia cogitare est Intellectus, & facere est Voluntatis, sequitur quod Fides & Vita inter se distinctæ sint, sicut Intellectus & Voluntas; qui scit distinctionem harum, ille etiam scit distinctionem illorum; & qui scit conjunctionem harum, ille etiam scit conjunctionem illorum; quare præmittendum est aliquid de Intellectu & Voluntate.

43. Sunt homini binæ Facultates, quarum una vocatur VOLUNTAS, & altera

ra INTELLECTUS; illæ inter ſe diſtinctæ ſunt, ſed ita creatæ, ut unum ſint, & cum unum ſunt, vocantur *Mens*; quare Mens humana illæ ſunt, & omnis vita hominis ibi. Sicut omnia in univerſo quæ ſecundum ordinem Divinum ſunt, ſe referunt ad Bonum & Verum, ita omnia apud hominem ad Voluntatem & Intellectum, nam Bonum apud hominem eſt ejus Voluntatis, & Verum apud illum eſt ejus Intellectus; ſunt enim hæ binæ Facultates receptacula & ſubjecta illorum, Voluntas eſt receptaculum & ſubjectum omnium boni, ac Intellectus eſt receptaculum & ſubjectum omnium veri; bona & vera apud hominem non alibi ſunt, ita non Amor & Fides ſunt alibi, quoniam Amor eſt boni & Bonum eſt amoris, ac Fides eſt veri & Verum eſt fidei. Nihil magis intereſt ſcire, quam quomodo Voluntas & Intellectus unam Mentem faciunt; faciunt unam Mentem, ſicut Bonum & Verum faciunt unum; eſt enim ſimile conjugium inter Voluntatem & Intellectum, quale eſt inter bonum & verum: quale hoc conjugium eſt, aliquantum in præcedente Articulo dictum eſt; cui hoc addendum eſt, quod ſicut Bonum eſt ipſum Eſſe rei, ac Verum eſt Exiſtere rei inde, ita Voluntas apud hominem eſt ipſum Eſſe vitæ ejus, ac Intellectus Exiſtere vitæ inde; nam Bonum, quod eſt Voluntatis, ſe in Intellectu format, & certo modo ſe ſiſtit videndum.

44. Quod homo poſſit multa ſcire, cogitare, & intelligere, & tamen non ſapere, ſupra n. 27. 28, oſtenſum eſt, & quia fidei eſt ſcire & cogitare, & magis adhuc intelligere quod ita ſit, ita poteſt homo credere quod fidem habeat, & tamen non habet; cauſa quod non habeat, eſt quia in malo vitæ eſt, ac malum vitæ & verum fidei nuſquam poſſunt unum agere; malum vitæ deſtruit verum fidei, quia malum vitæ eſt voluntatis, & verum fidei eſt intellectus, ac voluntas ducit intellectum, ac facit ut unum ſecum agat; quare ſi aliquid in intellectu eſt quod non concordat cum voluntate, hoc quando homo ſibi relictus eſt, & ex ſuo malo & ejus amore cogitat, tunc verum, quod eſt in intellectu, vel ejicit, vel cogit ut unum ſit per falſificationem. Aliter apud illos qui in bono vitæ ſunt, hi ſibi relicti ex bono cogitant, & verum, quod in intellectu eſt, amant, quia concordat: ita fit conjunctio fidei & vitæ, ſicut eſt conjunctio veri & boni, atque hæc & illa ſicut eſt conjunctio intellectus & voluntatis.

45. Ex his nunc ſequitur; quod ſicut homo fugit mala ut peccata, ita fidem habeat, quia ita in bono eſt, ut ſupra oſtenſum: hoc confirmatur etiam ex ſuo contrario, quod qui non fugit mala ut peccata, non fidem habeat, quia in malo eſt, ac malum intrinſecus odit verum; extrinſecus quidem poteſt ejus amicum agere, ac ſufferre, imo amare ut in intellectu ſit; at cum extrinſecum exuitur, quod fit poſt mortem, tunc verum ſuum amicum in mundo primum ejicit, poſtea negat quod verum ſit, & demum averſatur.

46. Fides hominis mali eſt fides intellectualis, cui nihil boni ex voluntate ineſt, ita eſt fides mortua, quæ eſt ſicut ſpiratio pulmonaris abſque anima ejus ex corde; intellectus etiam correſpondet pulmoni, & voluntas cordi. Eſt quoque ſicut pulchra meretrix, etiam ornata purpura & auro, quæ interius maligna tabe ſcatet; meretrix etiam correſpondet falſificationi veri, & inde in Verbo

bo significat illam. Est etiam sicut arbor luxurians foliis, & non dans fructus, quam hortulanus exscindit; etiam arbor significat hominem, folia & flores ejus vera fidei, & fructus bonum amoris. Alia vero est fides in intellectu, cui bonum ex voluntate inest; hæc fides est viva; & est sicut respiratio pulmonaris, cui anima est ex corde; & est sicut pulchra uxor amabilis viro ex castitate: & est sicut arbor fructifera.

47. Plura sunt quæ apparent solius fidei esse, sicut quod Deus sit, quod Dominus qui Deus sit Redemptor & Salvator, quod Cælum & Infernum sint, quod Vita post mortem sit, & plura alia, de quibus non dicitur quod facienda, sed quod credenda; hæc fidei etiam mortua sunt apud hominem qui in malo est, sed viva apud hominem qui in bono est. Causa est, quia homo qui in bono est, non modo facit bene ex voluntate, sed etiam cogitat bene ex intellectu, non solum coram mundo, sed etiam coram se cum solus est: aliter qui in malo est.

48. Dictum est, quod illa appareant solius fidei esse; sed cogitatio intellectus trahit suum existere ex amore voluntatis, qui est esse cogitationis in intellectu, ut supra n. 43 dictum est; quod enim quis ex amore vult, hoc vult facere, vult cogitare, vult intelligere, & vult loqui, seu quod idem, quod quis ex voluntate amat, hoc amat facere, amat cogitare, amat intelligere, & amat loqui. Accedit, cum homo fugit malum ut peccatum, tunc ille in Domino est, ut supra ostensum, & Dominus operatur omnia: quare Dominus ad interrogantes Ipsum, *quid facerent ut operarentur opera Dei*, *dixit*, *hoc opus Dei est, ut credatis in Ipsum*, *quem misit Ille*,, Joh. VI. 28; credere in Dominum, non est modo cogitare quod Ipse sit, sed etiam est facere verba Ipsius, ut alibi docet.

49. Quod qui in malis sunt, non fidem habeant, utcunque putant se habere, ostensum est apud tales in Mundo spirituali: deducti sunt in Societatem cælestem, unde Spirituale fidei Angelorum intravit in interiora fidei illorum qui eo deducti sunt, ex quo hi perceperunt, quod illis modo naturale seu externum fidei esset, & non spirituale seu internum ejus; quare ipsi confessi sunt, quod prorsus nihil fidei haberent, & quod persuaserint sibi in mundo, quod cogitare quod ita sit ex omni causa, esset credere seu fidem habere. Sed aliter percepta est fides illorum, qui non in malo fuerunt.

50. Ex his videri potest, quid fides spiritualis, & quid fides non spiritualis; quod fides spiritualis sit apud illos qui non peccata faciunt, nam qui peccata faciunt, illi bona faciunt non a se sed a Domino, videatur supra n. 18 ad 31, & per fidem fiunt spirituales: Fides apud illos est Veritas. Hoc docet ita Dominus apud Johannem,, *Hoc est judicium*, *quod Lux venit in mundum*, *sed amaverunt homines magis tenebras quam lucem*, *erant enim opera illorum mala*; *omnis qui mala facit*, *odit lucem*, *& non venit ad lucem*, *ne coarguantur opera ejus*: *qui autem facit Veritatem*, *venit ad lucem*, *ut manifestentur opera ejus*, *quoniam in Deo facta sunt*,, III. 19. 20. 21.

51. Hæc quæ hactenus dicta sunt, confirmantur ex his in Verbo;,, *Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum; at malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum*; *nam ex abundantia cordis loquitur os*,, Luc. VI. 45. Matth. XII. 35; per cor in Verbo intelligitur voluntas hominis; & quia homo inde

 co-

cogitat & loquitur, dicitur ex abundantia cordis loquitur os.,, *Non quod intrat in os, immundum reddit hominem, sed quod egreditur ex corde, hoc immundum reddit hominem*,, Matth. XV. 11; per cor etiam hic intelligitur voluntas.,, *Jesus dixit de muliere, quæ unguento lavit pedes Ipsius, remissa sunt ei peccata, quia multum amavit; & postea dixit, fides tua te salvam facit*,, Luc. VII. 46. ad 50; ex quibus patet, quod cum peccata remissa sunt, ita cum non sunt, fides salvet. Quod filii Dei & nati a Deo dicantur, qui non in proprio voluntatis suæ sunt, & inde non in proprio intellectus sui, hoc est, qui non in malo sunt & inde in falso, & quod illi sint qui credunt in Dominum, docet Ipse apud Johannem Cap. I. vers. 12. 13; qui locus explicatus videatur supra n. 17. fin:

52. Conclusum ex his sequitur, quod apud hominem non detur granum veri plus quam datur bonum, ita non granum fidei plus quam datur vita: datur cogitatio quod ita sit, in intellectu, sed non agnitio quæ fides, nisi detur consensus in voluntate: ita fides & vita pari passu ambulant. Ex his nunc patet, quod quantum quis fugit mala ut peccata, tantum fidem habeat, & spiritualis sit.

Quod Decalogus doceat, quænam mala sunt peccata.

53. Quænam Gens in universo terrarum Orbe non novit, quod malum sit furari, adulterari, occidere & falso testari; nisi hæc scirent, & ne quis talia faciat, per leges caverent, actum foret de illis, nam Societas, Respublica & Regnum, absque illis legibus caderent: quis autumare potest, quod Gens Israelitica præ omnibus aliis tam stupida fuerit, ut ignoraverit, quod illa essent mala: quapropter mirari quis potest, cur Leges illæ universaliter in terrarum orbe cognitæ cum tanto Miraculo e Monte Sinai ab Ipso Jehovah promulgatæ fuerint. Sed audi, cum tali Miraculo promulgatæ fuerunt, ut scirent quod Leges illæ non modo Leges civiles & morales essent, sed etiam Leges Spirituales, & quod facere contra illas, non modo esset malum facere contra concivem & contra societatem, sed etiam esset peccare contra Deum; quare Leges illæ, per promulgationem e monte Sinai a Jehovah, factæ sunt Leges Religionis: evidens enim est, quod quicquid Jehovah Deus mandat, hoc mandet ut Religionis sit, & quod faciendum propter Ipsum, & propter hominem ut salvetur.

54. Illæ Leges quia fuerunt Primitiæ Verbi, & inde Primitiæ Eccesiæ a Domino apud Gentem Israeliticam instaurandæ, & quia erant in brevi summario complexus omnium Religionis, per quæ conjunctio Domini cum homine, & hominis cum Domino, datur, ideo tam sanctæ fuerunt, ut nihil sanctius.

55 Quod sanctissimæ fuerint, constare potest ex eo, quod Ipse Jehovah, hoc est, Dominus, descenderit super monte Sinai in Igne & cum Angelis, & illas viva voce inde promulgaverit, & quod populus per triduum se præparaverit

rit ad videndum & audiendum: quod Mons circumſeptus fuerit, ne quis accederet & moreretur: quod nec ſacerdotes neque ſeniores appropinquarent, ſed Moſes ſolus: quod Leges illæ inſcriptæ fuerint binis Tabulis lapideis digito Dei: quod Moſes, cum illas ſecunda vice e monte deportavit, facie radiaverit: quod poſtea repoſitæ fuerint in Arca, & hæc in intimo Tabernaculi; & ſuper illam datum fuerit Propitiatorium, & ſuper hoc poſiti Cherubi, ex auro: quod hoc fuerit ſanctiſſimum Eccleſiæ illorum, & vocatum Sanctum ſanctorum: quod extra Velum, intra quod illud, collocata fuerint, quæ repræſentaverunt Sancta Cæli & Eccleſiæ, quæ erant Candelabrum cum ſeptem lucernis ex auro, Altare ſuffimenti ex auro, & Menſa ſuper qua panes facierum obducta auro, cum Aulæis circumcirca ex byſſo, purpura & coccino: ſanctitas totius hujus Tabernaculi non aliunde fuit, quam ex Lege quæ fuit in Arca. Propter Sanctitatem Tabernaculi ex Lege in Arca, univerſus Populus Iſraeliticus circum illud in ordine ſecundum Tribus ex mandato caſtrametatus eſt, & in ordine poſt illud profectus eſt, & tunc ſupra illud fuit nubes interdiu, & ignis noctu: propter ſanctitatem Legis illius, & præſentiam Domini in illa, loquebatur Dominus ſuper Propitiatorio inter Cherubos cum Moſe; & Arca vocabatur Jehovah ibi: tum non licuit Aharoni intrare intra Velum niſi cum ſacrificiis & ſuffitu. Quia Lex illa erat ipſa Sanctitas Eccleſiæ, ideo Arca introducta fuit in Zionem a Davide: & poſtea in medio Templi Hieroſolymitani repoſita, & faciebat ejus adytum. Propter Domini præſentiam in Lege illa & circum illam, etiam Miracula per Arcam, in qua Lex illa fuit, facta ſunt, ut quod aquæ Jordanis diſciſſæ ſint, & quamdiu Arca in medio quieſcebat, populus in ſicco tranſiverit: quod per circumlationem ejus muri Jerichuntis ceciderint: quod Dagon deus Philiſtæorum coram illa decideret, & poſtea ad limen fani jaceret divulſus a capite: & quod propter illam percuſſi ſint Bethſchemitæ ad plura millia; præter alia: hæc omnia ex ſola præſentia Domini in decem Ipſius verbis, quæ ſunt Præcepta Decalogi.

56. Tanta Potentia & tanta Sanctitas inerat iſti Legi, etiam quia illa erat complexus omnium Religionis; conſtabat enim ex binis Tabulis, quarum una continet omnia quæ a parte Dei ſunt, & altera in complexu omnia quæ a parte hominis ſunt: ideo Legis illius Præcepta vocantur decem Verba, ita vocantur quia Decem ſignificant omnia. Sed quomodo illa Lex eſt complexus omnium Religionis, videbitur in ſequente Articulo.

57. Quoniam per Legem illam eſt conjunctio Domini cum homine, & hominis cum Domino, vocatur illa Foedus & Testimonium, Fœdus quia conjungit, & Teſtimonium quia teſtatur, nam Fœdus ſignificat conjunctionem, ac Teſtimonium teſtificationem ejus. Propterea Tabulæ illæ erant binæ, una pro Domino, altera pro homine: conjunctio fit a Domino; ſed tunc cum homo facit illa quæ in ejus Tabula ſcripta ſunt: Dominus enim continue præſens eſt & operatur, & vult ingredi, ſed homo ex ſuo libero, quod illi a Domino eſt, aperiet; nam dicit,,, *Ecce ſto ad januam & pulſo, ſi quis audiverit vocem meam, & aperuerit januam, ingrediar ad illum, & cænabo cum illo, & ille Mecum*,, Apoc. III. 20.

58. In altera Tabula, quæ est pro homine, non dicitur quod homo faciet hoc & illud bonum, sed dicitur quod non faciet hoc & illud malum, ut, non occides, non adulteraberis, non furaberis, non false testaberis, non concupisces; causa est, quia homo non aliquod bonum potest facere a se, sed cum ille mala non facit, tunc bonum facit non a se sed a Domino. Quod homo possit fugere mala sicut a se ex potentia Domini, si illam imploret, videbitur in sequentibus.

59. Illa quæ de Legis istius Promulgatione, Sanctitate & Potentia supra n. 55, dicta sunt, inveniuntur in his locis in Verbo.

Quod Jehovah descenderit super montem Sinai in Igne, & quod tunc fumaverit & contremuerit mons; & quod fuerint tonitrua, fulgura, nubes gravis, & vox buccinæ, Exod XIX. 16. 18. Devtr. IV. 11. Cap. V. 19 ad 23.

Quod Populus ante descensum Jehovæ se præparaverit & sanctificaverit per tres dies, Exod. XIX. 10. 11. 15.

Quod Mons circumseptus fuerit, ne quisquam ad ima ejus appropinquaret & accederet, ne moreretur; & quod nec Sacerdotes, sed Moses solus, Exod. XIX. 12. 13. 20 ad 23. Cap. XXIV. 1. 2.

Lex promulgata e Monte Sinai, Exod. XX. 2. ad 14. Devtr. V. 6 ad 18.

Quod Lex illa inscripta sit binis Tabulis lapideis digito Dei, Exod. XXXI. 18. Cap. XXXII. 15. 16. Devtr. IX. 10.

Quod Moses, cum illas Tabulas secunda vice e Monte deportavit, facie radiaverit, Exod. XXXIV. 29 ad 35.

Quod Tabulæ repositæ fuerint in Arca, Exod. XXV. 16. Cap. XL. 20. Devtr. X. 5. 1 Reg. VIII. 9.

Quod super Arcam datum sit Propitiatorium, & super hoc positi sint Cherubi ex auro, Exod. XXV, 17 ad 21.

Quod Arca, cum Propitiatorio & Cherubis intimum Tabernaculi fecerit, & quod Candelabrum ex auro, Altare suffimenti ex auro, & Mensa super qua panis facierum obducta auro, exterius Tabernaculi fecerint, ac decem Aulæa ex bysso, purpura & coccino extimum ejus, Exod. XXV. 1 ad fin: Cap. XXVI. 1 ad fin. Cap. XL. 17 ad 28.

Quod locus, ubi Arca, vocatus sit Sanctum sanctorum, Exod. XXVI. 33.

Quod universus populus Israeliticus circum Habitaculum in ordine secundum Tribus castrametatus sit, & in ordine post illud profectus sit, Num. II. 1 ad fin.

Quod tunc super Habitaculo fuerit nubes interdiu & ignis noctu, Exod. XL. 38. Num IX. 15. 16 ad fin. Cap. XIV. 14 Devtr. I. 33.

Quod Dominus loquutus sit cum Mose supra Arcam inter Cherubos, Exod. XXV. 22. Num. VII. 89.

Quod Arca ex Lege in illa dicta sit Jehovah ibi; dixit enim Moses cum Arca proficiscebatur, surge Jehovah, & cum quiescebat, redi Jehovah, Num. X. 35. 36: & porro 11. Sam. VI. 2 Psalm. CXXXII. 7. 8.

Quod propter Sanctitatem istius Legis non licuerit Aharoni intrare intra velum, nisi cum sacrificiis & cum suffitu, Lev. XVI. 2 ad 14 seq.

Quod

Quod Arca introducta sit in Zionem a Davide cum sacrificiis & cum jubilo, II Sam. VI. 1 ad 19. Quod tunc Usa, quia tetigit illam, mortuus sit, Vers. 6 7, ibi.

Quod Arca in medio Templi Hierosolymitani posita sit, ubi faciebat adytum, 1 Reg. VI. 19 seq. Cap. VIII. 3 ad 9.

Quod ex præsentia & potentia Domini in Lege quæ in Arca, aquæ Jordanis discissæ sint, & quamdiu illa in medio quiescebat, populus in sicco transiverit, Jos. III. 1 ad 17 Cap. IV. 5 ad 20.

Quod per circumlationem Arcæ muri Jerichuntis conciderint, Jos. VI. 1 ad 20.

Quod Dagon deus Philisthæorum coram Arca in terram deciderit, & postea super limine fani jaceret divulsus a capite, 1 Sam. VI. 19.

Quod Bethschemitæ propter Arcam percussi sint ad plura millia, I Sam. VI. 19.

60. Quod Tabulæ lapideæ, super quibus Lex erat scripta, dictæ sint Tabulæ fœderis, & Arca ex illis dicta sit Arca fœderis, & ipsa Lex fœdus, Num. X. 33. Devtr. IV. 13. 23. Cap. V. 2. 3. Cap. IX. 9. Jos. III. 11. 1 Reg. VIII. 19. 21. Apoc. XI. 19: & multoties alibi. Quod Lex dicta sit fœdus, est quia fœdus significat conjunctionem: quare de Domino dicitur, quod *erit in fœdus populo*, Esaj. XLII. 6. Cap. XLIX. 9: & vocatur *Angelus fœderis*, Malach. III. 1: & sanguis Ipsius *Sanguis fœderis*, Matth. XXVI. 27. Sach. IX. 11. Exod. XXIV. 4 ad 10. ideo Verbum dicitur *Fœdus vetus & Fœdus novum*. Fœdera etiam fiunt amoris, amicitiæ, consociationis, ita conjunctionis gratia.

61. Quod præcepta illius Legis dicta sint Decem verba, Exod. XXXIV. 28; Devtr. IV. 13. Cap. X. 4, ita vocantur, quia decem significant omnia, & verba significant vera; fuerunt enim plura quam decem. Quia Decem significant omnia, ideo aulæa Tabernaculi fuerunt decem, Exod. XXVI. 1: ideo dixit Dominus, quod homo accepturus regnum vocaverit decem servos & dederit illis decem minas ad negotiandum, Luc. XIX. 13: ideo Dominus assimilavit regnum cælorum decem virginibus, Matth. XXV. 1: ideo describitur draco, quod haberet decem cornua, & super cornibus decem diademata, Apoc. XII. 3. Similiter bestia e mari ascendens, Apoc. XIII. 1: & quoque alia bestia, Apoc. XVI. 3. 7, tum etiam bestia apud Danielem, Cap. VII. 7. 20. 24. Simile significatur per decem, Levit. XXVI. 26. Sach. VIII. 23, & alibi. Inde sunt Decimæ, per quas significatur aliquid ex omnibus.

Quod omnis generis homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, cum concupiscentia ad illa, sint mala, quæ ut peccata fugienda sunt.

62. Notum est, quod Lex Sinai inscripta fuerit binis Tabulis, & quod Prima Tabula contineat illa quæ Dei sunt, & Altera quæ hominis. Quod Prima Tabula contineat omnia quæ Dei sunt, & Altera omnia quæ hominis, non apparet in litera; sed omnia in illis sunt; quare etiam vocantur Decem Verba, per quæ significantur omnia Vera in complexu, videatur mox supra n. 61:

n. 61: ſed quomodo omnia inibi ſunt, non paucis poteſt exponi; at poteſt comprehendi ex illis, quæ in DOCTRINA de SCRIPTURA SACRA n. 67, allata ſunt, quæ videantur. Inde eſt, quod dicatur omnis generis homicidia, adulteria, furta, & falſa teſtimonia.

63. Invaluit Religio, quod nemo poſſit implere Legem, & Lex eſt non occidere, non adulterari, non furari, & non falſe teſtari: hæc legis poteſt unuſquiſque homo civilis & moralis ex vita civili & morali implere, ſed ex vita ſpirituali, negat illa religio: ex quo ſequitur, quod illa non facere ſit modo ad evitandum pænas & jacturas in mundo, & non ad evitandum pœnas & jacturas poſtquam reliquit mundum; inde eſt, quod homo, apud quem invaluit ſupra dicta religio, cogitet illa licita coram Deo, ſed illicita coram mundo. Propter hanc cogitationem ex ſua illa religione homo in concupiſcentia eſt ad omnia illa mala; & ſolum omittit facere illa propter mundum; quare talis homo poſt mortem, tametſi non commiſerat homicidia, adulteria, furta & falſe teſtatus eſt, uſque concupiſcit facere illa, & quoque facit, cum externum, quod in mundo habuit, ei aufertur; omnis concupiſcentia manet hominem poſt mortem; ex hoc eſt, quod tales cum Inferno unum agant, & non poſſint aliter quam ſortem habere cum illis qui in Inferno ſunt. Sed alia ſors eſt illis, qui non volunt occidere, adulterari, furari, & falſe teſtari, quia illa facere eſt contra Deum; illi poſt aliquam pugnam contra illa, non volunt illa, ita non concupiſcunt facere illa, dicunt corde ſuo, quod ſint peccata, in ſe infernalia & diabolica: hi poſt mortem, cum externum, quod pro mundo habuerunt, illis aufertur, cum Cælo unum agunt, & quia ſunt in Domino, in cœlum etiam veniunt.

64. Commune in omni Religione eſt, quod homo debeat explorare ſe, pænitentiam agere, & deſiſtere a peccatis; & quod ſi non id faciat, in damnatione ſit; quod hoc ſit commune in omni Religione, videatur ſupra n. 4. 5. 6. 7. 8. Commune etiam eſt in toto Chriſtiano Orbe, quod Decalogus doceatur, & quod Infantes in Religionem Chriſtianam initientur per illum, eſt enim in omnium Infantum puerorum manu; ipſi parentes & magiſtri dicunt illis, quod illa facere ſit peccare contra Deum, imo quando cum infantibus loquuntur, nec aliud ſciunt: quis non mirari poteſt, quod iidem, & quoque infantes cum adulti fiunt, cogitent quod non ſub lege illa ſint, & quod facere illa, quæ iſtius Legis ſunt, non poſſint; quod diſcant ita cogitare, num aliud poteſt in cauſa eſſe, quam quod ament mala, & inde falſa quæ favent: hi itaque ſunt, qui præcepta Decalogi non faciunt Religionis: quod iidem vivant abſque Religione, videbitur in DOCTRINA DE FIDE.

65. Apud omnes Gentes in univerſo terrarum Orbe, apud quas eſt Religio, ſunt ſimilia præcepta, quæ in Decalogo; & omnes illi qui vivunt illa ex religione, ſalvantur; at omnes qui non vivunt illa ex religione, damnantur: illi qui vivunt illa ex religione, poſt mortem inſtructi per Angelos recipiunt vera, & agnoſcunt Dominum; cauſa eſt, quia fugiunt mala ut peccata, & inde in bono ſunt, & bonum amat verum, & ex deſiderio amoris recipit illud, ut ſupra n. 32 ad 41, oſtenſum eſt. Hoc intelligitur per Domini verba ad Judæos

dæos,, *Auferetur a vobis Regnum Dei*, *&* *dabitur Genti facienti fructus* ,, Matth. XXI. 43: tum per hæc,, *Cum venerit Dominus vineæ*, *malos perdet*, *& vineam suam locabit aliis agricolis*, *qui reddent Ipsi fructus in tempore suo*, Matth. XXI. 40. 41: & per hæc,, *Dico vobis*, *quod multi ab oriente & occidente venient*; *& a septentrione & meridie*, *& accumbent in Regno Dei*; *filii vero Regni ejicientur in tenebras exteriores*,, Matth. VIII. 11. 12. Luc. XIII. 29.

66. Legitur apud Marcum,, Quod quidam dives venerit ad Jesum, & interrogaverit Ipsum, quid faceret ut vitam æternam hæreditario acciperet: cui dixit Jesus, præcepta nosti, non mæchaberis, non occides, non furaberis, non eris falsus testis, non defraudabis, honora patrem tuum & matrem: ille respondens dixit, hæc omnia custodivi a juventute: Jesus aspexit illum, & amavit illum: dixit tamen; unum tibi deest, abi, quæcunque habes, vende, & da pauperibus, ita habebis thesaurum in Cælis; veni tamen sequere Me, tollens crucem,, X. 17 ad 22. Dicitur quod Jesus amaverit illum, hoc quia dixit quod illa præcepta custodiverit a juventute; sed quia tria ei deerant, quæ sunt, quod cor suum non removerit a divitiis, quod non pugnaverit contra concupiscentias, & quod nondum agnoverit Dominum pro Deo; ideo dixit Dominus, quod venderet omnia quæ haberet, per quod intelligitur quod removeret cor a divitiis; quod tolleret crucem, per quod intelligitur quod pugnaret contra concupiscentias; & quod sequeretur Ipsum, per quod intelligitur quod agnosceret Dominum pro Deo: Dominus hæc ut omnia loquutus est per correspondentias, videatur DOCTRINA DE SCRIPTURA SACRA, n. 17: fugere enim mala ut peccata, nemo potest nisi agnoscat Dominum, & Ipsum adeat, & nisi pugnet contra mala, & sic removeat concupiscentias. Sed de his plura, in Articulo de pugnis contra mala.

Quod quantum quis omnis generis Homicidia ut peccata fugit, tantum amorem erga proximum habeat.

67. Per omnis generis homicidia, intelliguntur etiam omnis generis inimicitiæ, odia & vindictæ, quæ spirant necem; in illis enim latet homicidium, sicut ignis in ligno sub cinere; ignis infernalis nec aliud est; ex eo est, quod dicatur ardescere odio & flagrare vindicta; hæc sunt homicidia in naturali sensu: per homicidia autem in Spirituali sensu, intelliguntur omnes modi occidendi & perdendi animas hominum, qui sunt varii & multiplices: per homicidium autem in supremo sensu intelligitur odio habere Dominum. Hæc tria genera homicidiorum unum faciunt & cohærent; nam qui vult necem corporis hominis in mundo, is vult necem animæ ejus post mortem; & vult necem Domini, flagrat enim ira contra Ipsum & vult nomen Ipsius exstinguere.

68. Hæc homicidiorum genera latent intus apud hominem ex nativitate, sed ille usque ab infantia discit obvelare illa civilitate & moralitate, in quibus debet

bet esse cum hominibus mundi, & quantum honorem aut lucrum amat, custodit ne appareant; hoc fit externum hominis, cum illa sunt internum ejus: talis homo est in se: nunc quia externum deponit cum corpore cum moritur, & retinet internum, patet qualis diabolus foret nisi reformaretur.

69. Quoniam supradicta homocidiorum genera latent intus apud hominem ex nativitate, ut dictum est, & simul omnis generis furta, & omnis generis falsa testimonia, cum concupiscentiis ad illa, de quibus infra dicendum est, patet, quod nisi Dominus proviserit media reformationis, homo non posset non in æternum perire. Media reformationis, quæ Dominus provisit, sunt hæc; quod homo nascatur in meram ignorantiam; quod recens natus teneatur in statu innocentiæ externæ; post paulum in statu charitatis externæ, & dein in statu amicitiæ externæ; sed sicut in cogitationem, ex suo intellectu venit, tenetur in quodam libero agendi secundum rationem, hic status est, qui supra n. 19 descriptus est, & hic reassumendus propter sequentia, viz:

„ Homo, quamdiu est in mundo, in medio est inter Infernum & Cœlum,
„ infra est Infernum & supra est Cœlum, & tunc tenetur in libero converten-
„ di se aut ad Infernum aut ad Cælum; si se convertit ad Infernum, avertit se
„ a Cælo, si autem convertit se ad Cælum, avertit se ab Inferno. Seu quod
„ idem est, homo quamdiu est in mundo, in medio stat inter Dominum &
„ diabolum, ac tenetur in libero convertendi se ad unum aut ad alterum, si se con-
„ vertit ad diabolum, avertit se a Domino, si autem convertit se ad Domi-
„ minum, avertit se a diabolo. Seu quod idem est, homo quamdiu in mundo
„ est, in medio est inter malum & bonum, & tenetur in libero convertendi se
„ aut ad unum aut ad alterum; si se convertit ad malum, avertit se a bono,
„ si autem convertit se ad bonum, avertit se a malo; hæc supra n. 19; vi-
„ deantur etiam n. 20. 21. 22, quæ ibi sequuntur.

70. Nunc quia malum & bonum sunt duo opposita, prorsus sicut infernum & cælum, aut sicut diabolus & Dominus, sequitur quod si homo fugit malum sicut peccatum, veniat in bonum malo oppositum; bonum oppositum malo quod intelligitur per homicidium, est bonum amoris erga proximum.

71. Quoniam hoc bonum & illud malum sunt opposita, sequitur quod hoc removeatur per illud; duo opposita non possunt esse una, sicut non Cælum & infernum una: si una, foret tepidum, de quo ita in Apocalypsi „ *Novi quod neque frigidus sis neque calidus, utinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es, neque frigidus neque calidus, exspuam te ex ore meo,*„ III. 15 16.

72. Quando homo non amplius in malo homicidii est, sed in bono amoris erga proximum, tunc quicquid agit, bonum illius amoris est, consequenter est bonum opus: homo Sacerdos, qui in illo bono est, quoties docet & ducit, bonum opus facit, quia ex amore salvandi animas: persona Magistratus, qui in illo bono est, quoties disponit & judicat, bonum opus facit, quia ex amore consulendi patriæ, societati & concivi: Negotiator similiter, si in illo bono est, omne negotiationis ejus est bonum opus, est in illo amor proximi, & proximus sunt patria, societas, concivis, & quoque domestici, quibus consulit cum sibi: Operarius etiam, qui in illo bono est, ex illo fideliter operatur, pro

aliis

aliis ſicut pro ſe, timens damni proximi ſicut ſui. Quod facta illorum ſint bona opera, eſt quia quantum quis fugit malum tantum facit bonum, ſecundum communem legem ſupra n. 21; & qui fugit malum ut peccatum, is facit bonum non a ſe ſed a Domino, n. 18 ad 31. Contrarium fit apud illum, qui genera homicidii, quæ ſunt inimicitiæ, odia, vindictæ, & plura, non ſpectat ut peccata, ſive ſit ſacerdos, ſive perſona magiſtratus, ſive negotiator, ſive operarius, quicquid facit, non eſt bonum opus, quia omne opus ejus participat a malo quod intus in illo eſt, internum enim ejus eſt quod producit, externum poteſt bonum eſſe, ſed pro aliis, non pro ipſo.

73. Dominus docet bonum amoris in Verbo multis in locis, & docet illud per reconciliationem cum proximo apud Matthæum,, *Si obtuleris munus tuum ſuper altare, & apud hoc recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid contra te; relinque ibi munus coram altari, & abi prius reconciliare fratri, & tunc veniens offer munus tuum; & benevolentiam ini cum adverſario tuo, dum es in via cum illo, ne te tradat adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem conjiciaris: amen dico tibi, non exibis, donec perſolveris ultimum dodrantem* ,, V. 23 ad 26; reconciliari fratri eſt fugere inimicitiam, odium & vindictam; quod ſit fugere illud ut peccatum, patet. Docet etiam Dominus apud Matthæum,, *Omnia quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis: hæc eſt Lex & Prophetæ*,, VII. 12; ita non malum; & pluries alibi. Dominus quoque docet, quod occidere etiam ſit iraſci fratri ſeu proximo temere, & illum inimicum habere, Matth. V. 21. 22.

Quod quantum quis omnis generis Adulteria ut peccata fugit, tantum Caſtitatem amet.

74. Per adulterari in Decalogi ſexto Præcepto in naturali ſenſu non modo intelligitur ſcortari, ſed etiam obſcæna facere, laſciva loqui, & ſpurca cogitare; per adulterari autem in ſpirituali ſenſu intelligitur adulterare bona Verbi & falſificare vera ejus: in ſupremo autem ſenſu per adulterari intelligitur negare Divinum Domini & prophanare Verbum: omnis generis Adulteria hæc ſunt. Homo naturalis ex rationali lumine ſcire poteſt, quod per adulterari etiam intelligatur obſcæna facere, laſciva loqui, & ſpurca cogitare; ſed non ſcit, quod per adulterari etiam intelligatur adulterare bona Verbi & falſificare vera ejus; & adhuc minus quod intelligatur negare Divinum Domini & prophanare Verbum, inde nec ſcit, quod Adulterium ſit tantum malum, ut vocari poſſit ipſum diabolicum, nam qui in Adulterio naturali eſt, ille etiam in Adulterio ſpirituali eſt, & viciſſim: quod ita ſit, in ſingulari Opuſculo DE CONJUGIO demonſtrabitur. Sed illi in omnis generis adulteriis ſimul ſunt, qui adulteria ex fide & vita non faciunt peccata.

75 Quod quantum quis fugit adulterium, tantum amet conjugium, ſeu quod idem, quantum quis fugit laſciviam adulterii, tantum amet caſtitatem conjugii, eſt quia laſcivia adulterii & caſtitas conjugii ſunt duo oppoſita, quare

quantum non in uno est, tantum in altero est: est prorsus sicut dictum est supra n. 70.

76. Non potest quisquam scire, qualis est castitas conjugii, nisi qui fugit lasciviam adulterii ut peccatum; homo scire potest in quo est, sed non potest scire in quo non est; si scit aliquid in quo non est ex descriptione aut ex cogitatione, usque non scit id aliter quam in umbra, ac inhæret dubium, quare non illud videt in luce & absque dubio, quam cum in illo est; hoc itaque est scire, illud autem est scire & non scire. Veritas est, quod lascivia adulterii & castitas conjugii inter se sint prorsus sicut infernum & cælum inter se; & quod lascivia adulterii faciat infernum apud hominem, & castitas conjugii cælum apud illum. Sed non datur castitas conjugii apud alium, quam qui fugit lasciviam adulterii sicut peccatum; videatur infra n. 111.

77. Ex his non ambigue concludi & videri potest, num homo sit Christianus vel non, imo num homini aliqua Religio sit vel non: qui adulteria ex fide & vita non facit peccata, ille non Christianus est, nec illi religio est: vicissim autem, qui adulteria ut peccata fugit, & magis qui propterea aversatur illa, & adhuc magis qui propterea abominatur illa, illi religio est, & si in Ecclesia Christiana est, Christianus est. Sed de his plura in Opusculo de Conjugio: interea videantur quæ in Opere de Cælo et Inferno n. 366 ad 386, de illis dicta sunt.

78 Quod per adulterari etiam intelligatur obscœna facere, lasciva loqui, & spurca cogitare, constat a Domini verbis apud Matthæum ,, *Audivistis quod veteribus dictum sit, non adulteraberis: Ego vero dico vobis, quod si quis aspexerit mulierem alienam, ita ut concupiscat eam, jam adulterium cum illa commiserit in corde suo*,, V. 27. 28.

79. Quod per adulterari in spirituali sensu intelligatur adulterare bonum Verbi & falsificare verum ejus, constat ex his,, *Babylon a vino scortationis suæ potavit omnes gentes*,, Apoc. XIV. 8.,, *Angelus dixit, monstrabo tibi judicium Meretricis magnæ sedentis super aquis multis, cum qua scortati sunt reges terræ*,, Apoc. XVII. 1. 2.,, *Babylon ex vino furoris scortationis suæ potavit omnes gentes, & reges terræ cum ea scortati sunt*,, Apoc. XVIII. 3. *Deus judicavit Meretricem magnam, quæ corrupit terram scortatione sua*,, Apoc. XIX. 2: scortatio dicitur de Babylone, quia per Babylonem intelliguntur illi, qui Divinam Domini potestatem sibi arrogant, & prophanant Verbum adulterando & falsificando illud; quare etiam Babylon vocatur *mater scortationum & abominationum terræ*,, Apoc. XVII. 5. Simile per scortationem significatur apud Prophetas, ut apud Jeremiam ,, *In prophetis Hierosolymæ vidi obfirmationem horrendam, adulterando & eundo in mendacio*,, XXIII. 14. Apud Ezechielem,, *Duæ mulieres filiæ unius matris scortatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua scortatæ sunt: scortata est una sub Me; & dilexit amasios Assyrios propinquos, dedit scortationes suas super illos; attamen scortationes suas in Ægypto non deseruit. Altera corrupit amorem suum plus quam illa, & scortationes suas supra scortationes sororis; addidit ad scortationes suas, amavit Chaldæos; venerunt ad illam filii Babelis ad concubitum amorum, & polluerunt eam per scortationem suam*,, XXIII. 2 ad 17.; hæc de Ecclesia Israelitica & Judaica,

quæ

quæ ibi ſunt filiæ unius matris; per ſcortationes illarum intelliguntur adulterationes & falſificationes Verbi; & quia in Verbo per Ægyptum ſignificatur ſcientia, per Aſſyriam ratiocinatio, per Chaldæam prophanatio veri, & per Babelem prophanatio boni, ideo dicitur quod cum illis ſcortatæ ſint. Simile dicitur de Hieroſolyma, per quam ſignificatur Eccleſia quoad doctrinam, apud Ezechielem,, *Hieroſolyma confiſa es pulchritudini tuæ, & ſcortata es ob famam tuam, adeo ut effuderis ſcortationes tuas ſuper omnem tranſeuntem: ſcortata es cum filiis Ægypti vicinis tuis, magnis carne, & multiplicaſti ſcortationem tuam; ſcortata es cum filiis Aſchuris; cum ſatietas tibi nulla, cum quibus ſcortata es, multiplicaſti ſcortationem tuam uſque ad terram negotiationis Chaldæam: mulier adultera ſub viro ſuo accipit alienos: omnes meretricibus ſuis dant mercedem, tu vero dediſti mercedes omnibus amaſiis, ut veniant ad te in circuitu tuo in ſcortationibus tuis: quare Meretrix audi verbum Jehovæ*,, XVI. 15. 26. 28. 29. 32. 33. 35 ſeq. quod per Hieroſolymam intelligatur Eccleſia, videatur in DOCTRINA DE DOMINO, n. 62. 63. ſimile per ſcortationes ſignificatur apud Eſajam Cap. XXIII. 17. 18. Cap. LVII. 3: apud Jeremiam Cap. II. 2. 6. 8. 9. Cap. V. 1. 7. Cap. XIII. 27. Cap. XXIX. 23: apud Micham, Cap. I. 7: apud Nahum, Cap. III. 3. 4. apud Joſeam Cap. IV. 7. 10. 11: tum Levit. XX. 5. Num. XIV. 33. Cap XV. 39, & alibi. Idcirco etiam Gens Judaica a Domino vocata eſt *Generatio adultera*, Matth. XII. 39. Cap. XVI. 4. Marc. VIII. 38.

Quod quantum quis omnis generis Furta ut peccata fugit, tantum Sinceritatem amet.

80. Per furari in naturali ſenſu non modo intelligitur furari & latrocinari, ſed etiam defraudare, & ſub aliqua ſpecie alteri ſua bona auferre: per furari autem in ſpirituali ſenſu intelligitur deprivare alium ſuæ fidei veris & ſuæ charitatis bonis: in ſupremo vero ſenſu per furari intelligitur auferre Domino quæ Ipſius ſunt, & ſibi illa attribuere, ita vindicare ſibi juſtitiam & meritum: hæc ſunt omnis generis Furta; & quoque unum faciunt, ſicut omnis generis adulteria, & omnis generis homicidia, de quibus prius: quod unum faciant, eſt quia unum eſt in altero.

81. Malum furti intrat altius apud hominem, quam aliud quoddam malum, quia conjunctum eſt cum aſtu & dolo, ac aſtus & dolus ſe inſinuant uſque in ſpiritualem hominis mentem, in qua eſt cogitatio ejus cum intellectu. Quod homini Mens ſpiritualis & Mens naturalis ſit, infra videbitur.

82. Quod quantum quis furtum ut peccatum fugit, tantum ſinceritatem amet, eſt quia furtum etiam eſt fraus, ac fraus & ſinceritas ſunt duo oppoſita, quare quantum quis non in fraude eſt, tantum in ſinceritate eſt.

83. Per ſinceritatem etiam intelligitur Integritas, Juſtitia, Fidelitas & Rectitudo: in his homo non poteſt eſſe a ſe ita ut amet illa ex illis & propter illa: ſed qui fugit fraudes, aſtus & dolos ut peccata, is in illis ita eſt non a ſe ſed a Domino, ut ſupra n. 18 ad 3 oſtenſum eſt: ita Sacerdos, ita Perſona ma-

giſtratus, ita Judex, ita Negotiator, ita Operarius, ita omnis in ſua functione & in ſuo opere.

84. Hæc docet Verbum multis in locis, ex quibus hæc ſint,, *Quis ambulat in juſtitiis, & loquitur rectitudines, qui faſtidit propter lucrum oppreſſiones, excutit manus ſuas ne ſuſtineant munus; obturat aures ſuas ne audiant ſanguines, & occludit oculos ſuos ne videant malum; hic in altis habitabit*,, XXXIII. 15. 16.,, *Jehovah, quis commorabitur in tentorio tuo, quis habitabit in monte ſanctitatis tuæ, qui ambulat integer & facit juſtitiam, is non detrectat lingua ſua, non facit ſocio ſuo malum*,, Pſalm. XV. 1. 2. 3 ſeq.,, *Oculi mei erga fideles terræ, ut ſedeant Mecum, ambulans in via integri, hic miniſtrabit Mihi: non ſedebit in medio domus meæ faciens dolum, loquens mendacia non conſiſtet coram oculis meis: ſub aurora exſcindam omnes impios terræ, ad exſcindendum ex urbe omnes operantes iniquitatem*,, Pſalm. CI. 6. 7. 8.

Quod niſi quis interius ſit ſincerus, juſtus, fidelis & rectus, uſque ſit inſincerus, injuſtus, infidelis & non rectus, docet Dominus his verbis, *Niſi abundaverit juſtitia veſtra ſuper Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum*,, Matth. V. 20; per juſtitiam abundantem ſuper Scribarum & Phariſæorum intelligitur juſtitia interior, in qua eſt homo qui eſt in Domino: quod in Domino, docet etiam Ipſe apud Johannem,,, *Ego gloriam, quam dediſti Mihi, dedi illis, ut ſint unum ſicut nos unum ſumus, Ego in illis & Tu in Me, ut ſint perfecti in unum: utque dilectio, qua delexiſti Me, in illis ſit & Ego in illis*,, XVII. 22. 23. 26; ex quo patet quod perfecti ſint, cum Dominus in illis. Illi ſunt qui vocantur *mundi corde, qui Deum videbunt*; ac *perfecti ſicut Pater in Cælis*,, Matth. V. 8. 48.

85. Supra n. 81, dictum eſt, quod malum furti intret altius apud hominem, quam aliud quoddam malum, quia conjunctum eſt cum aſtu & dolo; ac aſtus & dolus ſe inſinuant uſque in ſpiritualem hominis mentem, in qua eſt cogitatio ejus cum intellectu; quare nunc aliquid de MENTE hominis dicetur: quod Mens hominis ſit intellectus & ſimul voluntas ejus, videatur ſupra n. 43.

86. Homini eſt Mens naturalis & Mens ſpiritualis, Mens naturalis eſt infra & Mens Spiritualis eſt ſupra: Mens naturalis eſt mens mundi ejus, & Mens ſpiritualis eſt mens cæli ejus: Mens naturalis poteſt vocari mens animalis, at Mens ſpiritualis mens humana; diſtinguitur etiam homo ab animali per id, quod ei Mens ſpiritualis ſit, per hanc poteſt in Cælo eſſe dum in mundo: per illam etiam eſt quod homo vivat poſt mortem.

Homo intellectu poteſt eſſe in Mente ſpirituali, & inde in Cælo, ſed non poteſt voluntate eſſe in Mente ſpirituali, & inde in Cælo, niſi fugiat mala ſicut peccata; & ſi non voluntate etiam ibi eſt, uſque non eſt in cælo, nam voluntas trahit intellectum deorſum, & facit ut ille æque naturalis & animalis ſit ſecum.

Homo comparari poteſt horto, Intellectus luci, & Voluntas calori; hortus eſt in luce & non ſimul in calore tempore hyemis, at in luce & ſimul in calore tempore æſtatis: eſt itaque homo qui in ſola luce intellectus, ſicut hortus tempore hyemis; ſed qui in luce intellectus & ſimul in calore voluntatis, eſt ſicut

hortus

hortus tempore æstatis. Etiam Intellectus sapit ex luce spirituali, & Voluntas amat ex calore spirituali; nam Lux spiritualis est Divina Sapientia, & Calor spiritualis est Divinus Amor.

Quamdiu homo non fugit mala ut peccata, concupiscentiæ malorum obstipant interiora mentis naturalis a parte voluntatis, quæ sunt ibi sicut densum velum, & sicut atra nubes sub Mente spirituali, & inhibent ne aperiatur: at vero ut primum homo fugit mala ut peccata, tunc Dominus e Cælo influit, & aufert velum, & discutit nubem, & aperit Mentem spiritualem, & sic intromittit hominem in Cælum.

Quamdiu concupiscentiæ malorum obstipant interiora mentis naturalis, ut dictum est, tamdiu homo est in inferno; ut primum autem concupiscentiæ illæ a Domino discussæ sunt, homo est in cælo. Tum, quamdiu concupiscentiæ malorum obstipant interiora mentis naturalis, tamdiu est homo naturalis; ut primum autem concupiscentiæ illæ a Domino discussæ sunt, est homo spiritualis. Tum, quamdiu concupiscentiæ malorum obstipant interiora mentis naturalis, tamdiu homo est animal, differt modo, quod possit cogitare & loqui, etiam de talibus quæ non videt oculis, quod trahit a facultate elevationis intellectus in lucem cæli; ut primum autem concupiscentiæ illæ a Domino discussæ sunt, homo est homo, quia tunc cogitat verum in intellectu ex bono in voluntate. Tum etiam, quamdiu concupiscentiæ malorum obstipant interiora mentis naturalis, tamdiu est homo sicut hortus tempore hyemis; ut primum autem concupiscentiæ illæ a Domino discussæ sunt, est ille sicut hortus tempore æstatis.

Conjunctio voluntatis & intellectus apud hominem, intelligitur in Verbo per Cor & Animam, & per Cor & Spiritum, ut quod amaturi sint Deum ex toto Corde & ex tota Anima, Matth. XXII. 35: & quod Deus daturus sit novum Cor & novum Spiritum, Ezech. XI. 19. Cap. XXXVI. 26. 27.; per Cor intelligitur Voluntas & ejus amor, ac per Animam & per Spiritum, Intellectus & ejus sapientia.

Quod quantum quis omnis generis falsa Testimonia ut peccata fugit, tantum Veritatem amet.

87. Per false testari in naturali sensu non modo intelligitur falsum testem agere, sed etiam mentiri & diffamare: per false testari in spirituali sensu intelligitur dicere & persuadere quod falsum sit verum, & malum sit bonum, ac vicissim: in supremo autem sensu per false testari, intelligitur blasphemare Dominum & Verbum: hæc sunt false testari in triplici sensu. Quod illa unum faciant apud hominem false testantem, mendacium loquentem, & diffamantem, constare potest ex illis, quæ in Doctrina de Scriptura Sacra, de triplici sensu omnium Verbi, n. 5. 6. 7 seqq. & n 57, ostensa sunt.

88. Quoniam Mendacium & Veritas sunt duo opposita, sequitur, quod quantum quis fugit mendacium ut peccatum, tantum amet veritatem.

89. Quantum quis amat Veritatem, tantum vult cognoscere illam, & tantum corde afficitur cum invenit illam; nec alius venit in sapientiam; & quantum amat facere illam, tantum sentit amœnitatem lucis in qua est veritas. Simile est cum reliquis hactenus dictis; ut cum Sinceritate & Justitia apud illum qui fugit omnis generis furta; cum Castitate & Puritate apud illum, qui fugit omnis generis adulteria; & cum Amore & Charitate apud illum, qui fugit omnis generis homicidia, & sic porro. Ille autem qui in oppositis est, non scit aliquid de illis, cum tamen omne aliquid est in illis.

90. Veritas est, quæ intelligitur per semen in agro, de quo ita Dominus,, *Exivit seminans ad seminandum; & cum seminabat, aliud cecidit super viam, quod concultatum est, & volatilia cœli comederunt; aliud autem cecidit super petrosa, sed cum cresceret, exarefactum est, quia non habebat radicem: aliud cecidit in medium spinarum, & simul enatæ spinæ suffocarunt illud: & aliud cecidit in terram bonam, & cum enatum fecit fructum multiplucum*,, Luc. VIII. 5 ad 8. Matth. XIII. 3 ad 8. Marc IV. 3 ad 8. Seminans ibi est Dominus, & semen est Verbum Ipsius, ita Veritas; semen super via est apud illos qui veritatem curant; semen super petrosis est apud illos qui veritatem curant sed non propter illam, ita non interius; semen in medio spinarum est apud illos qui in concupiscentiis mali sunt; semen autem in terra bona est apud illos, qui veritates quæ in Verbo sunt ex Domino amant, & ab Ipso illas faciunt, ita fructus: quod hæc intelligantur, constat ab explicatione illorum a Domino, Matth. XIII. 19 ad 23. 37. Marc. IV. 14 ad 20. Luc. VIII. 11 ad 15. Ex his patet, quod veritas Verbi non radicari possit apud illos, qui veritatem non curant; nec apud illos qui veritatem exterius & non interius amant; nec apud illos qui in concupiscentiis mali sunt; sed apud illos, apud quos cuncupiscentiæ mali a Domino discussæ sunt: apud hos radicatur semen, hoc est, Veritas in Mente eorum spirituali, de qua supra n. 86 ad fin.

91. Communis opinio hodie est, quod salvari sit credere hoc aut illud, quod Ecclesia docet, & quod salvari non sit facere præcepta decalogi, quæ sunt non occidere, non adulterari, non furari, non false testari, in stricto & in lato sensu, dicitur enim, quod non spectentur opera, sed fides a Deo; cum tamen quantum quis in illis malis est, tantum non fidem habet, videatur supra n. 42 ad 52: consule rationem, & perspice, num quis homicida, adulter, fur & falsus testis, quamdiu in concupisentia illorum est, possit fidem habere; tum etiam, num concupiscentia illorum possit aliter discuti, quam per non velle facere illa quia peccata sunt, hoc est, quia infernalia & diabolica; quare qui opinatur, quod salvari sit credere hoc aut illud quod Ecclesia docet, & usque talis est, ille non potest non esse stultus, secundum Domini verba apud Matthæum Cap. VII. 26. Talis Ecclesia describitur ita apud Jeremiam,,. *Sta in*
,, *porta Domus Jehovæ, & proclama ibi Verbum hoc; sic dixit Jehovah Zebaoth Deus*
,, *Israelis, bonas reddite vias vestras, & opera vestra: ne confidite vobis super ver-*
,, *bis mendacii, dicendo, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ,*
,, *illi: num furando, occidendo, & adulterando & jurando per mendacium, deinde*
,, *venietis & stabitis coram Me in Domo hac, super qua nominatur Nomen meum,*
,, *&*

„ *& dicetis erepti sumus, dum facitis abominationes illas: num spelunca latronum* „ *facta est Domus hæc: etiam Ego, ecce, vidi, dictum Jehovæ*, VII. 2. 3. 4. 9. 10. 11.

Quod non aliquis possit fugere mala ut peccata, usque ut interius aversetur illa, nisi per pugnas contra illa.

92. Quisque ex Verbo & ex Doctrina e Verbo novit, quod Proprium hominis a nativitate sit malum, & quod inde sit, quod ex innata concupiscentia amet mala & feratur in illa, ut quod velit vindicare, velit defraudare, velit diffamare, & velit adulterari; & si non cogitat quod peccata sint, & propterea resistit illis, ea faciat quoties occasio se præbet, & non fama propter honorem aut lucrum patitur. Accedit, quod homo faciat illa ex jucundo, si non religio ei sit.

93. Quoniam hoc Proprium hominis primam radicem vitæ ejus facit, patet qualis homo arbor foret, si non illa radix exstirparetur, & nova radix implantaretur; foret arbor putris, de qua dicitur, quod exscindenda & in ignem conjicienda sit, Matth. III. 10. Cap. VII. 19. Hæc radix non removetur, & nova loco ejus inditur, nisi homo spectat mala, quæ faciunt radicem, ut damna animæ suæ, & propterea vult abalienare illa; sed quia sunt Proprii ejus, & inde jucunda, non potest id nisi invito, & cum lucta, ita cum pugna.

94. Omnis qui credit quod infernum & cælum sint, & quod cælum sit felicitas æterna, ac quod infernum sit infelicitas æterna, & qui credit quod in infernum veniant qui mala faciunt, & in cælum qui bona faciunt, is pugnat; & qui pugnat, ille ex interiori agit, & contra ipsam concupiscentiam, quæ facit radicem mali, nam qui pugnat contra aliquid, is non vult illud, & concupiscere est velle. Inde patet, quod radix mali non amoveatur quam per pugnam.

95. Quantum itaque quis pugnat, & sic amovet malum, tantum loco ejus succedit bonum, & ex bono tantum videt malum in facie, & tunc quod infernale sit & horrendum; & quia tale, non modo fugit illud, sed etiam aversatur illud, & tandem abominatur illud.

96. Homo qui contra mala pugnat, non potest non pugnare sicut a se, nam qui non sicut a se, ille non pugnat, stat sicut avtomaton nihil videns & nihil agens, & continue cogitat ex malo pro illo, & non contra illud. Sed usque probe sciendum est, quod solus Dominus pugnet in homine contra mala, & quod modo appareat homini sicut ille pugnet ex se, & quod Dominus velit ut ita homini apppareat, quoniam absque illa apparentia non existit pugna, ita nec reformatio.

97. Pugna illa non gravis est nisi illis, qui omnia fræna concupiscentiis laxaverunt, & ex proposito illis indulserunt; & quoque illis, qui sancta Verbi & Ecclesiæ

Ecclesiæ in obfirmatione repudiaverunt: at reliquis non gravis est, resistant malis in intentione modo semel in septimana, aut bis in mense, & percipient mutationem.

98. Vocatur Ecclesia Christiana Ecclesia pugnans, & non potest pugnans dici nisi contra diabolum, ita contra mala quæ ab inferno; infernum est diabolus. Tentatio, quam homo Ecclesiæ subit, est pugna illa.

99. De Pugnis contra mala, quæ sunt tentationes, multis in locis in Verbo agitur; intelliguntur per hæc Domini verba,, *Dico vobis, nisi granum tritici cadens in terram moriatur, ipsum solum manet, si vero moriatur, multum fructum fert*,, Joh. XII. 25. Tum per hæc,, *Quisquis voluerit post Me venire, abrogato seipsum, ac tollat crucem suam, & sequatur Me. Quisquis voluerit animam servare, perdet eam, qui vero perdiderit animam suam propter Me, & propter Evangelium, hic servabit illam*,, Marc. VIII. 34. 35; per crucem intelligitur tentatio, ut quoque Matth. X. 38. Cap. XVI. 24. Marc. X. 21. Luc. XIV. 27: per animam intelligitur vita Proprii hominis, ut quoque Matth. X. 39. Cap. XVI. 25. Luc. IX. 24, & imprimis Joh. XII. 25; quæ etiam est vita carnis, quæ non prodest quicquam, Joh. VI. 63. De Pugnis contra mala, & de victoriis super illa, loquitur Dominus ad omnes Ecclesias in Apocalypsi; ad ECCLESIAM IN EPHESO,, *Qui vincit, dabo ut comedat de arbore vitæ, quæ est in medio paradisi Dei*,, Apoc. II. 7. Ad ECCLESIAM IN SMYRNA,, *Qui vicerit, non damnum patietur in morte altera*,, Apoc. II. 11. Ad ECCLESIAM IN PERGAMO,, *Qui vincit, illi dabo ut comedat de Manna abscondita; & dabo illi calculum album, & super calculo nomen novum scriptum, quod nemo novit nisi qui accipit*,, Apoc. II. 17. Ad ECCLESIAM IN THYATIRIS,, *Qui vicerit & servaverit ad finem opera mea, illi dabo potestatem super gentes; & stellam matutinam*,, Apoc. II. 26. 28. Ad ECCLESIAM IN SARDIBUS,, *Qui vicerit, eum faciam columnam in Templo Dei mei, & scribam super eum Nomen Dei, & nomen urbis Dei Novæ Hierosolymæ, quæ descendit e Cælo a Deo, & nomen meum novum*,, Apoc. III. 12. Ad ECCLESIAM IN LAUDICEA,, *Qui vicerit, illi dabo ut sedeat Mecum in Throno meo.*, Apoc. III. 21.

100. De Pugnis illis, quæ sunt Tentationes, in specie actum videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ Londini Anno 1758, edita, a n. 187 ad 201: Unde & quales sunt, n. 196. 197. Quomodo & quando fiunt, n. 198. Quid boni efficiunt, n. 199. Quod Dominus pugnet pro homine, n. 200. De Pugnis seu Tentationibus Domini, n. 201.

Quod

Quod homo debeat fugere mala ut peccata, & pugnare contra illa, ficut a fe.

101. Ex Divino Ordine eft, ut homo ex Libero fecundum Rationem agat, quoniam ex libero fecundum rationem agere, eft ex fe agere. Verum binæ illæ Facultates, LIBERUM & RATIO, non funt propriæ hominis, fed funt Domini apud illum; & quatenus eft homo, non ei auferuntur, quoniam abfque illis non poteft reformari; non enim poteft pænitentiam agere, non poteft pugnare contra mala, & dein facere fructus dignos pænitentia. Nunc quia Liberum & Ratio funt homini a Domino, & homo ex illis agit, fequitur quod non agat ex fe, fed ficut ex fe. (*a*)

102. Dominus amat hominem, & vult habitare apud illum, nec poteft amare illum & habitare apud illum, nifi recipiatur & reciproce ametur; inde & non aliunde eft conjunctio: Dominus propter illam caufam dedit homini Liberum & Rationem, Liberum cogitandi & volendi ficut a fe, & Rationem fecundum quam; amare aliquem & conjungi illi, cui non eft reciprocum, non datur, nec intrare ad aliquem & manere apud quem non eft receptio: quoniam receptio & reciprocum in homine funt a Domino, ideo dicit Dominus,, *Manete in Me & Ego in vobis*,, Joh. XV. 4.,, *Qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum*,, Joh. XV. 5.,, *In die illo cognofcetis, quod vos in Me, & Ego in vobis*,, Joh. XIV. 20. Quod Dominus fit in veris & in bonis, quæ homo recipit, & funt apud illum, etiam docet,, *Si manferitis in Me, & verba mea in vobis manferint. Si mandata mea fervaveritis, manebitis in amore meo*,, Joh. XV. 7. 10.,, *Qui habet præcepta mea & facit illa, ille amat Me, & Ego amabo illum, & apud illum habitabo*,, Joh. XIV. 21. 23; ita Dominus habitat in fuo apud hominem, & homo in illis quæ a Domino funt, ita in Domino.

103. Quoniam illud reciprocum & viciffim, & inde mutuum, eft apud hominem a Domino, ideo dicit Dominus quod homo pænitentiam aget; & nemo pænitentiam poteft agere nifi ficut a fe;,, *Jefus dixit, nifi pænitentiam egeritis, omnes peribitis*,, Luc. XIII. 3. 5.,, *Jefus dixit, appropinquavit Regnum Dei, pænitentiam agite, credite Evangelio*,, Marc. I. 14. 15.,, *Jefus dixit, veni ad vocandum peccatores ad pænitentiam*,, Luc. V. 32.,, *Jefus dixit Ecclefiis, pænitentiam agite*,, Apoc. II. 5. 16. 21. 22. Cap. III. 5. tum,, *Non pænitentiam egerunt ex operibus fuis*,, Apoc. XVI. 11.

104. Quo-



(*a*) Quod homini fit Liberum a Domino, videatur fupra n. 19. 20; & in Opere de CÆLO ET INFERNO, n. 589 ad 596, & n. 597 ad 603. Quid Liberum, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ Londini 1758 edita, n. 141 ad 149.

104. Quoniam reciprocum & viciſſim, & inde mutuum, eſt apud hominem a Domino, ideo dicit Dominus quod homo faciet præcepta, & faciet fructus. „ *Quid Me vocatis Domine, Domine, & non facitis quæ dico* „ Luc. VI. 46 ad 49. „ *Si hæc ſcitis, beati eſtis ſi feceritis illa* „ Joh. XIII. 37. „ *Amici mei eſtis, ſi feceritis quæ mando vobis* „ Joh. XV. 14. „ *Qui facit & docet, hic magnus vocabitur in Regno cælorum* „ Matth. V. 19. „ *Omnis qui audit verba mea & facit illa, comparabo viro prudenti* „ Matth. VII. 24. „ *Facite fructus dignos pænitentia* „ Matth. III. 8. „ *Facite arborem bonam & fructum ejus bonum* „ Matth. XII. 33. „ *Regnum dabitur Genti facienti fructus ejus* „ Matth. XXI. 43. „ *Omnis arbor, quæ non facit fructus, exſcinditnr, & in ignem conjicitur* „ Matth. VII. 19.; & multoties alibi. Ex quibus patet, quod homo faciet a ſe, ſed ex potentia Domini, quam imploret; & hoc eſt facere ſicut ex ſe.

105. Quoniam illud reciprocum & viciſſim, & inde mutuum, eſt apud hominem a Domino, ideo homo reddet rationem operum ſuorum, & illi retribuetur ſecundum illa; nam dicit Dominus, *Venturus eſt Filius hominis, & reddet unicuique ſecundum facta ejus* „ Matth. XVI. 27. „ *Exibunt qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, & qui mala fecerunt in reſurrectionem judicii* „ Joh. V. 29. „ *Opera illorum ſequuntur cum illis* „ Apoc. XIV. 13. „ *Judicati ſunt omnes ſecundum opera illorum* „ Apoc. XX. 13. „ *Ecce venio, & merces mea Mecum, ut dem unicuique ſecundum ejus opus* „ Apoc. XXII. 12. Si reciprocum non foret apud hominem, nulla imputatio eſſet.

106. Quoniam receptio & reciprocum ſunt apud hominem, ideo Eccleſia docet, quod homo explorabit ſe, confitebitur ſua peccata coram Deo, deſiſtet ab illis, & novam vitam aget: quod omnis Eccleſia in Chriſtiano orbe id doceat, videatur ſupra n. 3 ad 8.

107. Si non receptio ab homine foret, & tunc cogitatio ſicut ab illo, nec aliquid dici potuiſſet de Fide, nam Fides nec eſt ab homine: alioquin foret homo ſicut palea in vento, & ſtaret ſicut inanimatus, ore aperto & manibus remiſſis exſpectans influxum, nihil cogitans & nihil agens in illis quæ ſalutis ejus ſunt: eſt quidem nihil agens in illis, ſed uſque eſt reagens ſicut a ſe.

Sed hæc in adhuc clariorem lucem mittentur in Transactionibus de SAPIENTIA ANGELICA.

Quod ſi quis fugit mala ex quacunque alia cauſa, quam quia peccata ſunt, non fugiat illa, ſed modo faciat ut non appareant coram mundo.

108. Dantur Morales homines, qui præcepta Secundæ Tabulæ Decalogi ſervant, non defraudant, non blaſphemant, non vindicant, non adulterantur; & qui eorum apud ſe confirmant, quod talia ſint mala, quia damna Republicæ, & ſic contra humanitatis leges, illi etiam charitatem, ſince-

ceritatem, justitiam, castitatem exercent. Sed si bona hæc faciunt, & mala illa fugiunt, solum quia mala sunt, & non simul quia peccata, illi usque mere naturales sunt, & apud mere naturales radix mali manet insita, & non est emota; quare bona quæ faciunt, non sunt bona, quia ab ipsis.

109. Moralis naturalis homo potest apparere coram hominibus in Mundo prorsus sicut Moralis spiritualis homo, sed non coram angelis in Cælo; coram angelis in Cælo apparet ille, si in bonis est, sicut simulachrum ex ligno, & si in veris est, sicut simulachrum ex marmore, in quibus non est vita; aliter Moralis spiritualis homo: nam Moralis naturalis homo est Moralis externus, & Moralis spiritualis homo est Moralis internus, & externum absque interno non vivit, vivit quidem sed non vitam quæ vocatur vita.

110. Concupiscentiæ mali, quæ faciunt interiora hominis a nativitate, non removentur nisi a Solo Domino, nam Dominus influit a spirituali in naturale, homo autem ex se a naturali in spirituale, & hic influxus est contra ordinem, & non operatur in concupiscentias & removet illas, sed includit illas, arctius & arctius sicut se confirmat: & quia hæreditarium malum sic latet inclusum, illud post mortem, dum homo fit spiritus, rumpit tegmen, quo in mundo obvelatum fuit, ac erumpit sicut sanies per ulcus modo exterius sanatum.

111. Sunt variæ & multiplices causæ, quæ faciunt, ut homo sit Moralis in externa forma, sed si non Moralis sit etiam in interna, usque tamen Moralis non est: ut pro exemplo; si quis abstinet ab Adulteriis & Scortationibus, ex timore legis civilis & ejus pœnarum; ex timore jacturæ famæ & inde honoris; ex timore morborum ex illis; ex timore jurgiorum domi ab uxore, & inde intranquillitatis vitæ; ex timore vindictæ a marito, aut ab affini; ex egestate, aut ex avaritia; ex imbecillitate oriunda vel ex morbo, vel ex abusu, vel ex ætate, vel ex impotentia: imo si abstineat ab illis ex lege aliqua naturali aut morali, & non simul ex lege spirituali, is usque tamen interius adulter & scortator est, nihilominus enim credit quod non peccata sint, & inde illa coram Deo non illicita facit in suo spiritu, & sic in spiritu committit illa, tametsi non coram mundo in corpore: quare post mortem, cum fit spiritus, aperte loquitur pro illis. Ex his patet, quod fugere mala ut damna possit impius, at quod fugere mala ut peccata non possit nisi Christianus.

112. Simile est cum omnis generis furtis & defraudationibus; cum omnis generis homicidiis & vindictis; & cum omnis generis falsis testimoniis & mendaciis; nemo ab illis mundari & purificari potest a se; unicuique enim Concupiscentiæ insunt infinita, quæ homo non videt nisi sicut unum simplex, Dominus autem videt singularissima in omni serie. Verbo, homo non potest semet regenerare, hoc est, novum cor & novum spiritum in se formare, sed Solus Dominus, Qui est Ipse Reformator & Regenerator: quare si homo ex sua prudentia ac intelligentia vult se novum facere, est modo sicut faciei deformi inducere fucum, ac parti interiori tabe infectæ illinere smegma.

113. Idcirco dicit Dominus apud Matthæum „ *Pharisæe cæce, purga prius interius poculi & patinæ, ut fiat etiam exterius mundum* „ XXIII. 26. Et apud

Esajam „ *Lavate vos, purificate vos, & removete malitiam operum vestrorum a* CORAM OCULIS MEIS, *cessate malum facere: & tunc si fuerint peccata vestra sicut coccinea, sicut nix albescent, si rubra fuerint sicut purpura, sicut lana erunt* „ I. 16. 18.

* * * * *

114. Supradictis adjicientur hæc. I. Quod Charitas Christiana sit cuique, ut suam functionem fideliter agat; sic enim, si fugit mala ut peccata, quotidie facit bona, & ipse est suus usus in communi corpore; sic etiam consulitur communi, & unicuique in particulari. II. Quod Reliqua non sint propria Charitatis opera, sed vel ejus Signa, vel Beneficia, vel Debita.



DOCTRINA
NOVÆ HIEROSOLYMÆ
DE
FIDE.



AMSTELODAMI:

MDCCLXIII.



DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE FIDE.



Quod Fides ſit Agnitio interna veri.

1. er Fidem hodie non aliud intelligitur, quam Cogitatio quod ita ſit quia Eccleſia docet, & quia non patet coram intellectu; dicitur enim, crede & non dubita; ſi reſpondetur, hoc non comprehendo, dicitur quod ideo credendum ſit; quare hodierna fides eſt fides ignoti, & vocari poteſt fides cæca: & quia eſt dictamen alterius in altero, eſt fides hiſtorica. Quod hæc non fides ſpiritualis ſit, videbitur in ſequentibus.

2. Ipſa fides non aliud eſt, quam agnitio quod ita ſit, quia eſt verum; ita enim cogitat & loquitur qui in ipſa fide eſt, hoc verum eſt ideo credo, fides enim eſt veri, & verum eſt fidei: is etiam, ſi non comprehendit quod verum ſit, dicit, non ſcio num verum ſit, ideo nondum credo; quomodo credam quod non comprehendo, forte poteſt falſum eſſe.

3. Sed communis ſermo eſt, quod non aliquis poſſit comprehendere ſpiritualia ſeu theologica, quia ſunt ſupernaturalia: ſed vera ſpiritualia æque comprehendi poſſunt, quemadmodum vera naturalia; & ſi non clare, uſque dum audiuntur, cadunt in perceptionem num vera ſint vel non, hoc maxime apud illos qui afficiuntur veris. Hoc datum eſt mihi ſcire ex multa experientia: datum eſt loqui cum ignaris, cum obſcuris, cum ſtupidis, & quoque cum

illis qui in falsis fuerunt, & qui in malis, qui intra Ecclesiam nati sunt, & audiverunt aliquid de Domino, de fide & charitate, & loqui datum est cum illis arcana sapientiæ, & illi comprehenderunt omnia, & agnoverunt: sed erant tunc in luce intellectus quæ est cuivis homini, & simul in gloria quod essent intelligentes. Sed hæc in commercio cum spiritibus. Ex his convicti sunt plures mecum, quod spiritualia æque ac naturalia possint comprehendi, sed tunc quando audiuntur aut leguntur, sed ægre ab ipso homine cum ex se cogitat. Causa, quod spiritualia comprehendantur, est quia homo quoad intellectum potest elevari in lucem Cæli, in qua luce non alia apparent quam spiritualia, quæ sunt vera fidei: Lux enim Cæli est lux spiritualis.

4. Inde nunc est, quod agnitio interna veri sit illis, qui in spirituali affectione veri sunt. Quia Angeli in illa affectione sunt, prorsus respuunt illud dogma, quod intellectus erit sub obedientia fidei; dicunt enim, quid est credere & non videre num verum sit; & si aliquis dicit, quod usque credendum sit, respondent, num putas te Deum esse cui credam, aut me insanum quod credam dicto in quo non video verum, fac itaque ut videam: ita dogmaticus ille recedit. Sapientia Angelica in eo unice consistit, ut videant & comprehendant quæ cogitant.

5. Est idea spiritualis, de qua pauci aliquid norunt, quæ influit apud illos qui in affectione veri sunt, & interius dictat, quod hoc, quod auditur aut legitur, verum sit vel non: in hac idea sunt illi, qui in illustratione a Domino legunt Verbum: in illustratione esse non aliud est, quam in perceptione esse, & inde in agnitione interna, quod hoc & illud verum sit; hi sunt qui vocantur docti a Jehovah, Esaj. LIV. 13. Joh. VI. 45: & de quibus dicitur apud Jeremiam „ *Ecce dies venientes, quibus pangam novum fædus; fædus hoc erit; dabo legem meam in medio eorum, & super cor eorum scribam illam: & non docebunt vir amplius socium suum, aut vir fratrem suum, dicendo cognoscite Jehovam, omnes enim cognoscent Me*,, XXXI. 31. 33. 34.

6. Ex his patet, quod fides & veritas unum sint: quare etiam Antiqui, qui ex affectione in cogitatione de veris præ nostratibus fuerunt, loco fidei dixerunt veritatem: inde quoque est, quod in Hebræa lingua veritas & fides una vox sint, quæ vocatur Amuna seu Amen.

7. Quod Fides dicatur a Domino apud Evangelistas & in Apocalypsi, erat quia Judæi non crediderunt verum esse, quod Dominus esset Messias a Prophetis prædictus, & ubi veritas non creditur, ibi fides dicitur. At usque aliud est fidem habere & credere in Dominum, & aliud fidem habere & credere alicui: de differentia dicetur infra.

8. Fides separata a veritate intravit & invasit Ecclesiam cum Dominio papali, quoniam præcipuum tutamen Religionis istius fuit ignorantia veri; quare lectio Verbi etiam vetabatur: alioquin non potuissent coli ut Numina, ac Sancti eorum invocari, ac in tantum introduci idololatriæ, ut cadavera, ossa & sepulchra illorum sancta crederentur, & inde lucrarentur. Ex quo patet, quam enormes falsitates fides cæca potest producere.

9. Fides cæca etiam permansit postea apud plures Reformatos, ex causa quia

quia separaverunt fidem a charitate, & qui separant illas non possunt non in ignorantia veri esse, & cogitationem quod ita sit separatam ab agnitione interna quod ita sit, nominare fidem: apud hos ignorantia est tutamen dogmatum; nam quamdiu ignorantia regnat, & persuasio quod Theologica transcendant, possunt loqui & non contradici, & credi quod vera sint, & quod ii intelligant illa.

10. Dixit Dominus ad Thomam,, *Quia vidisti Me, Thoma, credidisti; beati qui non vident, & credunt*,, Joh. XX. 29; per quod non intelligitur fides ab interna agnitione veri separata, sed quod beati sint qui non oculis vident Dominum, sicut Thomas, & usque credunt quod Ipse sit; hoc enim in luce veritatis est ex Verbo.

11. Quia agnitio interna veri est fides, & quia fides & veritas unum sunt, ut supra n. 2. 4. 5. 6, dictum est, sequitur quod agnitio externa absque interna non sit fides, nec quod persuasio falsi sit fides. Agnitio externa absque interna est fides ignoti, & fides ignoti est solum scientia, quæ memoriæ est, quæ si confirmatur fit persuasio; & qui in illis sunt, cogitant quod verum sit, quia alius ita dixit, vel cogitant quod verum sit ex confirmato, & tamen falsum æque confirmari potest quam verum, & quandoque fortius. Per cogitare quod verum sit ex confirmato, intelligitur cogitare illud verum esse quod ab alio dicitur, & illud non prius explorare, sed modo confirmare.

12. Si quis cogitat secum, aut dicit alteri, quis potest habere agnitionem internam veri quæ fides, ego non possum: sed illi dicam, quomodo possit: fuge mala ut peccata, & adi Dominum, & habebis quantum desideras. Quod ille qui fugit mala ut peccata in Domino sit, videatur in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA, n. 18 ad 31; quod ille amet verum, & videat illud, n. 32 ad 41 ibi: & quod ille fidem habeat, n. 42 ad 52 ibi.

Quod agnitio interna veri, quæ fides, non detur apud alios quam qui in charitate sunt.

13. Supra dictum est quid Fides, hic dicetur quid Charitas. Charitas in sua prima origine est affectio boni, & quia bonum amat verum, producit illa affectionem veri, per hanc agnitionem veri, quæ est fides; per has in sua serie Affectio veri existit & fit Charitas. Hæc est progressio Charitatis a sua origine, quæ est affectio boni, per fidem quæ est agnitio veri, ad finem suum qui est Charitas, finis est actus. Ex his patet, quomodo amor, qui est affectio boni, producit fidem, quæ est idem cum agnitione veri, & per hanc producit charitatem, quæ est idem cum actu amoris per fidem.

14. Sed clarius: Bonum non aliud est quam Usus; quare Charitas in sua prima origine est affectio usus, & quia usus amat media, producit illa affectionem mediorum, ex qua cognitio illorum; & per has in sua serie affectio usus existit & fit Charitas.

15. Progressio illorum est, quemadmodum est progressio omnium Volunta-

tis per Intellectum in actus in corpore: Voluntas nihil producit ex se absque Intellectu, nec Intellectus aliquid ex se absque Voluntate; agent in conjunctione ut aliquid existat. Seu quod idem; Affectio quæ est voluntatis, nihil producit ex se nisi per Cogitationem quæ est intellectus, nec vicissim; agent in conjunctione ut aliquid existat. Expende, si a cogitatione removeas affectionem, quæ est alicujus amoris, num potes cogitare, aut si ab affectione removeas cogitationem, num potes affici aliqua re: aut, quod simile, si a cogitatione removeas affectionem, num poteris loqui; vel si ab affectione removeas cogitationem seu intellectum, num poteris agere aliquid. Simile est cum Charitate & Fide.

16. Illustrari hæc possunt per comparationem cum arbore: Arbor in sua prima origine est semen, in quo est conatus producendi fructum, hic conatus excitatus a calore primum producit radicem, & ex illa virgam seu caulem cum ramis & foliis, & demum fructus, & sic conatus fructificandi existit: ex quibus patet, quod conatus producendi fructus sit perpetuus in omni progressione, usque dum existit, nam si ille desineret, facultas vegetandi illico moreretur. Applicatio hæc est: Arbor est Homo; Conatus producendi media est apud hominem a Voluntate in Intellectu, Virga seu Caulis cum ramis & foliis, sunt apud hominem media per quæ, & vocantur vera fidei, Fructus qui sunt ultimi effectus conatus fructificandi in arbore, sunt apud hominem Usus, in his Voluntas existit. Ex his potest videri, quod Voluntas producendi usus medio intellectu sit perpetua in omni progressione, usque dum existit. De Voluntate & de Intellectu, & de Conjunctione illorum, videatur in DOCTRINA VITÆ pro NOVA HIEROSOLYMA, n. 43.

17. Ex nunc dictis patet, quod Charitas, quatenus est affectio boni seu usus, producat Fidem, ut Medium, per quam existat: consequenter, quod Charitas & Fides, in operando usus conjunctim agant. Tum quod Fides non producat bonum seu usum ex se, sed ex charitate, Fides enim est Charitas media: fallacia itaque est, quod fides producat bonum sicut arbor fructum, arbor non est fides, sed arbor est homo.

18. Sciendum est, quod Charitas & Fides faciant unum, sicut Voluntas & Intellectus, quoniam charitas est voluntatis & fides est intellectus. Similiter, quod Charitas & Fides faciant unum, sicut affectio & cogitatio, quoniam affectio est voluntatis, & cogitatio est intellectus. Similiter, quod Charitas & Fides faciant unum, sicut Bonum & Verum, quia bonum est affectionis quæ voluntatis, & verum est cogitationis quæ intellectus.

Verbo, Charitas & Fides faciunt unum, sicut Essentia & Forma, quoniam essentia fidei est charitas, & forma charitatis est fides: ex quibus patet, quod fides absque Charitate sit sicut forma absque essentia, quæ non est aliquid; & quod charitas absque fide, sit sicut essentia absque forma, quæ nec est aliquid.

19. Charitas & Fides apud hominem prorsus se habent, sicut Motus cordis qui vocatur systole & diastole, & Motus pulmonis qui vocatur respiratio: est quoque illorum plenaria correspondentia cum voluntate & intellectu hominis, ita cum Charitate & Fide: quare etiam voluntas & ejus affectio intelligitur per

Cor

Cor in Verbo, ac intellectus & ejus cogitatio per Animam in Verbo, & quoque per Spiritum; ideo emittere animam est non amplius animare, ex emittere spiritum est non amplius respirare. Ex quibus sequitur, quod non dari queat fides absque charitate, nec charitas absque fide, & quod fides absque charitate, sit sicut Respiratio pulmonaris absque corde, quæ non dari potest in aliquo vivo, sed solum in avtomato, & quod charitas absque fide sit sicut cor absque pulmone, ex quo non aliquod vivum sentitur: consequenter, quod Charitas per Fidem operetur usus, sicut Cor per Pulmonem actus. Tanta similitudo intercedit inter Cor & Charitatem, ac inter Pulmonem & Fidem, ut in Mundo spirituali quisque noscatur ex sola Respiratione, qualis ei fides est, & ex Pulsu cordis qualis ei charitas est: angeli enim & spiritus æque ac homines vivunt corde & respiratione; inde est quod illi similiter ac homines in mundo sentiant, cogitent, agant & loquantur.

20. Quia Charitas est amor erga proximum, dicetur etiam quid proximus. Proximus in naturali sensu est homo in composito & in individuo: Homo in composito est Ecclesia, Patria, & Societas; & homo in individuo est concivis, qui in Verbo vocatur frater & socius. At Proximus in spirituali sensu est bonum, & quia usus est bonum, est proximus in spirituali sensu usus. Quod usus sit spiritualis proximus, quisque agnoscet; quis enim amat hominem solum ut personam, sed amat illum ex eo quod in illo est, ex quo est talis, ita ex quali ejus, hoc namque est homo: hoc quale, quod amatur, est usus, & vocatur bonum; inde est hoc Proximus. Quia Verbum in sinu suo est spirituale, ideo illud est amare proximum in spirituali ejus sensu.

21. Sed aliud est amare proximum ex bono aut usu in illo erga se, & aliud est amare proximum ex bono aut usu in se erga illum; amare proximum ex bono aut usu in illo erga se, potest etiam malus, sed amare proximum ex bono aut usu in se erga illum, non potest nisi bonus, nam hic ex bono amat bonum, seu ex affectione usus amat usum: horum & illorum discrimen describitur a Domino apud Matthæum Cap. V: 32. 33. seq. A multis dicitur, amo illum quia me amat & bonum mihi facit, sed usque amare illum propterea solum, non est interius amare illum, nisi ipse in bono sit, & ex illo amet bonum ejus; hic in charitate est, ille autem in amicitia est, quæ non est charitas. Is qui ex charitate amat proximum, conjungit se cum bono ejus, & non cum persona, nisi quantum & quamdiu in bono est, hic spiritualis est, & spiritualiter amat proximum; at qui ex sola amicitia amat alterum, is conjungit se cum persona, & simul tunc cum ejus malo; hic post mortem a persona, quæ in malo est, ægre separari potest, alter autem potest. Charitas hoc facit per fidem, quia fides est veritas, & homo qui in charitate est per veritatem, scrutatur & videt, quid amandum est, & spectat quale usus in amando & benefaciendo.

22. Amor in Dominum est proprie amor, & amor erga proximum est charitas: non datur apud hominem amor in Dominum, nisi in charitate, in hac Dominus se conjungit cum homine. Quia fides in sua essentia est charitas, sequitur quod nemo possit habere fidem in Dominum nisi in charitate sit, ex

hac

hac per fidem eſt conjunctio, per charitatem conjunctio Domini cum homine, & per fidem conjunctio hominis cum Domino: quod conjunctio reciproca ſit, videatur in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA n: 102 ad 107.

23. In ſumma, quantum quis fugit mala ut peccata, & ſpectat ad Dominum, tantum in charitate eſt, proinde tantum in fide eſt. Quod quantum quis fugit mala ut peccata & ſpectat ad Dominum, tantum in charitate ſit, videatur in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA n. 67 ad 73; tum n. 74 ad 91; & quod tantum fidem habeat, n. 52 ad 52. quid charitas in proprio ſenſu, n. 114 ibi.

24 Ex omnibus quæ hactenus dicta ſunt, conſtare poteſt, quod fides ſalutifera, quæ eſt agnitio interna veri, non dari queat apud alios, quam qui in Charitate ſunt.

Quod Cognitiones veri & boni non ſint Fidei, antequam homo in Charitate eſt, ſed quod ſint Promptuarium, ex quo Fides Charitatis formari poteſt.

25. Eſt homini affectio ſciendi ex prima pueritia, per hanc diſcit plura, quæ illi uſui erunt, & plura quæ non uſui: cum adoleſcit, ex applicatione ad quoddam negotium, haurit illa quæ rei negotii ſunt; hoc fit ei tunc uſus, quo afficitur: ſic inchoat affectio uſus, quæ producit affectionem mediorum, per quæ venit ad negotium ſuum, quod ejus uſus eſt. Hæc progreſſio eſt apud unumquemvis in mundo, quia unicuique eſt aliquod negotium, ad quod ab uſu qui eſt finis per media ad ipſum uſum qui eſt effectus, procedit. Verum quia hic uſus cum mediis ejus eſt pro vita in mundo, eſt ejus affectio naturalis.

26. Sed quia omnis homo non modo ſpectat uſus pro vita in mundo, ſed etiam ſpectabit uſus pro vita in Cœlo, in hanc enim poſt vitam in mundo veniet, & in hac poſt illam vivet in æternum: ideo quiſque a pueritia comparat ſibi cognitiones veri & boni ex Verbo, aut ex doctrina Eccleſiæ, aut ex prædicatione, quæ pro illa vita erunt, & reponit illas in memoria naturali, in majore aut minore copia ſecundum affectionem ſciendi connatam, & per varia excitamenta auctam.

27. Sed omnes hæ cognitiones, quotcunque & qualeſcunque ſunt, modo ſunt promptuarium ex quo fides charitatis formari poteſt; & hæc fides non formatur, niſi quantum fugit mala ut peccata. Si fugit mala ut peccata, tunc cognitiones illæ fiunt fidei, cui vita ſpiritualis ineſt: ſi autem non fugit mala ut peccata, cognitiones illæ non ſunt niſi quam cognitiones, & non fiunt fidei cui aliqua vita ſpiritualis ineſt.

28 Hoc Promptuarium maxime neceſſarium eſt, quoniam abſque illo non forma-

mari potest fides; cognitiones enim veri & boni fidem intrant & faciunt illam; si nullæ sint, fides non existit, fides prorsus vacua & inanis non datur; si paucæ sint, fides fit pusilla & egena; si multa sint, fides fit locuples & plena secundum copiam.

29. At sciendum est, quod cognitiones genuini veri & boni faciant fidem, & prorsus non cognitiones falsi, fides enim est veritas, ut supra n. 5 ad 11, dictum est, ac falsitas, quia est opposita veritati, destruit fidem; nec potest charitas existere, ubi meræ falsitates sunt, nam, ut supra n. 18 dictum est, charitas & fides unum faciunt sicut bonum & verum faciunt unum. Ex his quoque sequitur, quod nullæ cognitiones genuini veri & boni nullam fidem faciant, quod paucæ aliquam fidem, & quod multæ fidem illustrem secundum plenitudinem. Qualis est homini fides ex charitate, talis est ei intelligentia.

30. Dantur etiam multi, qui non agnitionem internam veri habent, & tamen fidem charitatis, qui sunt qui in vita spectaverunt ad Dominum, & ex religione evitaverunt mala, sed a curis in mundo & negotiis detenti a cogitando de veris, & quoque a defectu veri apud docentes; sed illi usque interius seu in suo spiritu in agnitione veri, quia in affectione ejus, sunt, quare illi post mortem, dum fiunt spiritus, & instruuntur per Angelos, agnoscunt vera & cum gaudio recipiunt illa. Aliter vero illi, qui in vita non spectaverunt ad Dominum, & non ex religione evitaverunt mala, hi non interius seu in suo spiritu in aliqua affectione veri & inde nec in aliqua agnitione ejus sunt, quare ii post mortem, cum fiunt spiritus, & instruuntur per Angelos, non volunt agnoscere vera, & inde non recipiunt illa: malum vitæ enim interius odit vera; at bonum vitæ interius amat vera,

31. Cognitiones veri & boni, quæ præcedunt fidem, apparent quibusdam quod fidei sint, sed usque non sunt; quod opinentur & dicant se credere, non ideo credunt, & nec illæ sunt fidei, sunt enim solius cogitationis quod ita sit, sed non sunt agnitionis internæ, quod veritates sint; ac fides quod veritates sint, dum nescitur quod sint, est species persuasionis remotæ ab agnitione interna: ut primum autem charitas implantatur, tunc cognitiones illæ fiunt fidei, sed non plus quam charitas in illa est. In Primo statu, antequam Charitas percipitur, apparet illis fides sicut primo loco sit, & charitas secundo; sed in altero statu, cum charitas percipitur, fit fides secundo loco, & charitas primo: Primus status vocatur Reformatio, Alter status vocatur Regeneratio: cum homo in hoc statu est, tunc apud illum indies crescit sapientia, ac indies bonum multiplicat vera, & fructificat illa: est homo tunc sicut Arbor, quæ fructum fert, & in fructu ponit semina, ex quibus novæ arbores, & tandem hortus: fit tunc vere homo, & post mortem angelus, cujus vitam facit charitas, & fides formam, pulchram secundum quale ejus; at fides tunc non amplius vocatur fides, sed intelligentia. Ex his constare potest, quod omne fidei sit ex charitate, & nihil ejus ex se; tum etiam quod charitas producat fidem, & non fides charitatem: sunt cognitiones veri quæ præcedunt, prorsus sicut penuarium in horreo, quod non nutrit hominem, nisi appetens victum inde frumentum desumit.

32. Dicetur etiam, quomodo formatur fides ex charitate: cuivis homini est Mens naturalis & Mens spiritualis, Mens naturalis pro mundo, & Mens spiritualis pro cælo; homo quoad Intellectum est in utroque, non autem quoad Voluntatem, priusquam fugit & aversatur mala ut peccata; cum hoc facit, tunc aperitur Mens spiritualis etiam pro voluntate; qua aperta, influit inde in Mentem naturalem calor spiritualis e Cælo, qui calor in sua essentia est charitas, ac vivificat cognitiones veri & boni quæ ibi sunt, & ex illis format fidem: fit etiam hoc sicut cum arbore, quæ non vitam vegetativam accipit, prius quam calor e sole influit, & conjungit se cum luce, ut fit tempore veris. Plenus etiam paralelismus est inter vivificationem hominis & vegetationem arboris, in eo, quod hanc faciat calor mundi, & illam calor cæli: quare etiam homo toties assimilatur arbori a Domino.

33. Ex his paucis constare potest, quod cognitiones veri & boni non sint fidei, antequam homo in charitate est, sed quod sint promptuarium, ex quo fides charitatis formari possit. Cognitiones veri fiunt vera apud Regeneratum; etiam cognitiones boni, nam cognitio boni est in intellectu, at affectio boni in voluntate; ac verum vocatur id quod in intellectu est & bonum id quod in voluntate.

Fides Christiana in universali idea.

34. Fides Christiana in universali idea, hæc est, „ Quod Dominus ab æterno, Qui est Jehovah, in mundum venerit, ut subjugaret Inferna, & glorificaret Humanum suum; & „ quod absque eo nemo mortalium salvari potuerit; & quod salventur qui credunt in Ipsum".

35. Dicitur in universali idea, quia hoc est universale fidei, ac universale fidei est quod in omnibus & singulis erit. Universale fidei est, quod Deus sit unus persona & essentia in quo Trinitas, & quod Dominus sit Ille Deus. Universale fidei est, quod nullus mortalium salvari potuerit nisi Dominus in mundum venerit. Universale fidei est, quod in mundum venerit, ut removeret Infernum ab homine, & removit illud per pugnas contra illud, & per victorias super illud; ita subjugavit illud; & redegit illud in ordinem & sub suam obedientiam. Universale fidei etiam est, quod in mundum venerit, ut Humanum, quod in mundo suscepit, glorificaret, hoc est, uniret Divino a Quo; sic Infernum ab Ipso subjugatum in ordine & sub obedientia sua in æternum tenet. Quoniam utrumque hoc non fieri potuit nisi quam per Tentationes usque ad ultimum illarum, ac ultimum illarum fuit Passio crucis, ideo illam subivit. Hæc sunt Universalia Fidei Christianæ de Domino. in

36. Universale Fidei Christianæ a parte hominis est; ut credat in Dominum, nam per credere in Ipsum fit conjunctio cum Ipso, per quam salvatio: credere in Ipsum est fiduciam habere quod Ipse salvet: & quia fiduciam habere non potest nisi qui bene vivit, ideo etiam hoc per credere in Ipsum intelligitur.

37. De binis his Fidei Christianæ Universalibus actum est in specie; de PRIMO, quod Dominum spectat, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO: & de ALTERO, quod hominem spectat, in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA; quare illa hic amplius diducere non opus est.

Fides hodierna in universali idea.

38. Fides hodierna in universali idea, est hæc„ Quod Deus Pater miserit Filium suum, ut satisfaceret pro Humano „ Genere, & quod propter id Filii meritum misereatur, & sal- „ vet illos, qui id credunt. Alii, qui id credunt, & simul bona „ faciunt".

39. Sed ut videatur clarius, qualis illa Fides est, velim adducere in ordine varia, quæ ponit. Hodierna Fides I ponit Deum Patrem & Deum Filium, ut Duos, utrumque ab æterno. II Ponit Deum Filium in mundum venisse ex voluntate Patris, ut satisfaceret pro Humano Genere, quod alioquin ex Divina Justitia, quam etiam vindicativam vocant, morte æterna periisset. III. Ponit satisfactionem a Filio per impletionem Legis, & per passionem crucis. IV. Ponit Misericordiam Patris propter illa Filii. V. Ponit imputationem meriti Filii erga illos, qui id credunt. VI. Ponit hoc momentaneum, & ideo, si non prius, etiam circa ultimam mortis horam. VII. Ponit aliquid tentationis, & tunc liberationem per fidem istam. VIII. Ponit apud hos imprimis fiduciam & confidentiam. IX Ponit apud hos imprimis Justificationem, & plenariam gratiam Patris propter Filium, & remissionem omnium peccatorum, & sic salvationem. X. Doctiores ponunt apud hos conatum ad bonum, qui occulte operatur, & non manifeste movet voluntatem. Alii ponunt operationem manifestam: uterque per Spiritum Sanctum. XI. Plerique, qui se confirmant in eo, quod nemo possit facere bonum a se, quod bonum est, & nisi sit meritorium, & quod non sint sub jugo legis, illi omittunt, &

non cogitant de malo & de bono vitæ; dicunt enim in se, quod non bonum opus salvet, nec malum damnet, quia sola fides facit omnia. XII. In genere ponunt intellectum sub obedientia hujus fidei, vocantes id fidei quod non intelligitur.

40. Sed hæc singillatim lustrare & expendere, num veritates sint, supersedetur: patent manifeste ex illis, quæ hic supra dicta sunt, imprimis ex illis, quæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, & in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA, ex Verbo demonstrata sunt, & simul rationaliter confirmata.

41. At usque ut videatur, qualis fides separata a charitate est, & qualis fides non separata ab illa est, velim communicare quæ ab Angelo cæli audivi; dixit ille quod loquutus sit cum multis Reformatis, & audiverit qualis fides illorum est; & retulit quid cum uno, qui in fide separata a charitate fuit, & quid cum altero qui in fide non separata, loquutus est, & ab illis audivit; dixit quod interrogaverit illos, & quod illi responderint: quæ quia illustrare possunt, velim colloquutiones illorum hic afferre.

42. Angelus dixit, quod cum illo qui in fide separata a charitate ita loquutus sit; amice, quis es, respondit ille, sum Reformatus Christianus. Quæ tua doctrina, & inde religio, respondit quod sit fides. Dixit quæ tua fides, respondit, fides mea est„ *Quod Deus Pater miserit Filium, ut satisfaceret pro Humano Genere, & quod salventur qui id credunt*„: interrogavit tunc dicendo, quid scis plus de Salvatione, respondit, quod salvatio sit per solam illam fidem. Porro dixit, quid scis de Redemptione, respondit quod facta sit per passionem crucis, & quod meritum Filii imputetur per illam fidem. Porro, quid scis de Regeneratione, respondit quod fiat per illam fidem: Quid scis de Pænitentia & Remissione peccatorum, respondit quod per illam fidem. Dic quid scis de amore & charitate, respondit quod sint illa fides. Dic quid scis de bonis operibus, respondit quod sint illa fides. Dic quid cogitas de omnibus præceptis in Verbo, respondit quod sint in illa fide. Tunc dixit, ergo nihil facies, respondit quid faciam, non possum facere bonum, quod bonum est, a me: dixit, num fidem potes habere a te, respondit non possum; dixit quomodo tunc potes fidem habere, respondit in hoc non inquiro, habebo fidem. Tandem dixit, omnino scis aliquid præterea de salute, respondit, quid præterea, cnm per solam illam fidem salvatio.

vatio. Sed tunc dixit Angelus, respondes ſicut qui canit uno tono tibiæ, non audio niſi fidem; ſi illam ſcis, & non præterea, nihil ſcis; abi & vide ſocios, & abivit & offendit illos in deſerto, ubi non gramen, quæſivit cur ita, dixerunt, quia illis nihil Eccleſiæ.

43. Angelus cum illo, qui in fide non ſeparata a charitate ita loquutus eſt: amice, quis es, reſpondit ſum Chriſtianus Reformatus: quæ tua doctrina, & inde religio, reſpondit fides & charitas: dixit hæc ſunt duo, reſpondit non ſeparari poſſunt: dixit quid fides, reſpondit credere quod Verbum docet; dixit quid charitas, reſpondit facere quod Verbum docet: dixit num ſolum credideris illa, vel num etiam feceris, reſpondit etiam feci: Angelus cæli tunc aſpexit illum, & dixit, mi amice, veni mecum, & habita nobiſcum.

Qualis fides ſeparata a charitate eſt.

44. Ut fides ſeparata a Charitate videatur qualis eſt, ſiſtam illam in ſua nuditate: in hac talis eſt; „ Quod Deus Pater iratus contra Genus humanum, rejecerit illud a ſe, & ex juſtitia ſtatuerit vindicare per ejus damnationem „ æternam: & quod dixerit ad Filium, deſcende, imple Legem, ac damnationem illis deſtinatam in Te ſuſcipe; & tunc forte miſerebor: quare deſcendit, & implevit Legem, & paſſus ſe ſuſpendi cruce, & immaniter occidi: quo facto rediit ad Patrem, & dixit, damnationem Generis humani in Me ſuſcepi, nunc miſericors eſto, intercedens pro illis: at reſponſum tulit, non poſſum erga illos, ſed quia Te vidi ſuper cruce, & tunc ſanguinem tuum, factus ſum miſericors, at uſque non condonabo illis, ſed imputabo illis tuum meritum, verum non aliis, quam qui hoc agnoſcunt. Hoc erit fides, per quam ſalvari poſſunt.

45. Hæc eſt fides illa in ſua nuditate: quiſnam, cui aliqua ratio illuſtrata eſt, in illa non videt paradoxa, quæ contra ipſam Divinam eſſentiam ſunt; ut, quod Deus, qui eſt ipſe Amor, & ipſa Miſericordia, potuerit ex ira & inde vindicta damnare homines, & devovere illos inferno: tum, quod velit ad miſericordiam moveri per damnationem Filio impoſitam, & per intuitionem Ejus paſſionis ſuper cruce & Ejus ſanguinis. Quis, cui aliqua ratio illuſtrata eſt non videt quod Deus ad Deum æqualem non dicere potuerit, non condono illis, ſed imputo illis tuum meritum: ut &, nunc vivant ſicut velint, modo illud credant, & ſalvabuntur. Præter plura.

46. Sed cauſa, quod hæc non viſa ſint, eſt quia induxerunt fidem cæcam, & per illam occluſerunt oculos, & obturaverunt aures. Occlude oculos & obtura aures, hoc eſt, fac ut non cogitent ex aliquo intellectu, & dic illis, qui-

quibus aliqua idea de vita æterna impressa est, quicquid velis, & credent: imo si dixeris, quod Deus possit irasci & vindictam spirare; quod Deus possit alicui damnationem æternam inferre: quod Deus velit ad misericordiam moveri per sanguinem Filii; ac id pro merito imputare & adscribere homini ut ejus; ac salvare per solum cogitare. Ut &, quod unus Deus cum altero Deo unius essentiæ potuerit talia stipulari, & illi injungere; præter similia alia. Sed aperi oculos & reclude aures, hoc est, cogita de illis ex intellectu, ac videbis discordantiam illorum cum ipsa veritate.

47. Occlude oculos & obtura aures, & fac ut non cogitent ex aliquo intellectu, annon poteris inducere fidem, quod Deus dederit omnem suam potestatem homini, ut sit pro Deo in terris: annon poteris inducere fidem, quod homines mortui invocandi sint; quod nudandum sit caput & flectenda sint genua pro simulachris eorum; quodque cadavera eorum, ossa eorum, & sepulchra illorum, sancta sint & veneranda. Sed si aperis oculos & recludis aures, hoc est, de illis ex aliquo intellectu cogitas, annon videbis enormia, quæ ratio humana abominabitur.

48. Cum talia & similia alia recipiuntur ab homine, cui ex religione occlusus est intellectus, annon tunc Templum, in quo cultum agit, comparari potest speluncæ seu cavernæ sub terris, ubi quæ videt, nescit quid sunt: ac Religio ejus comparari potest habitationi in domo, in qua non sunt fenestræ; & vox cultus ejus sono, & non loquelæ. Cum tali homine non potest Angelus cæli loqui, quia unus non intelligit loquelam alterius.

Quod illi, qui in fide separata a charitate sunt, in Verbo repræsentati sint per Philisthæos.

49. In Verbo per omnia Nomina Gentium & Populorum, tum Personarum & Locorum, significantur res Ecclesiæ, ipsa Ecclesia per Israelem & Jehudam, quia apud illos fuit instituta; & varia Religiosa per Gentes & Populos circum illos, Religiosa concordantia per Gentes bonas, & Religiosa discordantia per Gentes malas. Sunt duo Religiosa mala, in quæ omnis Ecclesia successu temporis degeneratur, Unum quod adulterat bona ejus, & Alterum quod falsificat vera ejus: illud Religiosum, quod adulterat bona Ecclesiæ, trahit suum ortum ex amore imperandi, & alterum Religiosum quod falsificat vera Ecclesiæ, trahit suum ortum ex fastu propriæ intelligentiæ. Religiosum quod trahit ortum ex amore imperandi, in Verbo intelligitur per Babyloniam; & Religiosum, quod trahit ortum ex fastu propriæ intelligentiæ, in Verbo intelligitur per Philisthæam. Notum est, quinam ex Babylonia hodie sunt, sed non notum, quinam ex Philisthæa. Ex Philisthæa sunt, qui in fide & non in charitate.

50. Quod illi ex Philisthæa sint, qui in fide & non in charitate, constare potest ex variis, quæ de illis in Verbo dicuntur, in spirituali sensu intellectis; tam ex altercationibus illorum cum Abrahami & Isaci servis, de quibus Genes. XXI.

XXI & XXVI, quam ex bellis illorum cum Filiis Israelis, de quibus in Libro Judicum, ac in Libris Samuelis & Regum; omnia enim Bella in Verbo descripta in sensu spirituali involvunt & significant bella spiritualia: & quia hoc Religiosum, quod est fidei separatæ a charitate, continue vult invadere Ecclesiam, ideo Philisthæi manserunt in terra Canaane, & filios Israelis crebro infestarunt.

57. Quoniam Philisthæi repræsentabant illos qui in fide separata a charitate sunt, ideo vocati sunt PRÆPUTIATI, & per Præputiatos intelliguntur qui absque amore spirituali sunt, & inde in solo amore naturali: Amor spiritualis est Charitas. Causa quod hi præputiati dicti sint, est quia per CIRCUMCISOS intelliguntur qui in amore spirituali sunt. Quod Philisthæi præputiati dicti sint, videatur I. Sam. XVII. 27. 36. II. Sam. II. 20, & alibi.

52. Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, per Philisthæos repræsentati sint, constare potest non modo ex bellis eorum cum filiis Israelis, sed etiam ex pluribus aliis, quæ de illis in Verbo memorantur; ut ex illis quæ de Dagone Idolo eorum, de Hæmorrhoidibus & Muribus, quibus propter Arcam in fano idoli eorum positam percussi & infestati sunt, & ex reliquis quæ tunc evenerunt, de quibus, I. Sam. Cap. V & VI; similiter quæ de Goliatho, qui Philisthæus erat, a Davide interfecto, de quo I Sam. Cap. XVII. Dagon enim Idolum eorum, erat superius sicut homo, inferius sicut piscis, per quod repræsentabatur Religio eorum, quod ex fide esset sicut spiritualis, ex nulla charitate autem esset mere naturalis: per Hæmorrhoides, quibus percussi erant, significabantur spurci eorum amores; per mures, quibus infestati erant, significabatur devastatio Ecclesiæ per falsificationes veri; & per Goliathum a Davide percussum repræsentabatur fastus propriæ intelligentiæ illorum.

53. Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, repræsentati sint per Philisthæos, patet etiam ex Propheticis Verbi, ubi de illis agitur, ut ex sequentibus his: apud JEREMIAM,, *Contra Philisthæos: ecce aquæ ascendentes ex septentrione, quæ fient in flumen inundans, & inundabunt terram & plenitudinem ejus, urbem & habitantes in ea, ut clament homines, & ejulet omnis habitator terræ: vastabit Jehovah Philisthæos*,, XLVII. 1. 2. 4; aquæ ascendentes e septentrione, sunt falsa ex inferno; quæ fient in flumen inundans, & inundabunt terram & plenitudinem ejus, significat per illa devastationem omnium Ecclesiæ; urbem & habitantes in ea, significat devastationem omnium doctrinæ ejus; ut clament homines, & ejulet omnis habitator terræ, significat defectum omnis veri & boni in Ecclesia; vastabit Jehovah Philisthæos, significat interitum eorum. Apud ESAJAM,, *Ne læteris Philisthæa tota, quod fracta sit virga percutiens te; nam e radice serpentis exibit basiliscus, cujus fructus prester volans*,, XIV. 27 seq. ne læteris Philisthæa tota, significat ne gaudeant qui in fide separata a charitate sunt, quod adhuc maneant: nam e radice serpentis exibit basiliscus, significat ex fastu propriæ intelligentiæ destructionem omnis veri apud illos: cujus fructus prester volans, significat ratiocinia ex falsis mali contra vera & bona Ecclesiæ.

54. Quod per Circumcisionem repræsentata sit purificatio a malis quæ sunt amo-

amoris mere naturalis, patet ex his „ *Circumcidite cor vestrum, & removete præputia cordis vestri, ne exeat ira mea propter malitiam operum vestrorum*„ Jerem. IV. 4. „ *Circumcidite præputium cordis vestri, & cervicem vestram non indurate amplius*„ Deutr. X. 16; cirumcidere cor aut præputium cordis est purificare se a malis. Inde vicissim, per incircumcisum seu præputiatum intelligitur qui a malis amoris mere naturalis non purificatus, ita qui non in charitate est: & quia immundus corde per præputiatum intelligitur, dicitur „ *Nullus præputiatus corde, & præputiatus carne, intrabit in sanctuarium*„ Ezech. XLIV. 9. *Nullus præputiatus comedet Pascha*„ Exod. XII. 48. Et quod *damnatus sit*, Ezech. XXVIII. 10. Cap. XXXI. 18. Cap. XXXII. 19.

Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, intelligantur per Draconem in Apocalypsi.

55. Dictum est supra, quod omnis Ecclesia successu temporis abeat in duo communia Religiosa mala, in unum ex amore imperandi, & in alterum ex fastu propriæ intelligentiæ; & quod prius Religiosum in Verbo intelligatur & describatur per BABYLONIAM, & posterius per PHILISTHÆAM. Nunc quia in Apocalypsi agitur de statu Ecclesiæ Christianæ, imprimis qualis in fine est, ideo de binis illis Religiosis malis, in genere & in specie ibi agitur: Religiosum quod per Babyloniam intelligitur, describitur in Cap. XVII XVIII. XIX, quod ibi est Meritrix sedens super Bestia coccinea; ac Religiosum quod per Philisthæam intelligitur, describitur in Capp. XII. XIII, quod ibi est Draco, tum Bestia ex mari, ac Bestia ex terra ascendens. Quod hoc Religiosum per Draconem & ejus binas Bestias intellectum sit, hactenus non sciri potuit; causa est, quia sensus spiritualis Verbi non prius apertus fuit, & inde Apocalypsis non intellecta est; & imprimis quia Religiosum de fide separata a charitate in Christiano Orbe tantum invaluit, ut nemo id videre posset: omne enim Religiosum malum occæcat oculos.

56. Quod Religiosum fidei separatæ a charitate intelligatur & describatur in Apocalypsi per Draconem & per binas ejus Bestias, non modo e Cælo mihi dictum est, sed etiam in Mundo spirituum, qui sub Cælo est, ostensum est; visi mihi sunt illi, qui in fide separata erant, in Cœtu sicut magnus Draco cum extensa cauda versus cælum; & visi sunt alii, qui tales, separati, in apparentia sicut dracones; sunt enim in illo Mundo hujuscemodi apparentiæ ex correspondentia spiritualium cum naturalibus: quare etiam illi ab Angelis cæli vocantur Draconici. Sed plura illorum genera sunt, quidam eorum constituunt Draconis Caput, quidam illius Corpus, & quidam ejus Caudam; illi qui constituunt ejus Caudam, sunt qui omnia vera Verbi falsificaverunt; quare dicitur de Dracone in Apocalypsi, quod cauda sua detraxerit tertiam partem stellarum Cæli; per stellas cæli significantur cognitiones veri, & per tertiam partem, omnes.

57. Nunc quia per Draconem in Apocalypsi intelliguntur qui in fide separa-

ta

ta a Charitate sunt, & hoc hactenus ignoratum fuit, & quoque occultum ex non cognitione sensus spiritualis Verbi, ideo dabitur hic Explicatio generalis super illa quæ in Cap. XII. ibi de Dracone dicuntur.

58. De Dracone hæc dicuntur in Capite XII in Apocalypsi: Et Signum magnum visum est in Cælo. Mulier circumdata Sole, & Luna sub pedibus ejus, & super capite ejus corona stellarum duodecim: & in utero habens clamavit parturiens, & cruciata parere. Et visum est aliud signum in Cælo, & ecce Draco magnus rufus, habens Capita septem, & Cornua septem, & super capitibus suis Diademata septem. Et Cauda sua traxit tertiam partem stellarum Cæli, & projecit illas in terram. Et Draco stetit coram Muliere paritura, ut postquam pepererat, fætum ejus devoraret: & peperit filium masculum, qui pasturus est omnes gentes virga ferrea: & raptus est fætus ejus ad Deum & Thronum Ipsius. Et Mulier fugit in desertum, ubi habet locum præparatum a Deo, ut ibi alant eam diebus mille ducentis sexaginta. Et factum est bellum in Cælo, Michael & angeli ejus pugnarunt cum Dracone, & Draco pugnavit & angeli ejus: & non prævaluerunt; & non locus inventus illorum amplius in Cælo. Et cum vidit Draco quod projectus in terram, persequutus est Mulierem quæ peperit filium. Et datæ mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi aleretur ibi tempus & tempora & dimidium tempus, a facie serpentis: & ejecit serpens post mulierem ex ore suo aquam tanquam flumen, ut illam a flumine absorptam faceret: & adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & deglutivit flumen, quod ejecit draco ex ore suo. Et iratus est draco contra mulierem, & abivit facere bellum cum reliquis seminis ejus, observantibus mandata Dei, & habentibus testimonium Jesu Christi:

„ 59. Hæc illorum Explicatio est „ Signum magnum visum est in Cælo, „ significat revelationem a Domino de futura Ecclesia, & de receptione doc- „ trinæ ejus, & a quibus impugnabitur: mulier circumdata sole, & luna sub „ pedibus ejus, significat Ecclesiam, quæ a Domino in amore, & in fide „ est: & super capite ejus corona stellarum duodecim, significat sapientiam „ ac intelligentiam ex Divinis veris apud illos: & in utero habens, significat „ nascentem Doctrinam: clamavit parturiens, & cruciata parere, significat „ resistentiam ab illis qui in fide separata a charitate sunt: & visum est aliud „ signum in Cælo, significat iterum revelationem: & ecce draco magnus ru- „ fus, significat fidem separatam a charitate, qui rufus dicitur ab amore me- „ re naturali: habens capita septem, significat falsum intellectum Verbi: &

„ cornua decem, significat potentiam ex receptione a multis: & super capiti-
„ bus suis diademata septem, significat falsificata vera Verbi: & cauda sua
„ traxit tertiam partem stellarum cæli, & projecit illas in terram, significat
„ destructionem omnium cognitionum veri: & draco stetit coram muliere pa-
„ ritura, ut postquam pepererat, fœtum ejus devoraret, significat odium il-
„ lorum & animum destruendi doctrinam Ecclesiæ in suo ortu: & peperit fi-
„ lium masculum, significat doctrinam: qui pasturus omnes gentes virga fer-
„ rea, significat quæ ex potentia veri naturalis ex spirituali convincet: & rap-
„ tus est filius ejus ad Deum & thronum Ipsius, significat tutationem ejus a
„ Domino e cælo: & fugit in desertum, significat Ecclesiam inter paucos:
„ ubi habet locum præparatum a Deo, significat statum ejus ut interea provi-
„ deatur inter plures: ut ibi alant illam diebus mille ducentis sexaginta, signi-
„ ficat usque dum crescit ad suum statutum: & factum est bellum in cælo,
„ Michael & angeli ejus, pugnarunt cum dracone, & draco pugnavit &
„ angeli ejus significat dissensionem & pugnam illorum qui in fide separata
„ a charitate sunt contra illos qui in doctrina Ecclesiæ de Domino & de
„ vita charitatis sunt: & non prævaluerunt, significat quod succubuerint:
„ & non locus inventus eorum amplius in cælo, significat dejectionem illorum:
„ cum vidit draco quod projectus sit in terram, persequutus est mulierem quæ
„ peperit masculum, significat infestationem Ecclesiæ ab illis qui in fide sepa-
„ rata a charitate, propter doctrinam ejus: & datæ mulieri duæ alæ aquilæ
„ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, significat circumspectionem
„ dum adhuc inter paucos est: ubi aleretur tempus & tempora & dimidium
„ temporis a facie serpentis, significat usque dum Ecclesia crescit ad suum
„ statutum: & ejecit serpens post mulierem ex ore suo aquam tanquam flu-
„ men, ut illam a flumine absorptam faceret, significat ratiocinationes illo-
„ rum ex falsis in copia ad destruendum Ecclesiam: & adjuvit terra mulie-
„ rem, & aperuit terra os suum, & deglutivit flumen quod ejecit draco ex
„ ore suo, significat quod ratiocinationes, quia ex falsis, a seipsis deciderint:
„ & iratus est draco contra mulierem, & abivit facere bellum cum reliquis
„ seminis ejus, significat perstans odium illorum: observantibus mandata Dei,
„ & habentibus testimonium Jesu Christi, significat contra illos qui vivunt vi-
„ tam charitatis, & credunt in Dominum.

60. In Capite XIII sequente in Apocalypsi, agitur de binis Bestiis draconis, de una quæ visa est ex mari ascendisse, & de altera quæ visa est ex terra ascendisse, de priore agitur a Vers. 1 ad 10, & de posteriore a Vers. 11 ad 18; quæ quod sint Bestiæ draconis, patet a versibus 2. 4. 11, ibi: per primam bestiam significatur fides separata a charitate quoad confirmationes ejus ex naturali homine; & per alteram significatur fides separata a charitate quoad confirmationes ejus ex Verbo, quæ etiam sunt falsificationes veri: sed prætereo illa explicare, quia continent argumentationes eorum, quæ prolixius diducendæ forent; solum ultimum hoc, „ *Habens intelligentiam computet numerum Bestiæ, numerus enim hominis est, & numerus ejus sexcenta sexaginta sex*,„ Vers. 18: habens intelligentiam computet numerum bestiæ, significat qui in illustratione

tione sunt, inquirant quale confirmationum istius fidei ex Verbo; numerus enim hominis est, significat quod sit quale propriæ intelligentiæ; & numerus ejus sexcenta sexaginta & sex, significat omne verum Verbi falsificatum.

Quod illi, qui in fide separata a charitate sunt, intelligantur per Hircos apud Danielem & Matthæum.

61. Quod per Hircum apud Danielem Cap. VIII; & per Hircos apud Matthæum Cap. XXV, intelligantur illi qui in fide separata a charitate sunt, constare potest ex eo, quod opponantur Arieti & Ovibus ibi, & per Arietem & per Oves intelliguntur qui in charitate sunt: Dominus enim in Verbo vocatur Pastor, Ecclesia ovile, & homines Ecclesiæ in genere vocantur grex, & in specie oves; & quia oves sunt illi qui in charitate sunt, ideo hirci sunt illi qui non in charitate.

62. Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, per Hircos intelligantur, demonstrabitur I Ab Experientia in Mundo spirituali. II Ab Ultimo Judicio super quos peractum est. III Ex descriptione pugnæ inter Arietem & Hircum apud Danielem. IV. Et demum ex omissione charitatis illorum, de quibus apud Matthæum.

63. I. *Quod illi, qui in fide separata a charitate sunt, intelligantur in Verbo per Hircos, ab Experientia in Mundo spirituali.* In Mundo spirituali apparent omnia quæ in Mundo naturali, apparent domus & palatia, apparent paradisi & horti, & in illis arbores omnis generis; apparent agri & novalia, tum campi & vireta; & quoque armenta & greges; omnia in tali similitudine, in qua super nostra tellure; nec alia intercedit differentia, quam quod hæc sint ex origine naturali, & illa ex origine spirituali: quare Angeli, quia spirituales sunt, vident illa quæ ex origine spirituali sunt, similiter ut homines illa quæ ex origine naturali sunt. Omnia, quæ apparent in Mundo spirituali, sunt correspondentiæ, correspondent enim affectionibus Angelorum & Spirituum: hæc causa est, quod illi qui in affectione boni & veri sunt, & inde in sapientia & intelligentia, habitent in palatiis magnificis, circum quæ sunt paradisi pleni arboribus, quæ correspondent, & circum illos agri & campi, in quibus cubant greges, qui sunt apparentiæ: Correspondentiæ autem oppsitæ sunt apud illos qui in affectionibus malis sunt; hi vel sunt in Infernis inclusi ergastulis, quæ sunt absque fenestris, in quibus tamen est lumen sicut ex igne fatuo, vel sunt in desertis & habitant in mapalibus, circum quæ omnia sterilia sunt, & ibi serpentes, dracones, ululæ, & plura, quæ malis illorum correspondent. Inter Cælum & Infernum est locus medius, qui vocatur Mundus spirituum; in hunc venit omnis homo statim post mortem; & ibi simile commercium est unius cum altero, sicut hominum inter se super tellure; ibi etiam omnia, quæ apparent, correspondentiæ sunt; apparent etiam ibi horti, luci, sylvæ cum arboribus & virgultis,

gultis, ut & campi floridi & virides, & simul varii generis bestiæ, mites & immites, omnia secundum correspondentiam affectionum illorum. Ibi sæpius vidi Oves & Hircos, & quoque pugnas inter illos, similes illi pugnæ, quæ describitur apud Danielem Cap. VIII; vidi Hircos cum cornibus antrorsum & retrorsum flexis, ac illos cum furore irruentes in Oves; vidi Hircos cum duobus cornibus, quibus cum vehementia ferierunt Oves; & cum aspexi quid esset, vidi aliquos rixantes inter se de charitate & fide; ex quo patuit, quod fides separata a charitate esset quæ appareret sicut Hircus, & quod charitas ex qua fides esset quæ appareret sicut Ovis. Quia hæc sæpius vidi, datum est pro certo scire, quod illi qui in fide separata a charitate sunt, in Verbo per Hircos intelligantur.

64. II. *Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, intelligantur in Verbo per Hircos, ex Ultimo Judicio super quos peractum est.* Ultimum Judicium non super alios factum est, quam qui in externis fuerunt morales, ac in internis non spirituales, aut parum spirituales; illi autem qui tam in externis quam in internis fuerunt mali, longe ante ultimum judicium in infernum conjecti sunt, & illi qui in externis & simul in internis spirituales fuerunt, longe ante ultimum judicium in cælum elevati sunt; nam Judicium non factum est super illos qui in Cælo erant, nec super illos qui in Inferno, sed super illos qui in medio inter Cælum & Infernum fuerunt, & ibi sibi fecerunt sicut Cælos. Quod Ultimum Judicium super illos & non super alios factum sit, videri potest in Opusculo de ULTIMO JUDICIO, n. 59 & 70; & videbitur ulterius in CONTINUATIONE DE ULTIMO JUDICIO, & ibi super Reformatos; ex quibus tunc illi qui in fide separata a charitare non modo doctrina sed etiam vita fuerunt, in Infernum conjecti sunt, ac illi qui in eadem fide solum quoad doctrinam, sed usque in charitate quoad vitam fuerunt, in Cælum elevati sunt: ex quibus patuit, quod non alii per hircos & per oves a Domino apud Matthæum Cap. XXV, ubi loquitur de Ultimo Judicio, intellecti sint.

65. III. *Quod illi, qui in fide separata a charitate sunt, intelligantur in Verbo per hircos, ex descriptione pugnæ inter arietem & hircum apud Danielem.* Omnia quæ in Daniele sunt, in spirituali sensu agunt de rebus Cæli & Ecclesiæ, sicut omnia in Universa Scriptura Sacra; ut IN DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ de Illa n. 5 ad 26, ostensum est: ita quoque illa in Daniele, quæ de pugna Arietis & Hirci ibi Cap. VIII, dicuntur; quæ talia sunt: „ *In visione vidi Arietem, cui duo cornua alta, sed altius ascendens posterius: & quod cornu feriret versus occidentem, septentrionem & meridiem; & magnum se faceret. Dein vidi Hircum venientem ab occidente super facies totius terræ, cui esset cornu inter oculos; & quod cucurrerit ad Arietem cum furore roboris sui, & fregerit duo cornua ejus, & projecerit eum in terram, & conculcaverit eum; at quod fractum sit cornu magnum Hirci, & loco ejus ascenderint quatvor cornua: & quod ex uno eorum exiret cornu exiguum, quod crevit valde versus meridiem, versus ortum, & versus decus, & usque ad excercitum Cælorum, & dejecit in terram de excercitu, & de stellis, & conculcavit ea: imo extulit se ad principem excercitus, & ab Eo sublatum est juge, & projectum habitaculum sanctuarii Ejus; quia projecit Veritatem in terram. Et audivi unum Sanctum*

dicen-

dicentem, quo usque Visio hæc, juge & prævaricatio vastans, ut detur sanctum & exercitus conculcatio; & dixit, usque ad vesperam mane, tunc justificabitur Sanctum „ Cap. VIII. 2 ad 14.

66. Quod visio illa prædicat status Ecclesiæ futuros, patet manifeste, nam dicitur quod a Principe excercitus sublatum sit juge, projectum Habitaculum sanctuarii Ejus, & quod Hircus projecerit Veritatem in terram: tum quod Sanctus dixerit, quousque visio hæc, juge & prævaricatio vastans, ut detur Sanctum & excercitus conculcatio, & quod hoc esset ad vesperam mane, quando justificabitur Sanctum; per vesperam enim intelligitur finis Ecclesiæ quando nova erit. Simile postea in eo Capite per Reges Mediæ & Persiæ intelligitur, quod per Arietem, & simile per Regem Græciæ quod per Hircum; nam Nomina Regnorum, Gentium & Populorum, tum Personarum & Locorum, in Verbo significant res Cæli & Ecelesiæ.

67. Explicatio illorum hæc est, „ Aries cui duo cornua alta, quorum altius ascendit posterius, significat illos qui in fide ex charitate sunt: quod cornu feriret versus occidentem, septentrionem & meridiem, significat dissipationem mali & falsi: quod magnum se faceret, significat incrementum: hircus veniens ab occidente super facies totius terræ, significat illos qui in fide separata a charitate sunt, ac invasionem Ecclesiæ ab illis, occidens est malum naturalis hominis: cui cornu inter oculos, significat propriam intelligentiam: quod cucurrerit ad arietem cum furore roboris, significat quod vehementer impugnaverit charitatem & ejus fidem: quod fregerit duo cornua ejus, projecerit eum in terram, & conculcaverit eum, significat quod prorsus disperserit & charitatem & fidem, nam qui unam etiam alteram dispergit, unum enim faciunt: quod fractum sit cornu magnum hirci, significat non apparentiam propriæ intelligentiæ: quod loco ejus ascenderint quatuor cornua, significat applicationes sensus literæ Verbi ad confirmandum: quod ex uno eorum exiret cornu exiguum, significat argumentationem, quod nemo possit implere legem, & facere bonum a se ipso: quod id cornu creverit versus meridiem, versus ortum & versus decus, significat per id insurrectionem in omnia Ecclesiæ: & usque ad exercitum cælorum, & dejecit de exercitu, & de stellis, & conculcavit illa, significat sic destructionem omnium cognitionum boni & veri, quæ charitatis & fidei essent: quod extulerit se ad Principem exercitus, & ab eo sublatum est juge, & habitaculum sanctuarii ejus, significat quod sic depopulatus sit omnia cultus Domini & Ecclesiæ Ipsius: quod veritatem projecerit in terram, significat quod vera Verbi falsificaverit: per vesperam mane, quando justificabitur sanctum, significatur finis Ecclesiæ istius, & principium Novæ".

68. IV. *Quod illi, qui in fide separata a charitate sunt, intelligantur per hircos, ex omissione charitatis eorum apud Matthæum.* Quod non alii per Hircos ac per Oves intelligantur apud Matthæum Cap. XXV. 31 ad 46. quam qui per Hircum & per Arietem apud Danielem, patet ex eo, quod ad Oves enumerentur opera charitatis, & dicatur, quod illa fecerint; & quod ad Hircos enumeren-

merentur eadem opera charitatis, & dicatur quod illa non fecerint, & quod hi ideo damnentur; eſt enim apud eos qui in fide ſeparata a charitate ſunt, omiſſio operum, ex negatione quod nihil ſalutis & Eccleſiæ in illis ſit; & cum removetur ita charitas, quæ conſiſtit in operibus, cadit etiam fides, quoniam fides eſt ex charitate; & cum non charitas & fides, eſt damnatio. Si omnes mali per Hircos ibi intellecti fuiſſent, non opera charitatis quæ non fecerunt, ſed mala quæ fecerunt, enumerata fuiſſent. Similes per Hircos etiam intelliguntur apud SACHARIAM, *Super Paſtores exarſit ira mea, & ſuper Hircos viſitabo*, X. 3. Et apud EZECHIELEM, *Ecce Ego judicans inter pecudem & pecudem, inter Arietes & inter Hircos: num parum vobis, paſcuum bonum depaſcitis, etiam reliquum paſcuorum conculcatis pedibus veſtris: cornibus veſtris feritis omnes Oves infirmas, donec diſperſeritis illas: ideo ſalvabo Gregem meum, ut non ſit amplius in prædam*, XXXIV. 17, 18, 22. ſeqq.

Quod Fides ſeparata a Charitate Eccleſiam & omnia ejus deſtruat.

69. Fides ſeparata a charitate nulla eſt fides, quoniam Charitas eſt vita fidei, eſt anima ejus, & eſt eſſentia ejus; & ubi nulla fides eſt quia nulla charitas, ibi nulla Eccleſia eſt: quare dicit Dominus. „ *Filius hominis* „ *cum venerit, num inveniet fidem ſuper terra*". Luc. XVIII. 8.

70. Audivi Hircos & Oves aliquoties de eo colloquutos, num illis, qui ſe confirmaverunt in fide ſeparata a charitate, ulla veritas ſit, & quia dixerunt, quod multa ſit, Lis illa in examen miſſa eſt; & tunc interrogati ſunt, num ſciant quid Amor, quid Charitas, & quid Bonum, & quia hæc erant quæ ſeparaverunt, non potuerunt aliter reſpondere, quam quod non ſcirent. Interrogati ſunt, quid Peccatum, quid Pœnitentia, & quid Remiſſio peccatorum, & quia reſponderunt quod qui juſtificati ſunt per fidem, illis remiſſa peccata ſint, ut non amplius appareant; dictum eſt illis, hæc non veritas ſunt. Interrogati quid Regeneratio, reſponderunt quod vel ſit baptiſmus, vel quod ſit remiſſio peccatorum per fidem; dictum illis quod id non veritas ſit. Interrogati quid ſpiritualis homo, reſponderunt quod ſit qui juſtificatus eſt per fidem confeſſionis noſtræ; ſed dictum illis, quod hæc non veritas ſit. Interrogati de Redemptione, de Unione Patris & Domini, deque Unitate Dei, & reſponderunt quæ non veritates erant; præter plura. Poſt Interrogationes & Reſponſa Lis ad Judicium venit, quod erat, quod illi qui confirmaverunt ſe in fide ſeparata a charitate non habeant ullam veritatem.

71. Quod ita ſit, non credi poteſt ab illis in mundo, quoniam qui in falſis ſunt, non vident aliter quam quod falſa ſint vera, & quod plura ſcire, quam quæ fidei eorum ſunt, tanti non ſit; & fides illorum eſt ſeparata ab intellectu, eſt enim fides cæca, & ideo non inquirunt; & hoc non aliter inquiri poteſt quam

quam ex Verbo media illustratione intellectus; quare vera, quæ ibi sunt, vertunt in falsa, cogitando fidem ubi vident amorem, pænitentiam, remissionem peccatorum, & plura quæ facti erunt.

72. Verum enim vero, tales sunt illi qui se in sola fide & doctrina & vita confirmaverunt; sed non illi, qui, tametsi audiverunt & crediderunt quod sola fides salvet, usque mala ut peccata fugerunt.



CONTINUATIO
DE
ULTIMO JUDICIO:
ET DE
MUNDO SPIRITUALI.



AMSTELODAMI:

MDCCLXIII.



CONTINUATIO
DE
ULTIMO JUDICIO.



Quod Ultimum Judicium peractum sit.

1. n priori Opusculo de ULTIMO JUDICIO actum est de his: Quod Interitus Mundi non intellectus sit per diem Ultimi Judicii, n. 1 ad 5. Quod Procreationes Generis humani non cessaturæ sint, n. 6 ad 13. Quod Cælum & Infernum sint ex Humano Genere, n. 14 ad 22. Quod omnes, quotcunque nati sunt homines a principio creationis & defuncti, sint in Cælo vel in Inferno, n. 23 ad 27. Quod Ultimum Judicium futurum sit ubi omnes simul sunt, ita in Mundo spirituali & non in Terris, n: 28 ad 32. Quod Ultimum Judicium existat, quando finis Ecclesiæ est; & quod finis Ecclesiæ sit, quando non fides quia non charitas, n: 33 ad 39. Quod omnia, quæ in Apocalypsi prædicta sunt, hodie impleta sint, n: 40 ad 44. Quod Ultimum Judicium peractum sit, n: 45 ad 52. De Babylonia & ejus destructione, n: 53 ad 64. De priori Cælo & ejus abolitione, n: 65 ad 72. De statu Mundi & Ecclesiæ posthac, n: 73, 74.

2. Quod de Ultimo Judicio continuetur, est imprimis ut sciatur qualis status Mundi & Ecclesiæ fuit ante Ultimum Judicium, & qualis status Mundi & Ecclesiæ factus est post illud; tum, quomodo Ultimum Judicium peractum est super Reformatos.

3. Communis opinio in Christiano Orbe est, quod universum Cælum quod oculis spectatur, & quod universa Terra quæ ab hominibus habitatur, die Ultimi Judicii peritura sint, & quod novum Cælum & nova Terra loco illorum

 exsti-

exstitura; & quod tunc Animæ hominum recepturæ sint sua corpora, & sic homo futurus homo sicut prius. Hæc opinio fidei facta est ex eo, quod Verbum non aliter intellectum sit quam secundum sensum literæ ejus, nec aliter potuit intelligi, antequam sensus ejus spiritualis detectus est: tum ex eo, quod a multis inducta sit fides, quod Anima sit modo halitus exspiratus ab homine; quodque Spiritus sint substantiæ venti, similiter Angeli: quamdiu non plus in intellectu de animabus, deque spiritibus & de angelis fuit, non potuit aliter cogitari de Ultimo Judicio. Sed quando in intellectum venit, quod homo sit homo post mortem, quemadmodum fuit homo in mundo, cum sola differentia quod tunc indutus sit corpore spirituali, & non naturali sicut prius, & quod Corpus spirituale coram illis qui spirituales sunt, simile appareat, quemadmo- Corpus naturale apparet coram illis qui naturales sunt, tunc etiam in intellectum venire potest, quod Ultimum Judicium non futurum sit in Mundo naturali, sed in Mundo spirituali; in hoc Mundo enim omnes homines usquam nati & defuncti simul sunt.

4. Quando hoc in intellectum venit, tunc dissipari possunt paradoxa, quæ homo alioquin cogitaturus esset de statu animarum post mortem, de reunitione illarum cum corporibus putrefactis, & de destructione Universi creati, ita de Ultimo Judicio. De statu animarum post mortem cogitaturus esset hæc paradoxa; quod homo tunc esset sicut halitus, aut sicut ventus, aut sicut æther, vel volitans in aere, vel non manens in loco, sed in Ubi, quod vocant Pu, ac nihil videret quia non ei oculi, nihil audiret quia non ei aures, nihil loqueretur quia non ei os, ita foret cæcus, surdus & mutus, & jugiter in exspectatione, quæ non potest non tristis esse, de receptione functionum istarum animæ, ex quibus omne jucundum vitæ ejus est, die Ultimi Judicii: & quod in simili statu misero essent Animæ omnium hominum a prima creatione, & quod illi qui ante 50 ac 60 sæcula vixerunt, adhuc in aere similiter volitarent, aut in Pu manerent, & exspectarent judicium: præter lamentabilia alia.

5. Ut præteream paradoxa, quæ homo, qui non scit quod post mortem sit homo sicut prius, cogitaturus esset de destructione Universi; quæ similia sunt, & æque multa. Verum cum novit, quod homo post mortem non sit halitus aut ventus, sed quod sit Spiritus, ac si bene vixit, Angelus in Cælo, & quod spiritus & angeli sint in perfecta forma homines, tunc potest de statu hominum post mortem, & de Ultimo Judicio ex intellectu cogitare, & non ex fide separata ab intellectu, ex qua meræ traditiones exeunt: & quoque potest ex intellectu pro certo concludere, quod Ultimum Judicium, de quo prædicitur in Verbo, non exstiturum sit in Mundo naturali, sed in Mundo spirituali, ubi omnes simul sunt: tum etiam, quod Ultimum Judicium, quando fit, propter fidem Verbi, revelandum sit.

6. Separa te ab idea de Anima quod sit sicut halitus, & cogita tunc de statu tuo, aut de statu amicorum, aut de statu infantum tuorum post mortem, annon cogitabis quod victurus sis homo, & de illis similiter; & quia sine sensibus non datur vita quæ vita, non potes aliter cogitare, quam quod etiam videant, audiant & loquantur; ita quoque scribunt Parentatores super defunctis,

ponunt

ponunt illos in cælo inter angelos, in vestibus abis, & in paradisis: at posthac relabere in ideam, quod Anima sit halitus, & quod non prius vivat cum sensu quam post ultimum judicium, annon poteris insanire, cogitando, qualis ero, ubinam interea, num volabo in aere, vel manebo in Pu; docuit tamen Prædicator, quod post mortem inter beatos venturus sim si bene credidero & bene vixero. Credas itaque, sicut veritas est, quod sis homo post mortem sicut ante illam, cum sola differentia, quæ est inter naturale & spirituale: ita quoque cogitant omnes, qui credunt vitam æternam, & nihil sciunt de traditione hypothetica de anima.

7. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, constare potest, quod Ultimum Judicium non in Mundo naturali, sed in Mundo spirituali existere possit; quod etiam in illo Mundo exstiterit, videri potest ex illis, quæ in priori Opusculo de ULTIMO JUDICIO n: 45 ad 72, ex visis memorata sunt, ac ulterius ex sequentibus, quæ de Judicio super Reformatos ex visis memoranda sunt. Ille qui attendit, id quoque videre potest ex Novis, quæ de Cælo, de Verbo, & de Ecclesia nunc revelantur: quis homo potest talia sumere a se.

De statu Mundi & Ecclesiæ ante Ultimum Judicium, & post illud.

8. Quod Ultimum Judicium in Mundo spirituali peractum sit, constare potest ex illis quæ nunc supra dicta sunt: at vero ut aliquid sciatur de statu Mundi & Ecclesiæ ante illud & post illud, omnino scienda sunt hæc, I. Quid intelligitur per prius Cælum & per priorem Terram quæ transiverunt, Apoc. XXI. 1. II Quinam & quales fuerunt qui in priore Cælo & in priore Terra. III. Quod, antequam Ultimum Judicium super illos factum est, multa communicatio inter Cælum & Mundum, ita quoque inter Dominum & Ecclesiam intercepta fuerit. IV. Quod post Ultimum Judicium communicatio restituta sit. V. Quod inde sit, quod post Ultimum Judicium, & non prius, Revelationes pro Nova Ecclesia factæ sint. VI. Quod status Mundi & Ecclesiæ ante Ultimum Judicium fuerit sicut Vespera & Nox, post illud autem sicut Mane & Dies.

9. I. *Quid intelligitur per prius Cælum & per priorem Terram quæ transiverunt, de quibus in Apocalypsi Cap. XXI.* 1. Per prius Cælum & per priorem Terram ibi, non intelligitur cælum quod coram oculis hominum in mundo apparet, nec terra quæ ab hominibus incolitur; nec intelligitur Cælum prius, in quo sunt omnes a prima creatione qui bene vixerunt: sed intelliguntur Congregationes spirituum, qui inter Cælum & Infernum sibi tanquam Cælos fecerunt: & quia omnes Spiritus & Angeli habitant super terris, æque ac homines, inde per prius Cælum & priorem Terram illa intelliguntur. Quod illud Cælum & illa Terra transiverint, visum est, & ex visis descriptum in Opusculo de ULTIMO JUDICIO n. 45 ad 72.

10. II. *Quinam & quales fuerunt illi qui in priori Cælo & in priore Terra*, descriptum est in Opusculo de ULTIMO JUDICIO; sed quia ex cognitione, quinam & quales

quales fuerunt, pendet intellectus ſequentium, de illis etiam hic dicetur. Omnes illi, qui ſe congregaverunt ſub Cælo, & in variis locis ſibi tanquam cælos formaverunt, quos etiam cælos vocaverunt, fuerunt conjuncti cum Angelis Ultimi Cæli, ſed ſolum quoad externa, non autem quoad interna: pleriqne fuerunt hirci & ex eorum familia, de quibus apud Matthæum Cap. XXV. 41 ad 46; qui quidem in mundo non fecerunt mala, moraliter enim bene vixerunt, ſed non fecerunt bona ex origine boni, ſeparaverunt enim fidem a charitate, & inde mala non ut peccata aſpexerunt: hi quia in externis ut Chriſtiani vixerunt, conjuncti fuerunt Angelis ultimi Cæli, qui ſimiles illis in externis ſuut, ſed non ſimiles in internis, ſunt enim Oves, & in fide, ſed in fide charitatis. Propter illam conjunctionem non potuerunt non tolerari; nam ſeparare illos ante Ultimum Judicium, fuiſſet damnum inferre illis qui in ultimo Cælo erant, traherentur enim hi cum illis in perniciem. Hoc eſt quod Dominus prædixit apud Matthæum,, *Jeſus dixit Parabolam; ſimile eſt Regnum cælorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo: ſed dum dormiverunt homines, venit ejus inimicus, & ſeminavit Zizania & abivit: cum germinavit herba, & fructum fecit, tunc apparuerunt etiam Zizania: accedentes autem ſervi Patrisfamilias, & dixerunt illi, Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo, visne ergo abeuntes colligamus illa: ipſe vero dixit, non, ne forte colligentes Zizania, eradicetis ſimul cum illis Triticum: ſinite una creſcere utraque uſque ad meſſem; & tempore meſſis dicam meſſoribus, colligite prius Zizania, & colligate ea in faſciculos ad conburendum ea; Triticum vero congregate in horreum. Qui ſeminavit bonum ſemen eſt Filius hominis; ager eſt mundus; ſemen ſunt filii Regni; Zizania ſunt filii mali; meſſis eſt conſummatio ſæculi: quemadmodum ergo colliguntur Zizania, & comburuntur, ſic erit in conſummatione ſæculi*,, XIII. 24 ad 30. 37 ad 40; Conſummatio ſæculi eſt ultimum tempus Eccleſiæ; Zizania ſunt qui interius mali ſunt; Triticum ſunt qui interius boni ſunt; collectio illorum in faſciculos ad comburendum, eſt ultimum judicium ſuper illos; ne per ſeparationem ante ultimum judicium damnum inferatur bonis, intelligitur per ne colligendo Zizania eradicetis ſimul cum illis triticum, ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem.

11. III. *Quod antequam ultimum judicium ſuper illos factum eſt, multa communicatio inter Cælum & Mundum, ita inter Dominum & Eccleſiam, intercepta fuerit.* Omnis illuſtratio homini eſt a Domino per Cælum, ac intrat per viam internam; quamdiu inter Cælum & Mundum, ſeu inter Dominum & Eccleſiam, talium congregationes fuerunt, non potuit homo illuſtrari; fuit ſicut cum jubar Solis per atram interpoſitam nubem diſparatur; aut ſicut ſol per interjectam lunam ecclipſin patitur, ac lux ejus intercipitur: quare ſi tunc aliquid a Domino revelatum fuiſſet, hoc vel non intellectum, vel ſi intellectum uſque non receptum, vel ſi receptum uſque poſtea ſuffocatum fuiſſet. Nunc quia omnes illæ Congregationes interpoſitæ per ultimum judicium diſſipatæ ſunt, patet. IV *Quod communicatio inter Cælum & Mundum, ſeu inter Dominum & Eccleſiam, reſtituta ſit.*

12. V. *Quod inde ſit, quod poſt ultimum judicium peractum, & non prius, Revelationes pro Nova Eccleſia factæ ſint*; nam poſtquam per ultimum judicium com-

communicatio restituta est, potest homo illustrari & reformari, hoc est, Divinum verum Verbi intelligere, illud intellectum recipere, ac receptum retinere, obstacula enim interjecta remota sunt: quare Johannes, postquam prius cælum & prior terra transivit, dicit *se vidisse novum Cælum & novam Terram; & tunc urbem sanctam Hierosolymam descendentem a Deo e Cælo, paratam sicut sponsam coram Marito suo: & audivit Sedentem super throno dicentem, ecce Nova omnia facio*,, Apoc. XXI. 1. 2. 5; quod per Hierosolymam intelligatur Ecclesia, videatur in DOCTRINA DE DOMINO n. 62 ad 64: ac de Novis ejus, n. 65 ibi.

13. VI. *Quod status Mundi & Ecclesiæ ante ultimum judicium fuerit sicut Vespera & Nox, post illud autem sicut Mane & Dies.* Quando lux veri non apparet, & verum non recipitur, est status Ecclesiæ in mundo sicut Vespera & Nox; quod talis status ante ultimum judicium fuerit constare potest a supradictis n. 11; quando autem lux veri apparet, & verum recipitur, est status Ecclesiæ in mundo sicut Mane & Dies. Inde est, quod bini illi status Ecclesiæ in Verbo dicantur Vespera & Mane, tum Nox & Dies; ut in his,, *Dixit ad me Sanctus, usque ad Vesperam Mane bis mille trecenta; tunc justificabitur Sanctum*,, Dan. VIII. 14 ,, *Visio Vesperæ & Mane veritas est*,, Dan. VIII. 26. ,, *Erit dies unus, qui notus est Jehovæ, non Dies nec Nox, quia circa tempus Vesperæ erit lux*,, Sachar. XIV. 7. ,, *Ad me clamans e Scir, custos quid de Nocte, dixit custos, venit Mane, etiamque Nox*,, Esaj. XXI. 12. ,, Jesus de Ultimo tempore Ecclesiæ,, *Vigilate, non enim scitis, quando Dominus domus venturus sit, Vesperi, media Nocte, in Gallinaceo, an Mane*,, Marc. XIII. 35. ,, *Jesus dixit, Me oportet operari quando Dies est, venit Nox quando nemo potest operari*,, Joh. IX. 4: & alibi, ut Esaj. XVII. 14. Jer. VI. 4. 5. Psalm. XXX. 6. Psalm. LXV. 9. Psalm. XC. 6. Quia per Vesperam & Noctem talia intelliguntur, ideo Dominus, ut impleret Verbum, etiam in Vespera sepultus est, & postea Mane resurrexit.

De Ultimo Judicio super Reformatos.

14. In priori Opusculo de ULTIMO JUDICIO actum est de Judicio super illos, qui per Babylonem intelliguntur; tum aliquid de Judicio super Mahumedanos, & super Gentes; sed non de Judicio super Reformatos; solum dictum est, quod Reformati sint in medio, ordinati secundum Patrias ibi, & quod circum illos Pontificii, circum hos Mahumedani, & circum hos Gentes & Populi ex varia Religione. Quod Reformati Medium seu Meditullium constituerint, erat causa, quia ab illis legitur Verbum, & colitur Dominus, & inde apud illos maxima Lux est, & Lux spiritualis, quæ a Domino ut Sole, qui in sua essentia est Divinus Amor, procedit, se quaquaversum extendit, ac illustrat etiam illos qui in peripheriis circumcirca sunt, & aperit facultatem intelligendi vera, quantum ex religione recipere possunt. Lux enim Spiritualis in sua essentia est Divina Sapientia, ac intrat apud hominem in intellectum ejus, quantum is ex cognitionibus receptis in facultate percipiendi est, nec per spatia vadit sicut lux mundi, sed per affectiones & perceptiones veri, ita in instanti

ti ad ultimos fines cælorum. Ex his ſunt apparentiæ ſpatiorum in illo Mundo. De his videantur plura in DOCTRINA DE SCRIPTURA Sacra n. 104 ad 113.

15. Sed de Ultimo Judicio ſuper Reformatos in hoc ordine dicetur: I Super quos ex Reformatis Ultimum Judicium factum eſt. II. De Signis & Viſitationibus ante Ultimum Judicium. III. Univerſale Judicium quomodo factum eſt IV. De ſalvatione Ovium.

16. I. *Super quos ex Reformatis Ultimum Judicium factum eſt.* Ultimum Judicium non ſuper alios ex Reformatis factum eſt, quam ſuper illos, qui in Mundo profeſſi ſunt Deum, legerunt Verbum, audiverunt prædicationes, obiverunt ſacramentum Cænæ, ac ſolennia cultus Eccleſiæ non neglexerunt; & tamen ut licita reputaverunt adulteria, varii generis furta, mendacia, vindictas, odia, & ſimilia; hi tametſi Deum profeſſi ſunt, uſque nihili fecerunt peccata contra Ipſum; Verbum legerunt & uſque nihili fecerunt præcepta vitæ ibi; audiverunt prædicationes & uſque nihil attenderunt; ſacramentum Cænæ obiverunt & uſque non a prioris vitæ malis deſtiterunt; ac ſolennia cultus non neglexerunt, & uſque nihil emendarunt vitam; ita vixerunt in externis ſicut ex religione, & tamen in internis nulla illis religio fuit. Hi ſunt qui per Draconem in Apocalypſi Cap. XII intelliguntur, nam de Dracone ibi dicitur, quod viſus ſit in Cælo, quod cum Michaele in Cælo pugnaverit, & quod e Cælo detraxerit tertiam partem ſtellarum; quæ dicta ſunt, quia tales per profeſſionem Dei, lectionem Verbi, & per cultum externum, communicaverunt cum Cælo. Iidem etiam intelliguntur per Hircos apud Matthæum Cap. XXIV, ad quos non dicitur quod mala fecerint, ſed quod omiſerint bona facere; & illi omnes omittunt bona, quæ bona ſunt, facere, quia mala ut peccata non fugiunt, & tametſi illa non faciunt, uſque licita reputant, & ſic ſpiritu faciunt illa, & quoque corpore dum licet.

17. Super omnes illos ex Reformatis Ultimum Judicium factum eſt, non autem ſuper illos, qui non crediderunt Deum, contemſerunt Verbum, & Sancta Eccleſiæ corde rejecerunt; nam hi omnes, dum e Mundo naturali in Mundum ſpiritualem venerunt, conjecti ſunt in Infernum.

18. Omnes qui in externis vixerunt ſicut Chriſtiani, & nihili fecerunt Chriſtianam vitam, exterius unum fecerunt cum Cælis, ſed interius cum Infernis, & quia a conjunctione illorum cum Cælo non potuerunt momento evelli, detenti ſunt in Mundo ſpirituum, qui medius eſt inter Cælum & Infernum, & permiſſum eſt illis ſocietates formare, & una vivere ſicut in mundo, & ibi per artes in mundo ignotas ſiſtere ſplendida, & per id perſuadere ſibi & aliis, quod in Cælo eſſent; quare ex apparentia illa externa ſocietates ſuas vocaverunt Cælos. Illi Cæli & illæ Terræ ſuper quibus habitabant, ſunt quæ intelliguntur per Cælum prius & Terram priorem, quæ tranſiverunt, Apoc. Cap. XXI. 1.

19. Interea cum ibi permanſerunt, occluſa ſunt interiora mentis eorum, & aperta exteriora; per quod non apparuerunt illorum mala, per quæ unum faciebant cum infernis: at cum inſtabat Ultimum Judicium, recluſa ſunt interiora, & tunc coram omnibus apparuerunt quales erant; & quia tunc unum agebant cum infernis, non amplius vitam Chriſtianam potuerunt ſimulare, ſed ex

ju-

jucundo ruebant in omnis generis mala & flagitia, ac versi sunt in diabolos, & quoque sicut illi visi sunt, quidam nigri, quidam ignei, & quidam lividi sicut cadavera; qui in fastu propriæ intelligentiæ fuerant visi sunt nigri, qui in vesano amore imperandi super omnes visi sunt ignei; & qui in neglectu & contemtu veri visi sunt lividi sicut cadavera. Ita Scenæ theatrorum istorum mutatæ sunt.

20. Reformati in Mundo spirituum, qui est medius inter Cælum & Infernum, constituunt intimum ejus, seu faciunt meditullium, & ibi ordinati sunt secundum Patrias: in illo Meditullio sunt Angli in medio; Hollandi ad meridiem & orientem; Germani ad septentrionem; Sueci ad occidentem & septentrionem; & Dani ad occidentem: sed in Meditullio illo non sunt alii quam qui vitam charitatis ac ejus fidei vixerunt: Societates illorum ibi plures sunt: circum illos sunt Reformati, qui non vitam fidei & charitatis degerunt: hi sunt qui sibi sicut cælos fecerunt. Sed alia omnium ordinatio est in Cælo, & quoque in Inferno. Quod Reformati meditullium ibi faciant, est quia apud illos Verbum legitur, & Dominus etiam colitur, ex quo ibi maxima lux est, quæ lux inde ut a centro propagatur in omnes peripherias, ac illustrat: Lux enim in qua sunt spiritus & angeli, procedit a Domino ut Sole, qui in sua essentia est Divinus Amor, & inde Lux procedens in sua essentia est Divina Sapientia, inde est omne spirituale istius Mundi. De Domino ut Sole in Mundo spirituali, & de Luce & Calore ex eo, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO, n. 116 ad 140.

21. Omnis ordinatio Societatum in illo Mundo est ordinatio secundum differentias amoris; causa est, quia amor est vita hominis, & Dominus, qui est Ipse Divinus Amor, ordinat illas secundum receptiones ejus; ac differentiæ amorum sunt innumerabiles, quas nemo scit nisi Solus Dominus. Conjungit Societates ita, ut omnes quasi unam vitam hominis agant; Societates cælorum ut unam vitam amoris cælestis & spiritualis; Societates infernorum ut unam vitam amoris diabolici & infernalis; conjungit Cælos & Inferna per oppositiones Quia talis ordinatio est, ideo unusquisque homo post mortem abit in Societatem amoris sui, nec potest alio abire, amor enim ejus contranititur. Inde est, quod in Cælo sint qui in amore spirituali sunt, in Inferno autem qui in solo amore naturali: amor spiritualis unice per vitam charitatis inditur, & amor naturalis manet naturalis, si vita charitatis omittitur; & amor naturalis, si non subjectus est amori spirituali, est ei oppositus.

22. Ex his constare potest, quinam ex Reformatis sunt, super quos Judicium factum est, quod non super illos qui in Meditullio sunt, sed super illos qui circum illud; qui, ut dictum est, exterius sicut Christiani ex moralitate externa apparuerunt, sed interius non Christiani ex nulla spirituali vita fuerunt.

23. *De Signis & Visitationibus ante Ultimum Judicium.* Visum est super illos, qui sibi sicut cælos fecerunt, sicut nimbosum, quod apparuit ex præsentia Domini in Cælis angelicis, qui supra illos, imprimis ex præsentia Ipsius in Cælo ultimo, ne aliqui ex illis propter conjunctionem auferrentur & simul perirent. Cæli superiores etiam propius ad illos delati sunt, per quod interiora eorum,

ſuper quos Judicium venturum erat, recludebantur: quibus reclusis non amplius apparuerunt ſicut Chriſtiani morales, ut prius, ſed ſicut dæmones; tumultuabantur & rixabantur inter ſe de Deo, de Domino, de Verbo, de Fide, & de Eccleſia: & quia concupiſcentiæ ad mala tunc etiam in liberum emiſſæ ſunt, rejecerunt omnia illa cum contemtu & ſubſannatione, & in flagitia omnis generis ruebant. Ita ſtatus Cælicolarum iſtorum mutatus eſt. Tunc ſimul omnia ſplendida illorum, quæ per artes in mundo ignotas ſibi fecerant, evanuerunt, palatia eorum verſa ſunt in viles caſas, horti in ſtagna, templa in rudera, ac ipſi colles, ſuper quibus habitabant, in ſcrupeta, & in ſimilia alia, quæ flagitioſis illorum animis & cupiditatibus correſpondebant. Nam omnia viſibilia Mundi ſpiritualis ſunt correſpondentiæ affectionum, quæ ſunt apud ſpiritus & angelos. Hæc erant ſigna venturi Judicii.

24. Sicut recluſio interiorum increvit, ita ordo inter habitantes mutatus & inverſus eſt; illi qui maxime invaluerunt ratiociniis contra ſancta Eccleſiæ, irruperunt in medium, & dominium ceperunt; ac reliqui, qui minus valuerunt ratiociniis, ad latera circumcirca ſeceſſerunt, & illos qui in medio erant, pro ſuis angelis tutoribus agnoverunt: ita colligaverunt ſe in facies inferni.

25. Circa has mutationes ſtatus illorum, factæ ſunt variæ concuſſiones habitationum & terrarum apud illos, quas ſequuti ſunt terræ motus, ingentes ſecundum averſiones: & quoque hic & ibi facti ſunt hiatus verſus inferna, quæ ſub illis erant, & ſic aperta eſt communicatio cum illis; viſi tunc ſunt halitus aſcendentes ſicut fumi commixti ſcintillis ignis. Hæc quoque fuerunt ſigna, quæ præceſſerunt: quæ etiam per Domini verba de conſummatione ſæculi & tunc de Ultimo Judicio apud Evangeliſtas, intelliguntur: „ *Suſcitabitur gens contra gentem; terræ motus magni diverſis locis: terribilia quoque ſigna de cælo magna erunt. Et erit anguſtia gentium reſonante mari & ſalo.*

26. VISITATIONES etiam factæ ſunt per angelos; nam antequam aliqua ſocietas male ſarta perit, viſitatio ſemper præcedit: Angeli exhortabantur illos ut deſiſterent, & ſi non, denuntiabant illis exitium. Tunc etiam explorabant, num aliqui boni illis intermixti eſſent, quos ſeparabant: ſed turba excitata ab anteſignanis ſuis, contumeliis illos afficiebant, irruentes ut in forum illos traherent, ac nefandis modis affligerent: factum eſt ibi ſicut in Sodoma. Pleri- que ex illis fuerunt ex fide ſeparata a charitate; & quoque aliqui, qui charitatem profeſſi ſunt, & uſque flagitioſe vixerunt.

27. III. *Univerſale Judicium quomodo factum eſt.* Poſtquam Viſitationes & Signa prænuntia futuri Judicii animos illorum ab actibus facinoroſis, & quoque a machinationibus ſeditioſis contra illos, qui agnoſcebant Dominum pro Deo Cæli & Terræ, ſanctum habebant Verbum, & vitam charitatis agebant, deflectere non potuerunt, ſupervenit Ultimum Judicium. Hoc ita factum eſt.

28. Viſus eſt Dominus in candida nube cum angelis, & auditus eſt ſonus inde ſicut tubarum; quod ſignum repræſentativum tutationis Angelorum cæli a Domino erat, & collectionis bonorum ab undequaque; Dominus enim non infert alicui exitium, ſed modo tutatur ſuos, & abſtrahit a communicatione cum malis, quibus abſtractis mali in ſuas concupiſcentias veniunt, & ex illis

ruunt

ruunt in nefaria omnis generis. Tunc visi sunt omnes qui perituri simul sicut magnus Draco cum Cauda in curvum extensa, & versus cælum elevata, & in alto diversimode se inflectente, sicut vellet destruere cælum, ac detrahere illud; sed irrito conatu, nam dejecta est Cauda, & Draco, qui etiam tunc elevatus apparuit, subsidit. Hanc Repræsentationem mihi datum est videre, ut scirem & notum facerem quinam per Draconem in Apocalypsi intelliguntur; quod nempe per Draconem intelligantur omnes qui Verbum legunt, prædicationes audiunt, & sancta Ecclesiæ obeunt, ac nihili faciunt concupiscentias mali, quibus inescati sunt, ac intus cogitant furta & fraudes, adulteria & obscæna, odia & vindictas, mendacia & blasphemias, ac ita spiritu vivunt sicut diaboli, & corpore sicut Angeli; hi erant qui ipsum Draconem constituebant; qui autem Caudam, erant qui in fide separata a charitate in mundo fuerunt, ac prioribus similes quoad cogitationes & intentiones.


29. Vidi tunc Petras, super quibus erant, quasdam subsidentes usque ad ima; quasdam translatas in longinqua; quasdam apertas in medio, & per antrum dejectos qui supra erant; quasdam inundatas sicut diluvio; ac multos secundum genera & species mali collectos in cætus, sicut in fasciculos, & conjectos huc illuc in voragines, paludes, stagna & deserta, totidem inferna: reliqui, qui non super petris erant, hinc illinc dispersi, & tamen in similibus malis, attoniti aufugerunt ad Pontificios, Mahumedanos & Gentes, ac religionem illorum fassi sunt; hoc potuerunt absque motione animi facere, quia illis nulla religio fuerat; sed usque ne quoque illos seducerent, abacti sunt, & ad socios suos in infernis detrusi. Hoc fuit exitium illorum universaliter descriptum; particularia, quæ vidi, sunt plura, quam ut hic describi possint.

30. *De salvatione Ovium.* Postquam Ultimum Judicium peractum est, tunc factum est Gaudium in Cælo, & quoque facta Lux in Mundo spirituum, qualis non prius fuerat; Gaudium in Cælo, quale, postquam draco dejectus est, describitur in Apocalypsi Cap. XII. 10, 11, 12; & Lux in Mundo spirituum, quia societates illæ infernales interpositæ fuerunt sicut nubes, quæ obtenebrant terram: similis Lux etiam tunc exorta est hominibus in mundo, ex qua illis nova illustratio.

31. Vidi tunc Angelicos spiritus ex Inferis assurgentes in multa copia, & elevatos in cælum, qui fuerunt Oves, ibi reservati & custoditi a Domino a sæculis retro, ne venirent in malignam sphæram a Draconicis effluentem, & charitas eorum suffocaretur. Hi sunt qui intelliguntur in Verbo per exeuntes e sepulchris; tum per animas occisorum propter testimonium Jesu, qui evigilarunt; & per illos qui e resurrectione prima sunt.



CONTINUATIO DE MUNDO SPIRITUALI.



De Mundo Spirituali.

32. DE Mundo Spirituali actum est in singulari Opere de CÆLO ET INFERNO, in quo descripta sunt plura istius Mundi, & quia omnis homo post mortem in illum Mundum venit, descriptus etiam ibi est status ejus tunc. Quis non novit, quod homo post mortem victurus sit, quia natus est homo, & creatus ad imaginem Dei, & quia Dominus in Verbo suo id docet: sed qualis vita ei futura est, hactenus ignotum fuit; creditum est, quod tunc esset Anima, de qua non aliam ideam ceperunt, quam sicut de aere aut æthere, in quo cogitativum quid resideret, absque visu qualis est oculi, absque auditu qualis est auris, & absque loquela qualis est oris; cum tamen homo est homo æque post mortem, & talis homo ut non sciat aliter quam quod adhuc sit in priori mundo; videt, audit, loquitur sicut in priori mundo; ambulat, currit, sedet sicut in priori mundo; edit & bibit sicut in priori mundo; dormit & evigilat sicut in priori mundo; delitio conjugiali fruitur sicut in priori mundo; verbo est homo quoad omnia & singula: ex quo patet, quod mors sit modo continuatio vitæ, & quod sit modo transitus.

33. Quod homo hunc suum statum post mortem non sciverit, sunt plures causæ, inter illas etiam est, quod non potuerit illustrari, tam parum fidei apud illum fuit de Immortalitate animæ; ut constare potest ex multis, etiam Eruditis, qui se credunt bestiis similes, & modo perfectiores illis quod possint loqui, & ideo corde suo negant vitam post mortem, tametsi illam ore fatentur: ex qua illorum cogitatione ita sensuales facti sunt, ut non potuerint credere, quod homo sit homo post mortem, quia illum oculis suis non vident, dicunt enim

enim quomodo poteſt anima talis eſſe. Aliter qui ſe victuros poſt mortem credunt, illi interius in ſe cogitant, quod in cælum venturi ſint, delitiis fruituri cum angelis, paradiſos cæleſtes viſuri, & in veſtibus albis ſtaturi coram Domino, & plura; hæc interior eſt illorum cogitatio; exterior poteſt divagari ab illa, quando cogitant de anima ex hypotheſi Eruditorum.

34 Quod homo ſit æque homo poſt mortem, tametſi non coram oculis apparet, conſtare poteſt ex Angelis viſis Abrahamo, Guideoni, Danieli, & aliis prophetis, ex Angelis viſis in ſepulchro Domini, ac poſtea multoties Johanni in Apocalypſi; cumprimis ex Ipſo Domino, qui quod eſſet Homo oſtendit diſcipulis per tactum & per eſum, & tamen coram oculis illorum inconſpicuus factus eſt. Quod viderint, erat, quia tunc aperti ſunt oculi ſpiritus illorum; & cum hi aperiuntur, apparent illa quæ in Mundo ſpirituali ſunt, æque clare ſicut illa quæ in Mundo naturali.

35. Quia Domino placuit aperire mihi oculos ſpiritus mei, ac apertos tenere nunc per novendecim annos, datum eſt videre illa quæ in Mundo ſpirituali ſunt, & quoque illa deſcribere. Aſſeverare poſſum, quod illa non ſint Viſiones, ſed quod ſint Visa in omni vigilia.

36. Differentia inter hominem in Mundo naturali, & hominem in Mundo ſpirituali, eſt quod hic homo corpore ſpirituali indutus ſit, ille autem corpore naturali, & homo ſpiritualis videt hominem ſpiritualem æque clare ac homo naturalis videt hominem naturalem; ſed non poteſt homo naturalis videre hominem ſpiritualem, nec homo ſpiritualis videre hominem naturalem, propter differentiam inter naturale & ſpirituale, quæ qualis eſt, deſcribi poteſt, ſed non paucis.

37. Ex viſis per tot annos, poſſum ſequentia referre; quod in Mundo ſpirituali ſint æque Terræ ſicut in Mundo naturali, quodque ſint Colles & Montes, tum Planities & Valles; & quoque Fontes & Fluvii, tum Lacus & Maria: quod ſint Paradiſi & Horti, tum Luci & Sylvæ: quod ſint Palatia & Domus; tum quod ſint Scripturæ & Libri: quodque ſint Functiones & Negotiationes; & quod ſint Lapides pretioſi, Aurum & Argentum: verbo, quod ſint omnia & ſingula quæcunque in Mundo naturali, & illa in Cælis infinite perfectiora.

38. Sed differentia in genere hæc eſt, quod omnia quæ in Mundo ſpirituali ſunt, ex origine ſpirituali ſint, & inde quoad eſſentiam ſpiritualia, ſunt ex Sole ibi qui eſt purus Amor; & quod omnia quæ in Mundo naturali ſunt, ex origine naturali ſint, & inde quoad eſſentiam naturalia, ſunt enim ex Sole ibi qui eſt purus Ignis. Ex eo eſt, quod homo ſpiritualis nutriendus ſit cibo ex origine ſpirituali, ſicut homo naturalis cibo ex origine naturali. Plura videantur in Opere de Cælo et Inferno.

De Anglis in Mundo ſpirituali.

39. Sunt duo ſtatus cogitationis apud hominem, Externus & Internus; homo in Externo eſt in Mundo naturali, in Interno eſt in Mundo ſpirituali; hi ſtatus unum faciunt apud bonos, ſed non unum apud malos; qualis homo quoad Internum ſuum eſt, raro patet in Mundo naturali, quoniam ab infantia voluit moralis eſſe, & didicit videri, ſed in Mundo ſpirituali clare apparet qualis eſt; lux ſpiritualis hoc detegit, eſt quoque homo tunc ſpiritus, & ſpiritus eſt internus homo. Nunc quia mihi datum eſt in illa luce eſſe, & ex illa videre, quales Interni homines ſunt ab uno Regno & ab altero, hoc per commercium plurium annorum cum angelis & ſpiritibus, me oportet, quia intereſt, id manifeſtare: hic modo aliquid de nobili Gente Anglica.

40. Meliores ex Gente Anglica in Centro omnium Chriſtianorum ſunt, videatur ſupra n. 20. quod in centro ſint, eſt ex cauſa, quia illis lux intellectualis interior eſt; hæc non apparet alicui in Mundo naturali, ſed apparet conſpicue in Mundo ſpirituali; trahunt hanc lucem a libertate cogitandi, & inde loquendi & ſcribendi, in qua ſunt: apud alios, qui in tali libertate non ſunt, lux intellectualis, quia non habet exitum, offunditur. Verum lux illa non eſt activa ex ſe, ſed fit activa ex aliis, imprimis a viris famæ & auctoritatis apud illos; ut primum ab his aliquid dicitur, aut ab illis approbatum legitur, lux illa exſplendeſcit, & raro prius. Propter hanc cauſam illis in Mundo ſpirituali præficiuntur Moderatores, & dantur Sacerdotes incluti fama ex eruditione ac præpollente ingenio, quorum mandatis & monitis ex illa ſua indole benevole obediunt.

41. Raro exeunt e Societate ſua, quia illam amant ſicut in Mundo Patriam: eſt quoque ſimilitudo animorum inter illos, ex qua cum amicis qui ex patria eorum ſunt, ligant familiaritatem, & raro cum aliis: mutuam opem etiam invicem ferunt; ac ſinceritatem amant.

42. Sunt binæ Urbes magnæ ſimiles Londino, in quas plerique Angli poſt mortem veniunt; has datum eſt videre, & quoque perambulare. Medium iſtius Urbis eſt ubi in Londino Angliæ Conventus mercatorum, qui vocatur Exchange; ibi habitant Moderatores: ſupra illud medium eſt Oriens; infra illud eſt Occidens; a latere dextro eſt Meridies; a latere ſiniſtro eſt Septentrio. In Plaga orientali habitant qui vitam charitatis præ reliquis egerunt, ibi ſunt Palatia magnifica; in Plaga meridionali habitant ſapientes, apud quos plura ſplendida ſunt; in Plaga ſeptentrionali habitant qui præ cæteris amant libertatem loquendi & ſcribendi; in Plaga occidentali habitant qui fidem profitentur; ad dextrum ibi in hac Plaga eſt introitus in hanc urbem, & eſt exitus ab illa; illi qui male vivunt, emittuntur ibi. Presbyteri, qui in Occidente ſunt, qui, ut dictum eſt, fidem profitentur, non audent per plateas magnas, ſed per vicos anguſtiores, intrare urbem, quoniam non alii habitatores in ipſa urbe tolerantur, quam qui in fide charitatis ſunt. Audivi conqueſtos de Prædicatoribus in Occidente, quod ſermones ſuos tali arte & ſimul eloquio concinnent,

cinnent, ac ignotam illis justificationem per fidem, involvant, ut nesciant num bonum faciendum sit vel non; prædicant bonum intrinsecum, & id separant a bono extrinseco, quod quandoque vocant meritorium, & sic non acceptum Deo, sed usque vocant bonum, quia utile: sed cum illi, qui in Plaga Urbis orientali & meridionali habitant, tales sermones mysticos audiunt, exeunt Templis; & Prædicatores postea deprivantur sacerdotio.

43 Altera magna Urbs Londino similis non in Meditullio Christiano, de quo n. 20. sed extra illud in septentrione jacet: in illam post mortem veniunt illi, qui interius mali sunt: in medio ejus est aperta communicatio cum Inferno, a quo etiam per vices absorbentur.

44. Quondam audivi Presbyteros ex Anglia de sola fide inter se loquentes; & vidi quoddam Simulachrum ab illis factum, quod solam fidem repræsentaret: hoc apparuit in obscuro lumine sicut magnus Gigas, & coram oculis illorum sicut homo pulcher; sed cum immissa est lux e Cælo, apparuit illud superius sicut monstrum, & inferius sicut serpens, non absimile secundum descriptionem idolo Philisthæorum Dagoni: quo viso recesserunt, & ab adstantibus conjectum est in stagnum.

45. Ex illis qui ex Anglia in Mundo spirituali sunt, perceptum est, quod illis sit sicut duplex Theologia, una ex doctrina fidei, & altera ex doctrina vitæ, ex doctrina fidei illis qui initiantur in sacerdotium, ex doctrina vitæ illis qui non sacerdotio initiati sunt, & vulgo vocantur Laici: hæc doctrina exstat in Oratione quovis die Sabbathi prælecta in Templis coram illis qui Sacramentum Cænæ obeunt, in qua aperte dicitur, quod si mala ut peccata non fugiunt, se in damnationem æternam conjiciant, & quod alioquin, si ad sanctam Communionem accederent, diabolus in illos intraturus sit sicut in Judam. De hac doctrina vitæ non concordante cum doctrina fidei eorum, quandoque loquutus sum cum sacerdotibus, qui nihil respondebant, sed cogitabant quæ non eloqui ausi sunt. Orationem illam videas in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA, n. 5, 6, 7.

46. Sæpius vidi aliquem Anglum, qui celebris factus est per Librum, quem ante annos ediderat, in quo conjunctionem fidei & charitatis per influxum & operationem interiorem Spiritus Sancti constabilire fategerat, tradens quod ille influxus inexpressibili modo & non conscio homine afficeret, sed non tangeret minus manifeste moveret voluntatem aut excitaret cogitationem hominis ad faciendum aliquid sicut a se, nisi permissive, propter causam ne aliquid hominis in Divinam Providentiam una intraret; tum quod sic mala coram Deo non apparerent; ita excludens exercitia charitatis externa propter aliquid salutis, sed favens illis propter bonum publicum: quia argumentationes ejus erant ingeniosæ, & non visus est anguis in herba, Liber ille sicut ortodoxissimus receptus est. Idem Auctor post excessum e mundo simile dogma retinuit, nec ab illo potuit recedere quia apud se confirmatum. Cum illo loquuti sunt Angeli, & dixerunt, quod illud non veritas esset, sed modo ingeniositas cum facundia; & quod Veritas sit, quod homo malum fugere & bonum facere debeat sicut a se, cum agnitione tamen quod sit a Domino, & quod fides antea non sit,

minus

minus adhuc illa cogitatio, quam vocat fidem: & quia hoc ejus dogmati repugnabat, permissum est ei ex sua sagacitate adhuc inquirere, num talis influxus incognitus & operatio interna absque operatione externa hominis detur; visus est tunc intendere mentem, & in cogitatione pervagari vias, semper in persuasione, quod homo non aliter redintegretur & salvetur; sed quoties ad finem viæ pervenit, aperti sunt ei oculi, & vidit se errantem, quod etiam coram præsentibus fassus est. Vidi illum per biennium ita vagantem, & in fine viarum fatentem quod non detur talis influxus, nisi remotum sit malum in externo homine, quod fit per fugere mala ut peccata sicut a se ipso; & audivi illum tandem dicentem, quod ex fastu propriæ intelligentiæ insanirent omnes, qui in hæresi illa se confirmant.

47. Loquutus sum cum Melanchtone, & tunc quæsivi illum in quo statu esset, ad quod respondere non voluit; quare informatus sum ab aliis de sorte ejus, quæ est quod per vices in Camera saxea lacunata sit, & per vices in Inferno; & quod in camera propter frigus pelle ursina appareat indutus, & quod advenas e mundo, qui illum propter nominis ejus famam adire volunt, in lacunar suum non admittat propter immunditiem ibi. Loquitur adhuc de sola fide, quam præ aliis in mundo stabilivit.

De Hollandis in Mundo spirituali.

18. Supra n. 20 dictum est, quod Christiani, apud quos Verbum legitur & Dominus colitur, in Medio Gentium & Populorum totius Orbis spiritualis sint, ex causa, quia maxima Lux spiritualis apud illos est, & Lux inde sicut a Centro propagatur in omnes peripherias usque ad ultimas, ac illustrat, secundum illa quæ in Doctrina Novæ Hierosolymæ de Scriptura Sacra n. 104 ad 113, dicta sunt. In hoc Medio Christiani Reformati sortiti sunt loca secundum receptionem Lucis spiritualis a Domino; & quia Angli lucem illam in intellectuali parte apud se reconditam habent, ideo in intimo istius Medii sunt; & quia Hollandi Lucem illam lumini naturali propius conjunctam tenent, & inde non apparet apud illos tale niveum lucis, sed loco ejus aliquod non transparens, receptivum rationalitatis ex spirituali luce & simul ex spirituali calore, in Meditullio illo Christiano habitationes nacti sunt in Oriente & Meridie, in Oriente ex facultate recipiendi calorem spiritualem, qui illis est charitas, & in meridie ex facultate recipiendi lucem spiritualem, quæ illis est fides. Quod Plagæ in Mundo spirituali non sint sicut Plagæ in Mundo naturali, & quod habitationes secundum plagas sint habitationes secundum receptionem fidei & amoris, & quod in Oriente sint qui præstant amore & charitate, & in Meridie qui præstant intelligentia & fide, videatur in Opere de Cælo et Inferno n. 141 ad 153. Causa quod in illis Meditullii Christiani plagis sint, est quoque quia Negotiatio est amor finalis eorum, & pecunia amor medius inserviens, & ille amor est spiritualis: at ubi pecunia est amor finalis, & negotiatio amor medius inserviens, est amor naturalis, & trahit ex avaritia.

In

In supradicto amore spirituali, qui in se spectatus est bonum commune, in quo & ex quo est bonum Patriæ, sunt Hollandi præ aliis.

49. Hollandi principiis suæ Religionis firmius inhærent quam alii, nec dimoventur ab illis, & si convincuntur quod hoc aut illud non concors sit, usque non affirmant, sed vertunt se retro, & permanent immoti; ita quoque amovent se ab intuitione veri interiore; rationale enim suum de Spiritualibus concludunt sub obedientia. Quia tales sunt, ideo illi post mortem, dum in Mundum spiritualem veniunt, prorsus aliter præparantur ad recipiendum Spirituale Cæli, quod est Divinum Verum, quam reliqui; non docentur, quia non recipiunt, sed describitur illis Cælum, quale est, & dein datur illis asendere illuc, ac videre illud, & tunc quicquid concordat cum genio illorum, infunditur, sic demissi redeunt ad suos cum pleno desiderio Cæli. Si tunc non recipiunt hoc Verum, quod Deus unus sit persona & essentia, & quod ille Deus sit Dominus, & quod in Ipso sit Trinitas, tum hoc Verum quod Fides & Charitas cognitione & sermone non faciant quicquam absque vita illarum, & quod illæ dentur a Domino dum fugiunt mala ut peccata: si ad illa, cum docentur, se avertunt, & usque cogitant de Deo, quod sint tres quoad Personas, & de Religione solum quod sit, rediguntur in miserias, & aufertur illis negotiatio, usque dum vident se ad incitas redactos; & tunc perducuntur ad illos qui abundant omnibus, & apud quos negotiatio floret, ac ibi insinuatur illis e Cælo cogitatio, unde est quod tales sint, & simul reflexio super fidem eorum de Domino, & super vitam eorum, quod aversentur mala ut peccata; parum etiam inquirunt, & percipiunt concordantiam cum propria cogitatione & reflexione: hoc fit per vices: tandem ex semet cogitant, quod, ut exeant a miseriis, similiter credendum sit & similiter faciendum; tunc sicut recipiunt illam fidem & vivunt illam charitatis vitam, datur illis opulentia & jucunditas vitæ: hoc modo illi, qui in mundo aliquam vitam charitatis egerunt, emendantur a se, & non ab aliis, ac præparantur ad Cælum. Hi postea constantiores fiunt aliis, adeo ut dici queant Constantiæ, nec se ex aliqua ratiocinatione, fallacia, obscuritate inducta per sophistica, & ex visione præpostera a solis confirmationibus, abduci patiuntur.

50. Hollandi dignoscuntur probe ab aliis in Mundo spirituali, quia in similibus vestibus apparent sicut in Mundo naturali, cum differentia quod in nitidioribus illi, qui receperunt fidem & vitam illam spiritualem. Quod in similibus vestibus appareant, est causa quia in principiis Religionis suæ constanter manent; & in Mundo spirituali omnes vestiuntur secundum illa; quare vestimenta alba & ex bysso sunt illis qui in Divinis veris sunt.

51. Urbes in quibus Hollandi habitant, sunt singulari modo custoditæ; omnes Plateæ in illis sunt tectæ, & in plateis sunt portæ, propter causam ne spectentur e petris & collibus circum; hoc fit illis propter insitam illis prudentiam occultandi sua consilia, & non divulgandi suas intentiones; nam talia in Mundo spirituali per inspectiones protrahuntur. Cum aliquis animo explorandi statum illorum in Urbem venit, ille dum exiturus est, ducitur ad portas platearum clausas, & sic reducitur & ducitur ad plures, & hoc usque ad sum-

mam molestiam, & tunc emittitur; hoc ob finem ne redeat. Uxores, quæ imperium super maritos affectant, habitant ad unum latus urbis, nec sæpius conveniunt, quam cum invitantur, quod fit civili modo; & tunc illas etiam deducunt ad domos, ubi conjuges absque imperio unius super alterum vivunt; & ostendunt quam ornatæ & mundæ illorum domus sunt, & quam jucundum vitæ illis est, & quod hæc sint ex mutuo & conjugiali amore: illæ, quæ ad hæc attendunt & afficiuntur, desistunt a dominio, & una vivunt, & tunc nanciscuntur habitationem propius ad medium, & vocantur Angeli. Causa est, quia amor conjugialis est amor cælestis, qui est absque imperio.

53. Diebus Ultimi Judicii vidi ex Urbibus ibi, & ex villis & terris circum, ex illa Natione ejectos ad plura millia, qui in mundo nihil boni fecerunt ex aliqua religione seu conscientia, sed solum propter famam ut sinceri apparerent lucri causa; tales enim, cum intuitio famæ & lucri aufertur, quod fit in Mundo spirituali, tunc ruunt in omne nefas, spoliando obvios quoscunque offendunt, dum in campis & extra urbes sunt. Illos conjectos vidi in Voraginem igneam tendentem sub tractum orientalem, & in Cavernam tenebrosam tendentem sub tractum meridionalem. Hæc ejectio visa est Anno 1757 die 9 Jan. Remantibus illis apud quos erat religio, & ex religione conscientia.

54. Loquutus sum, sed modo semel, cum CALVINO; erat in Societate cæli quæ spectatur antrorsum supra caput; & dixit, quod non consenserit cum Luthero & Melanchtone de Sola fide, quoniam in Verbo toties nominantur Opera, & mandatur Facere, & quod ideo fides & opera conjungenda sint. Quod Calvinus in sua societate acceptus sit, quia probus & non turbas facit, audivi ex uno Moderatore istius societatis.

55. Qualis sors LUTHERO est, alibi dicetur, quia multoties illum audivi & vidi; solum hoc, quod sæpius voluerit recedere a sua sola fide, sed incassum; & quod ideo adhuc sit in Mundo spirituum, qui est medius inter cælum & infernum; & quod quandoque ibi dura patiatur.

De Pontificiis in Mundo spirituali.

56. Actum est de Pontificiis, & de Ultimo Judicio super illos, in Opusculo de ULTIMO JUDICIO, n. 53 ad 64. Pontificii in Mundo spirituali apparent circum Reformatos, ac per intervallum distincti sunt, quod non permittitur transire; sed usque illi, qui ex Jesuitico Ordine sunt, per clandestinas artes parant sibi communicationes, & quoque per semitas ignotas ablegant emissarios, ut seducant; sed indagantur, & postquam puniti sunt, vel remittuntur ad socios, vel conjiciuntur in infernum.

57. Post Ultimum Judicium status illorum ita mutatus est, quod non liceat congregare se in cætus, sicut prius; sed cuivis amori tam bono quam malo ordinatæ sunt viæ, quas illi, qui e mundo alluunt, illico intrant, ac vadunt ad Societatem amori illorum correspondentem; sic feruntur mali ad societatem quæ in conjunctione est cum infernis, ac boni in societatem quæ in conjunctione

est

est cum cælis; sic cautum est, ne sicut prius artificiales cælos sibi forment. Tales societates in Mundo spirituum, qui est medius inter Cælum & Infernum, sunt innumeræ, sunt enim totidem, quot sunt genera & species affectionum bonarum & malarum: ac interea, antequam vel in Cælum elevantur, vel in infernum dejiciuntur, sunt in conjunctione spirituali cum hominibus mundi, ex causa, quia hi etiam in medio sunt inter cælum & infernum.

58. Omnes illi ex Pontificiis, qui non prorsus idololatræ fuerunt, & ex religioso suo ex corde sincero præstiterunt bona, & ad Dominum etiam spectaverunt, perducuntur ad Societates in confiniis ad Reformatos institutas, & ibi instruuntur, ac coram illis legitur Verbum, & prædicatur Dominus; & illi qui veritates recipiunt & applicant vitæ, elevantur in Cælum, & fiunt Angeli. Tales societates ex illis sunt plures in unaquavis plaga, & undequaque custoditæ a dolosis & astutis machinationibus monachorum, aque fermento Babylonico. Præterea omnes infantes illorum in Cælo sunt, qui, quia educati per angelos sub auspicio Domini, ignorant falsa religionis parentum.

59. Omnes qui in Mundum spiritualem e terris veniunt, in confessione fidei & in religione Patriæ suæ in principio tenentur; ita quoque Pontificii; quare semper aliquem repræsentativum Pontificem sibi præpositum habent, quem etiam simili ritu adorant, quo in Mundo: raro aliquis Papa in mundo agit ibi Pontificem; sed usque ille qui ante viginti annos Romæ Papa fuit, illis præfuit, ex causa quia ille, corde suo fovit quod Verbum sanctius esset quam creditur, & quod Dominus colendus esset: sed ille, postquam per aliquot annos functus est Pontificali munere, abdicavit se illo, & contulit se ad Reformatos Christianos, inter quos adhuc est, & vita beata fruitur. Datum est loqui cum illo, & dixit, quod Dominum solum adoret, quia Ipse est Deus, Cui potestas est super Cælum & Terram, & quod invocationes sanctorum essent nugæ, tum etiam Missæ eorum; & quod in mundo intenderit restaurare illam Ecclesiam, sed quod non potuerit propter causas, quas etiam dixit. Vidi illum, quando Urbs magna septentrionalis, in qua fuerunt Pontificii, die Ultimi Judicii destruebatur, in lectica exportatum, & in locum securum delatum. Aliud prorsus evenit Successori ejus.

60. His adjicere licet aliquod Memorabile. Datum est loqui cum LUDOVICO XIV Avo Regis Galliarum hodie regnantis, qui, dum in mundo fuit, coluit Dominum, legit Verbum, & Pontificem modo pro Supremo Ecclesiæ agnovit; quare in Mundo spirituali in multa dignitate est, ac optimam Societatem Gentis Gallicæ regit. Quondam illum vidi sicut descendentem per scalas, & postquam descendit, audivi illum dicentem, quod videretur sibi sicut Versaliis esset, & tunc factum est silentium per bihorium circiter, quo peracto dixit se loquutum esse cum Rege Galliæ Nepote suo de Bulla Unigenitus, quod desisteret a priori suo consilio, & illam non acceptaret, quia detrimentosa Genti Gallicæ; dixit quod hoc insinuaverit cogitationi ejus profunde. Hoc factum est Anno 1759, die 13 Decemb. vesperi circa horam octavam.

De Sanctis Pontificiorum in Mundo spirituali.

61. Notum est, quod homini a parentibus sit malum insitum seu hæreditarium; sed paucis notum est, in quo consistit: consistit in amore imperandi, qui talis est, ut quantum ei laxantur fræna, tantum erumpat, usque ut flagret cupidine imperandi super omnes, & tandem ut velit invocari & coli sicut Deus. Hic amor est Serpens, qui decepit Evam & Adamum, dixit enim ad mulierem,, *Novit Deus quo die comederitis de fructu arboris, aperientur oculi vestri, & TUNC ERITIS SICUT DEUS,,* Genes. III. 4. 5: quantum itaque homo relaxatis frænis in hunc amorem ruit, tantum se avertit a Deo, & convertit ad semet, & fit atheus; & tunc possunt Divina Vera, quæ sunt Verbi inservire pro mediis, sed quia finis est dominium, media non plus cordi sunt, quam prout inserviunt. Hæc causa est, quod qui in medio & qui in ultimo gradu amoris imperandi sunt, omnes in inferno sint, est enim ibi ille amor diabolus, ubi aliqui tales sunt, ut ne quidem sustineant aliquem loquentem de Deo.

62. Hic amor est illis ex Gente Pontificia qui ex æstro jucundi amoris ejus dominati sunt, & Verbum contemserunt, ac illi prætulerunt dictamina Papæ, hi devastantur prorsus quoad externa, usque ut nihil Ecclesiæ amplius sciant, & tunc dejiciuntur in infernum, & fiunt diaboli. Est quoddam infernum separatum pro illis, qui invocari volunt ut dii, ubi in tali phantasia sunt, ut non videant quod est, sed quod non est; est delirium illis quale est quibusdam in febri maligna, qui vident floccos in aere, & in camera ac super integumento lecti sui, quæ non sunt. Hoc malum pessimum intelligitur per *Caput serpentis, quod conculcatur a Semine mulieris, & quod lædit calcaneum ejus,,* Genes. III. 15; calcaneus Domini, qui est Semen mulieris, est Divinum procedens in ultimis, quod est Verbum in sensu literæ.

63. Quoniam homo ex hæreditario talis est, ut velit imperare, & successive sicut relaxantur lora, super plures, & tandem super omnes, ac intimum ejus amoris est, ut velit invocari & coli ut Deus, ideo omnes qui per Bullas papales sanctificati sunt, removentur ab oculis aliorum & reconduntur, & aufertur illis omne commercium cum cultoribus illorum; causa est, ne radix illa malorum pessima apud illos excitetur, & in deliria phantastica, qualia sunt supradicti inferni, inferantur. In talibus deliriis sunt illi, qui, dum in mundo vixerunt, sanctos fieri post mortem ut invocentur, studio affectarunt.

64. Multi ex Pontificia Gente, imprimis Monachi, cum in Mundum spiritualem veniunt, quærunt Sanctos, quisque Sanctum sui Ordinis, sed non inveniunt, quare mirantur; sed post instruuntur ab aliis, quod sint intermixti vel illis qui in cælis sunt vel illis qui in infernis, quisque secundum suam vitam in mundo, & quod utrobivis nihil sciant de cultu & invocatione sui, & quod qui sciunt & volunt invocari, sint in Inferno illo separato & deliro. Cultus Sanctorum est talis abominatio in cælo, ut dummodo audiunt illum, horrescant, quoniam quantum alicui homini addicatur cultus, tantum cultus derogatur Domino;

mino; ſic enim non Solus poteſt coli; & ſi Dominus non Solus colitur, fit diſcriminatio, quæ tollit communionem, & fluentem ex illa felicitatem vitæ.

65. Ut ſcirem quales Sancti Ponctificiorum ſunt, propter cauſam ut notum facerem, educti ſunt ex inferiore terra uſque ad centum, qui noverunt de ſanctificatione ſua, aſcenderunt a tergo, modo aliqui ante faciem, & cum uno ex his loquutus ſum, quem dixerunt fuiſſe Xaverium; hic dum mecum loquebatur, erat prorſus fatuus, narrare tamen potuit, quod in loco ſuo, ubi incluſus manet, non fatuus ſit, ſed quod fatuus fiat, quoties cogitat quod ſanctus ſit. Simile mnrmur audivi ab illis qui a tergo erant.

66. Aliter eſt Sanctis ita dictis in Cælo, hi prorſus nihil ſciunt de eo quod in terris fit; nec cum illis loquutus ſum, ne aliqua idea de ea re apud illos intraret. Solum quondam præteriit Mater Domini Maria, & viſa ſuper caput in veſtitu albo, & tunc paulum morata dixit, quod Mater Domini fuerit, & quidem ab illa natus, ſed factus Deus exuerit omne Humanum ex illa, & quod ideo nunc adoret Ipſum ut ſuum Deum, & quod nolit ut quiſquam Ipſum pro Filio ſuo agnoſcat, quia in Ipſo omne Divinum eſt.

67. His adjiciam hoc memorabile: apparet quandoque Pariſienſibus qui in Mundo ſpirituali in ſocietate ſunt, quædam Mulier in media altitudine, in veſtitu ſplendido, & in facie tanquam ſancta, & dicit ſe eſſe Genovevam: ſed cum quidam incipiunt adorare illam, tunc illico mutatur ejus facies, & quoque veſtis, & fit ſimilis fæminæ vulgari, & reprehendit illos quod velint adorare fæminam, quæ apud ſocias ſuas non plus in æſtimatione eſt quam ſicut ancilla, mirans quod homines mundi talibus nugis captentur. Dicebant angeli quod illa appareat propter ſeparationem cultorum hominis & cultorum Domini ibi.

De Mahumedanis in Mundo ſpirituali; & de Mahumede.

68. Mahumedani in Mundo ſpirituali apparent poſt Pontificios in Occidente, & faciunt quaſi ambitum: quod ibi appareant, eſt præcipue quia Dominum agnoſcunt pro Maximo Propheta, Filio Dei, Sapientiſſimo omnium, qui miſſus in mundum ut doceret homines. Quiſque in illo Mundo habitat ad diſtantiam a Meditullio Chriſtiano, ubi ſunt Reformati, ſecundum confeſſionem Domini ac Unius Dei; nam illa conjungit animos Cælo, & facit diſtantiam ab Oriente, ſuper quo eſt Dominus; illi qui non in illa Confeſſione ſunt corde ex vita mala, ſub illis in Infernis ſunt.

69. Quoniam Religio facit intimum hominis, & ex intimo ſunt reliqua ejus; & quoniam Mahumedes verſatur in animis illorum una cum religione, ideo ſemper aliquis Mahumedes in conſpectu illorum ponitur; ac ut vertant facies ſuas ad Orientem, ſuper quo eſt Dominus, ponitur ille in Meditullio Chriſtiano infra. Non eſt ipſe Mahumedes qui Alcoranum ſcripſit, ſed alius qui munere illo fungitur; nec eſt idem ſemper, ſed mutatur: quondam fuit unus ex

Saxonia, qui captus ab Algiriensibus factus est Mahumedanus; is quia Christianus etiam fuerat, actus est ad loquendum coram illis de Domino, quod non fuerit Filius Josephi, ut crediderunt in mundo, sed Filius Ipsius Dei, per quod insinuavit eis ideam de unitate Personæ & Essentiæ Domini cum Patre. Isti Muhumedi successerunt postea alii, qui acti sunt ad similia loquendum; inde multi ex illis ad vere Christianam fidem de Domino accedunt, & qui accedunt, feruntur ad Societatem propiorem Orienti, ubi datur communicatio cum Cælo, in quod etiam postea elevantur. In loco, ubi Mahumedes ille sedem habet, apparet ignis sicut faculæ, ut noscatur; sed ille ignis non conspicuus est nisi quam Mahumedanis.

70. Ipse Mahumedes, qui scripsit Alcoranum, non in conspectum hodie venit; dictum mihi est, quod primis temporibus præfuerit illis, sed quia voluit dominari super omnia religionis illorum ut Deus, quod e sede sua, qnam sub Pontificiis habuit, ejectus sit, & ad latus dextrum juxta meridiem demissus. Quondam aliquæ societates ex Mahumedanis excitatæ sunt ex malitiosis ad agnoscendum Mahumedem pro Deo; ut seditio sedaretur, sublatus est Mahumedes ab inferis, ac ostensus, & tunc quoque mihi visus est; apparuit similis spiritibus corporeis, quibus nulla perceptio interior est, facie ad nigrum vergente; & audivi illum loquentem hæc verba solum, ego sum Mahumedes vester: & mox quasi subsidens in locum suum rediit.

71. Quod Religionem illorum attinet, hæc talis permissa est, quia conveniens genio Orientalium, quare etiam in tot Regnis recepta est; & quia in illo Præcepta decalogi simul Religionis facta sunt; & aliquid ex Verbo etiam in illo erat; & imprimis quia Dominus pro Filio Dei, & Sapientissimo omnium agnitus est. Per illam quoque Idololatrica multarum Gentium dissipata sunt. Quod non interior Religio illis per Mahumedem aperta sit, fuit propter Polygamiam, quæ immundum versus Cælum exhalat; conjugium enim mariti cum una uxore correspondet Conjugio Domini & Ecclesiæ.

72. Sunt multi ex illis receptibiles veri, & vident in rationibus justitiam, quod ex colloquiis cum illis in Mundo spirituali animadvertere potui: loquutus sum cum illis de Deo uno, de Resurrectione, & de Conjugio. De Deo uno dixerunt, quod non comprehendant Christianos loquentes de Trinitate, & dicentes quod tres Personæ sint, & unaquævis Deus, & quod usque dicant quod Deus unus sit: sed respondi illis, quod Angeli in Cælo, quod ex illis est, non loquantur ita, sed quod Deus unus sit Persona & Essentia in quo Trinum, & quod homines in terris hoc Trinum appellent tres Personas; & quod illud Trinum sit in Domino; ut confirmarentur, perlegi coram illis ex Matthæo & Luca, quæ ibi de conceptione Domini ex Deo Patre dicuntur, tum ubi Ipse docet quod Pater & Ipse unum sint; his auditis perceperunt rem, dicentes quod sic Divina Essentia Ipsi sit. De Resurrectione dicebant, quod non comprehendant Christianos loquentes de statu hominis post mortem, quod faciant animam similem vento aut aeri, & inde in nullo delitio ante reunitionem cum corpore die Ultimi Judicii: sed respondi, quod modo aliqui ita loquantur, sed quod qui ex illa secta non sunt, credant se post mortem in cælum venturos,

cum

cum angelis loquuturos, & gaudio cælesti fruituros, quod non abstrahunt a simili gaudio quod illis est in mundo, tametsi non describunt illud; & quod hodie revelentur illis plura de statu post mortem, quæ antea non sciverunt. De Conjugio plura cum illis loquutus sum, & inter illa, quod amor conjugialis sit amor cælestis, non dabilis quam inter duos, & quod conjunctio cum pluribus uxoribus cæleste illius amoris non admittat; audiverunt rationes, & justitiam in illis perceperunt; tum etiam hoc, quod permissa sit illis Polygamia, quia Orientales sunt, qui absque illa permissione præ Europæis flagravissent in spurca adulteria, & periissent.

De Africanis & de Gentibus in Mundo spirituali.

73. Gentes, quæ non aliquid norunt de Domino, circum illos qui norunt, apparent; usque ita, ut ultimas peripherias faciant non alii quam qui prorsus idololatræ sunt, ac solem & lunam adoraverunt. Illi autem, qui unum Deum agnoscunt, ac præcepta, qualia sunt in Decalogo, religionis & vitæ faciunt, conspiciuntur in regione superiore, & sic immediatius communicant cum Christianis in Meditullio; nam communicatio sic non intercipitur a Mahumedanis & Pontificiis. Gentes etiam distinctæ sunt secundum genios & facultates recipiendi lucem per cælos a Domino; sunt enim ex illis interiores & exteriores, quod non trahunt ex solo natali, sed ex religione: Africani sunt reliquis interiores.

74. Omnes qui unum Deum Creatorem universi agnoscunt & colunt, ideam Hominis de Deo habent, dicunt quod nemo aliam de Deo possit habere: cum audiunt, quod plures de Deo foveant ideam sicut Nubeculæ, quærunt ubinam illi sunt, & cum dicitur quod sint inter Christianos, negant quod dabile sit; sed respondetur, quod sit illis talis idea ex eo, quod Deus in Verbo dicatur Spiritus, & de spiritu non aliter cogitant quam sicut de particula nubis, non scientes quod omnis spiritus & omnis angelus sit homo: at usque exploratum est, num spiritualis illorum idea sit similis ideæ illorum naturali, & compertum est quod non similis sit apud illos, qui Dominum pro Deo cæli & terræ interius agnoscunt. Audivi quendem Presbyterum ex Christianis dicentem, quod nemo possit habere ideam Divini Humani, & vidi illum translatum ad varias Gentes successive ad interiores & interiores, & ab illis ad Cælos eorum, & tandem ad Cælum Christianum, & ubivis data est communicatio perceptionis interioris eorum de Deo, & animadvertit quod non alia illis idea Dei esset quam idea Hominis, quæ eadem est cum idea Divini Humani.

75. Plures Societates Gentium sunt, imprimis ex Africanis, qui dum instructi sunt per Angelos de Domino, dicunt quod non aliter possit esse, quam quod Deus Creator universi apparuerit in mundo, quia creavit illos, & amat illos, & quod apparitio non potuerit fieri quam usque ad visum ocularem in Humana forma: cum illis dicitur, quod non apparuerit sicut solent angeli, sed quod natus sit Homo, & sic visus, hæsitant aliquantum & inquirunt, num

natus

natus sit a patre homine; & cum audiunt, quod conceptus sit a Deo universi & natus a virgine, dicunt quod sic Ipsi Divina Essentia sit, quæ quia Infinita & ipsa Vita est, non talis homo fuerit sicut alii; informantur postea ab angelis, quod homo fuerit in conspectu sicut alius, sed quod cum in mundo fuit, Essentia Ipsius Divina, quæ in se Infinita & ipsa Vita est, rejecerit naturam finitam & hujus vitam a matre, & sic Humanum suum in mundo conceptum & natum, Divinum fecerit. Hæc Africani, quia interius spiritualiter præ reliquis cogitant, comprehenderunt & receperunt.

76. Quoniam Africani tales sunt etiam in mundo, ideo apud illos hodie Revelatio fit, quæ incepta vadit a medio circum, sed non usque ad Maria, agnoscunt illi Dominum nostrum pro Domino Cæli & Terræ; & rident monachos, ubi adeuntur, & Christianos loquentes de triplicata Divinitate, & de salvatione per solum cogitare, dicentes quod nullus homo sit, cui aliquis cultus, qui non vivit secundum religionem suam, & si non, quod non possit aliter quam fieri stupidus & malus, quia tunc non recipit aliquid e cælo: malitiam ingeniosam vocant etiam stupiditatem, quia non vita sed mors est in illa. Audivi Angelorum gaudium super illa Revelatione, quod per eam aperiatur illis communicatio cum Humano rationali hactenus per cæcum rebus fidei inductum occluso. Dictum mihi e Cælo est, quod incolis Telluris istius per spiritus angelicos oretenus dictentur illa quæ in Doctrina Novæ Hierosolymæ de Domino, de Verbo, & in Doctrina vitæ pro Nova Hierosolyma, nunc edita sunt.

77. Cum loquutus sum cum Africanis in Mundo spirituali, apparuerunt in vestibus striatis ex lino, dicebant quod tales vestes illis correspondeant, & quod mulieribus illorum vestes striatæ ex serico. Narrabant de infantibus illorum, quod frequenter ab educatricibus quærant cibum, dicentes se esurire, & cum apponuntur cibi, inspectant & gustant num concordent, & parum edunt; ex quibus patet, quod esuritio spiritualis, quæ est desiderium sciendi genuina vera, hoc operetur; est enim correspondentia. Cum volunt scire, in quo statu quoad affectionem & perceptionem veri sunt, extrahunt enses, qui si nitent, sciunt quod in genuinis veris sint, & hoc secundum nitorem ejus; est quoque hoc ex correspondentia. De Conjugio dixerunt, quod illis quidem liceat ex Lege sua plures uxores ducere, sed quod usque ducant unam, quia amor vere conjugialis non est dividuus, si dividitur, perit essentia ejus, quæ est cælestis; & fit externus & inde lascivus, qui brevi secundum diminutionem potentiæ vilescit, & demum cum jactura ejus fastiditur; amor autem vere conjugialis, qui est internus, & nihil trahit ex lascivia, manet in æternum, ac crescit potentia, & in simili gradu delitio.

78. De advenis ex Europa dixerunt, quod non admittantur, & cum aliqui, imprimis monachi, penetrant, inquirunt quid sciunt, & cum narrant aliqua de religioso, vocant illa nugas quæ lædunt ipsas aures, & tunc ablegant illos ad operas ut aliquid utile faciant, & si renuunt facere, vendunt illos in servos, quos ex lege illorum licet castigare ad libitum, & si ad nihil utile adigi possunt, venduntur demum pro pauco ad viles.

De

De Judæis in Mundo ſpirituali.

79. Judæi ante Ultimum Judicium ad latus ſiniſtrum Meditullii Chriſtiani in Valle ibi apparuerunt, poſt illud autem tranſlati ſunt in ſeptentrionem, & interdictum eſt commercium cum Chriſtianis, niſi cum vagis extra urbes. Sunt in illa Plaga binæ magnæ Urbes, in quas Judæi poſt mortem deducuntur, quas ante Judicium vocaverunt Hieroſolymas, ſed poſt illud alio nomine, quia poſt Judicium per Hieroſolymam intellecta eſt Eccleſia, in qua Dominus ſolus adoratur. Præficiuntur illis in ſuis urbibus Judæi converſi, qui monent illos ne contumelioſe loquantur de Chriſto; & puniunt qui uſque id faciunt. Plateæ urbium illarum ſunt oppletæ cæno uſque ad talos, & domus immundis, a quibus etiam olent; propter quæ non adiri poſſunt.

80. Apparet illis aliquoties Angelus ſupra in media altitudine cum baculo in manu; & dat credere quod ſit Moſes, ac hortatur ut deſiſtant a veſania de exſpectatione Meſſiæ etiam ibi, quia Meſſias eſt Chriſtus, qui illos & omnes regit, & quod ipſe id ſciat, & quoque aliquid de ipſo ſciverit cum in mundo fuit: quibus auditis recedunt; & maxima pars obliviſcuntur, & pauci retinent; & qui retinent, mittuntur ad ſynagogas, quæ ſunt ex converſis, ac inſtruuntur; & illis qui inſtructi recipiunt, dantur novæ veſtes pro laceris, in quibus prius fuerunt, & datur Verbum nitide ſcriptum, tum habitatio in urbe non indecora. Illi autem qui non recipiunt, dejiciuntur in inferna ſub magno illorum tractu, & multi in ſylvas & in deſerta, ubi agunt inter ſe latrocinia.

81. Negotiantur in illo Mundo ſicut in priori cum variis, imprimis cum lapidibus pretioſis, quos ſibi per vias incognitas comparant e cælo, ubi lapides pretioſi in copia ſunt. Quod negotiatio illis cum lapidibus pretioſis ſit, eſt quia Verbum in ſua originali lingua legunt, & ſenſum literæ ejus ſanctum habent; ac lapides pretioſi ſenſui literæ Verbi correſpondent; de qua correſpondentia videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n: 42. ad 45; vendunt illos gentilibus, qui circum illos in Plaga ſeptentrionali ſunt. Poſſunt etiam arte parare ſimiles, ac phantaſiam inducere quod genuini ſint; ſed hi a ſuis præfectis ſevere mulctantur.

82. Judæi præ aliis non ſciunt quod in Mundo ſpirituali ſint, ſed credunt quod adhuc in Mundo naturali, cauſa eſt, quia prorſus externi homines ſunt, & non aliquid de religione ſua cogitant ex interiori; quare etiam loquuntur ſimiliter de Meſſia ſicut prius, ut quod venturus ſit cum Davide, & fulgens diadematibus præiturus illis, ac introducturus illos in terram Canaänem, & in via elevatione baculi exſiccaturus fluvios quos tranſibunt; & quod Chriſtiani, quos inter ſe Gentes vocant, tunc alas veſtium illorum arrepturi, ſuppliciter orantes ut liceat comitari, & quod recepturi divites ſecundum copias, & quod etiam hi illis ſervituri ſint; non volentes ſcire, quod in Verbo per Terram Canaanem intelligatur Eccleſia, per Hieroſolymam illa quoad doctrinam, & inde per Judæos omnes illi qui ab Eccleſia Domini erunt; quod hi per Judæos in Verbo intelligantur, videatur in DOCTRINA DE SCRIPTURA SACRA n: 51. Cum

interrogantur num credant ſe etiam in Terram Canaanem venturos eſſe, dicunt quod tunc deſcenſuri: cum dicitur, quod terra illa non poſſit capax eſſe omnium, reſpondent quod tunc ampliabitur. Cum dicitur, quod non ſciant ubi Bethlechem, & quiſnam ex ſtirpe Davidis, reſpondent quod venturus Meſſias id ſciat. Cum dicitur, quomodo Meſſias Filius Jehovæ poteſt habitare cum tam malis, reſpondent quod non mali ſint: cum dicitur quod uſque Moſes in Cantico ſuo, Deutr. XXXII, deſcribat illos, & dicat quod peſſimi ſint, reſpondent quod Moſes tunc iratus fuerit quod diſcederet: at cum dicitur quod Moſes id ſcripſerit ex mandato Jehovae, tunc tacent, & abeunt conſultaturi. Cum dicitur, quod ortus illorum ſit ex Canaanitide, & ex ſcortatione Judæ cum nuru ſua, Geneſ. XXXVIII, iraſcuntur, dicentes, quod ſatis ſit quod ex Abrahamo ſint. Cum dicitur illis, quod interius in Verbo ſenſus ſpiritualis ſit, qui agit de ſolo Chriſto, reſpondent quod non ita ſit, ſed quod interius in Verbo non ſit niſi quam aurum: præter ſimilia plura.

De Quaqueris in Mundo ſpirituali.

83. Sunt Enthuſiaſtici ſpiritus, ſeparati ab omnibus aliis, tam obeſæ naris, ut credant ſe Spiritum ſanctum eſſe; hi, cum Quaquerianiſmus incepit, ſicut extracti ſunt e ſylvis circumcirca ubi errarunt, ac obſiderunt plures, & infuderunt perſuaſionem quod a Spiritu ſancto agerentur; & quia ſenſu perceperunt influxum, Religioſum iſtud ita occupavit illos totos, ut crederent ſe præ reliquis illuſtratos & ſanctos; quare etiam a religioſo ſuo non abduci potuerunt. Illi qui ſe confirmaverunt in illo, in ſimilem enthuſiaſmum veniunt poſt mortem, ac ſeparantur a reliquis, & ablegantur in ſylvas ad ſimiles, ubi e longinquo apparent ſicut ſues ſylveſtres. Illi autem, qui ſe non confirmaverunt, ſeparati ab aliis amandantur in locum ſimilem deſerto, qui eſt in ultimis plagæ meridionalis, ubi ſpeluncæ ſunt templa eorum.

84. Poſtquam priores ſpiritus enthuſiaſtici ab illis remoti ſunt, tremor qui ab illis invaſit corpus illorum, ceſſavit, & nunc motionem ad ſiniſtrum ſentiunt. Oſtenſum eſt, quod a primo tempore ſucceſſive abiverint in pejora, & tandem in nefaria ex mandato ſpiritus ſancti illorum, quæ nulli propalant. Loquutus ſum cum Inſtauratore religioſi illorum, & cum Pen, qui dixerunt quod in talibus nullam partem habeant. Sed illi qui talia patrarunt, poſt mortem demittuntur in locum tenebricoſum, & ſedent in angulis, apparentes ſicut amurcæ.

85. Quoniam rejecerunt bina Sacramenta, Baptiſmum & Sacram Cænam, & uſque legunt Verbum, & prædicant Dominum, & obſeſſi a ſpiritibus enthuſiaſticis loquuntur, & ſic commiſcent ſancta Verbi prophanatis veris, ideo nulla ſocietas formatur ex illis in Mundo ſpirituali, ſed poſtquam diſſociati errarunt huc illuc, diſparantur, & in ſupradicto deſerto colliguntur.

De Moravianis in Mundo ſpirituali.

86. Cum Moravianis, qui etiam Heerenhuteri vocantur, multa loquutus ſum: apparuerunt primum in valle non procul a Judæis; & poſtquam explorati & detecti ſunt, in loca inhabitata delati ſunt. Dum explorabantur, ſciverunt callide captare animos, dicentes quod reliquiæ Apoſtolicæ Eccleſiæ eſſent, & quod ideo ſalutent ſe fratres, ac matres illas quæ interiora illorum arcana recipiunt; tum quod præ cæteris doceant fidem, & quod ament Dominum quia paſſus eſt crucem, vocando illum Agnum, & Solium gratiæ; præter ſimilia alia, per quæ inducunt fidem, quod ipſa Eccleſia Chriſtiana apud illos ſit: illi qui a blandiloquiis illorum captati accedunt, explorantur ab illis num tales ſint, ut illis arcana ſua detegere auſint, ſi non, celant illa, & ſi poſſint, revelant; & tunc monent, & quoque minantur illis, qui arcanum illorum de Domino evulgant.

87. Quoniam ſimiliter fecerunt in Mundo ſpirituali, & tamen perceptum eſt, quod interius non ita cogitarent; ut hoc detegeretur, intromiſſi ſunt in Cælum ultimum, ſed non ſuſtinuerunt ſphæram charitatis & inde fidei angelorum ibi, & aufugerunt. Poſtea quia crediderunt in mundo, quod illi ſoli vivi eſſent, & in Cælum tertium venturi, etiam in illud cælum ſublati ſunt, ſed cum perceperunt ſphæram amoris in Dominum ibi, correpti ſunt angore cordis, ac inceperunt interius cruciari, & convulſivos motus agere ſicut qui in angone mortis ſunt, quare ſe inde præcipites dejecerunt. Per hæc primum manifeſtatum eſt, quod nihil charitatis erga proximum, & nihil amoris in Dominum intus foverent. Deinde miſſi ſunt ad illos, quibus munus explorandi interiora cogitationum injunctum eſt; & ab illis dictum eſt, quod Dominum vilipendant, charitatis vitam ita rejiciant ut illum abhorreant, & quod Verbum Veteris Teſtamenti inutile faciant, ac Verbum Evangeliſtarum contemnant, ſolum ex beneplacito ex Paulo deſumant ubi aliquid de ſola fide dicitur; & quod hæc ſint arcana illorum quæ pro mundo celant.

88. Poſtquam manifeſtatum eſt, quod Dominum ſicut Arriani agnoſcant, quod Verbum Prophetarum & Evangeliſtarum contemnant, & quod charitatis vitam odio habeant, cum tamen ſuper tribus illis ut columnis univerſum Cælum pendet, tunc illi qui in cognitione & ſimul in fide illorum arcanorum fuerunt, judicati ſunt ut Anti-Chriſti, qui rejiciunt tria eſſentialia Eccleſiæ Chriſtianæ, nempe Divinum Domini, Verbum & Charitatem, & conjecti extra Chriſtianum Orbem in deſertum, quod in fine Plagæ meridionalis prope Quaqueros eſt.

89. Audivi Zinzendorfium, cum in Mundum ſpiritualem recens poſt mortem venit, & admiſſus eſt loqui ſicut prius in mundo, conteſtantem quod ille ſciat arcana cæli, & quod nemo in cælum veniat niſi qui ex doctrina ejus ſit; tum quod prorſus damnati ſint qui bona faciunt ſalutis cauſa, & quod potius admittat atheos in ſuam congregationem quam illos. Quod Dominus ſit adopta-

tus a Deo Patre pro Filio Ejus, quoniam paſſus eſt crucem, & quod uſque homo ſimplex fuerit: cum ei dictum eſt, quod conceptus ſit a Deo Patre, reſpondit quod de eo cogitet ſicut vult, non auſus eſt dicere ſicut Judæi. Præterea ab aſſeclis ejus percepi plura ſcandala cum legi Evangeliſtas.

90. Dicunt ſe habuiſſe ſenſationem, & inde interiorem confirmationem ſuorum dogmatum: ſed oſtenſum eſt illis, quod ſenſatio illorum fuerit ex ſpiritibus viſionariis, qui apud hominem confirmant omnia ejus religioſi, & quod propius intrent apud illos, qui ut illi religioſum ſuum amant, & multum de eo cogitant. Illi ſpiritus etiam cum illis loquuti ſunt, & ſe mutuo agnoverunt.



